UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Via Lactea Sive Institutiones Iuris Canonici

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

urn:nbn:de:hbz:466:1-94613

Visual Library

Th. 914a.

G. V 11
17.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VIA LACTEA

SIVE

INSTITUTIONES JURIS CANONICI

PER QUAM, & QUAS

Suavi, ac brevi Itinere, Studiosi Juvenes ad intelligentiam Sacrorum Canonum, & Lectores omnes conducuntur,

Ad normam illarum, quas celeberrimus Jurisconsultus, JO. PAULUS LANCELLOTUS Perusinus, centum, & quinquaginta ab hinc Annis composuit;

NUNC

A JOANNE CLERICATO J. U. D.

Præposito Patavino; olim in Curia Episcopali Patavina primùm Promotore Fiscali, dein Auditore, demùm Vicario Generali; faciliori, ac magis compendiosa methodo digestæ;

Plurimisque Pontificiis Constitutionibus, atque Canonistarum, & Theologorum doctrinis auctæ, & ornatæ.

Episcopis, Prælatis, Canonicis, Parochis, Confessariis, Judicibus, Advocatis, & Studiosis omnibus utiles valdè, ac fructuosæ.

Tomi secundi Liber octavus.

AUGUSTÆ VINDELICORUM.
Sumptibus MARTINI HAPPACH & FRANC. XAV. SCHLÜTER,
MDCCXXX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆFATIO
Studiosis Juvenibus, ac benignis LECTORIBUS.

UTrùm VIA LACTEA sit in Firmamento? nemo, etsi idiota, ignorare præsumitur, tum quia de ea Astronomi, & Philosophi antiqui, & moderni copiosè scribunt; tum quia propriis oculis, dum nox serenat, ipsam omnes conspiciunt; & est circulus ille magnus, & latus, adinstar Fasciæ coruscans, qui per transversum Cœlum discurrit, comprehenditque intra se, in plaga Boreali, constellationes Cassiopeæ, Cygni, Aquilæ volantis, Persei, Andromedæ, & partem Ophiuci, ac Geminorum: In Australi verò Scorpionem, & Sagittarium, Centaurum, Argonavim, ac Aram; prout etiam conspicitur in Mappis. Et quoniam ipsa Fascia tota nitida est, & ejus albedo sparsi lactis præsefert speciem; ex hac Nomen VIÆ LACTEÆ sumpsit; & apud Græcos nuncupatur GALLAXIA, quod vocabulum Orbem Lacteum significat; ut eam appellavit etiam Cicero *in somnio Scipionis.*

Tota difficultas est cognoscere, quid verè sit? Siquidem (omissis Poetarum fabulis de Phetonte, ac Lacte Junonis, de quibus Calvus *in Proprinom. Hist. Verb. Gallaxia*) variæ sunt Philosophorum opiniones; & eorum Princeps Aristoteles opinatus est, illam esse aggregationem exhalationum accensarum, in suprema Aeris parte consistentium; quæ tamen opinio ab omnibus exploditur; quippe si vera esset, aut tandem consumptæ forent; aut non semper à quacunque Orbis terræ parte conspicerentur, & firmam distantiam à Polis, & ab Æquatore non servarent; ut fusè differit doctissimus Mastrius in *Tract. de Cœlo, & Meteor. disp. 2. num. 79. & seqq.* Quapropter nostro ævo, communi omnium assertione, receptum est, VIAM LACTEAM esse congeriem infinitarum propemodùm Stellularum, simul collucentium, quæ veluti massa quædam candicantis cujusdam materiæ, se se oculis nostris præbent; pulchritudinem Cœli demonstrant, & itinerantibus indicant viam.

Ex his omnibus, (Studiosi Juvenes, ac benigni Lectores) deducere licet quinque mysticas causas, ob quas hæ INSTITUTIONES Juris Canonici cœlesti illi Gallaxiæ assimilentur: & VIA LACTEA sint vocatæ.

Prima, & principalis est *Efficiens*; Omnipotentia, scilicet, Altissimi Creatoris DEI; quia sicut ab ipsa Stellulæ illæ, quæ VIAM LACTEAM conficiunt, processerunt, quando Cœ-
Ps 8. 4. los creavit, teste Regio Psalte dicente: *Quoniam videbo Cœlos tuos, opera digitorum tuorum, Lunam, & Stellas, quæ tu fundasti.* Sic omnia Juris Canonici Decreta à Divina procedunt potestate, per concessionem Clavium Regni Cœlorum factam Petro Christi Vicario, & Pontificibus Romanis ejus Successoribus: iisdem enim data est facultas ligandi, atque solvendi in utroque Foro; & in quacunque materia concernente Animarum salutem; ad quam consequendam Canones, & Constitutiones Canonicæ promulgantur. *cap. Sunt quidam, 25. quæst. 1. cap. Translato, De Constitut. Extravag. Ad Conditorem. de Verb. Signific.*

Secunda Causa est *Materialis*, quæ consistit in numerositate eorundem Canonum, & Canonicarum Constitutionum. Sicut enim numerus Stellarum, quæ VIAM LACTEAM conficiunt, innumerabilis est; ita Juris Canonici Decreta, & Constitutiones non videntur posse numerari, ob illarum cumulum existentium tum in prima, & secunda Parte Decreti; tum in Libris quinque Decretalium, in Sexto, in Clementinis, & in Extravagantibus; tum etiam in Tomis Septem Bullarii Romani: Et nihilominus hæ omnes collectæ sunt in INSTITUTIONIBUS istis; in quibus tanquam in Fascia VIÆ LACTEÆ, & doctrinaliter quòad materias, & compendiosè quòad Præcepta continentur.

Tertia Causa, quæ *Formalis* est, sumitur à claritate, nitore, & albedine GALLAXIÆ; ad cujus imitationem præsentes INSTITUTIONES non obscuræ, non difficiles, non abstrusæ, sed claræ in stylo, lucidæ in explicatione, & perspicuæ in doctrina reperiuntur; ita ut de eis in veri-
Eccl. 43. 20. tate, & absque jactantia verificetur, quod de Nivis candore Salomon scripsit: *Pulchritudinem candoris ejus admirabitur oculus.*

Quarta Causa est *Instrumentalis*; videlicet insipientia mea in his INSTITUTIONIBUS conscribendis; quæ tamen correlativa est ad illam VIÆ LACTEÆ; scilicet ad Divinam Clementiam, quæ, ut testatur Ecclesia, *infirma Mundi eligit, ut fortia quæque confundat.* Cum sinceritate
Ps. 68. 6. cordis fateor, me nihil scire; ita ut in veritate dicam coram Deo, *Deus tu scis insipientiam meam*;
4. *Esdr.* 5. & coram hominibus id, quod dicebat de se egregius ille Scriba, & Doctor: *Ego autem insipiens.*
39. A bonitate Divina processerunt benedictiones, quas consecutæ sunt Decisiones meæ de Sacramentis, ac Miscellaneæ, Erotemata, ac Discordiæ Forenses? nec non Sacræ Geneseos explicatio; ex quibus omnibus tam Ecclesiastici, quàm Laici profitentur magnam hausisse utilitatem; & de quibus Divinæ Clementiæ humillimas ego gratias ago; hoc ipsum sperans de his Juris Ca-
Ps. 15. 7. nonici INSTITUTIONIBUS dicturus jugiter, *Benedicam Dominum, qui dedit mihi intellectum.*

Quinta tandem Causa est *Finalis*, ob quam VIÆ LACTEÆ assimilantur præsens Juris Canonici INSTITUTIONES, nempè utilitas illorum, qui earum studio vacabunt. Scribit Joannes à Sancto Geminiano *in Tract. de Exempl. & similitud. libr. 1. cap. 34. Vers. Tertia gratia*; quòd GALLAXIA propter suam claritatem, & splendorem dirigit Navigantes, & itinerantes de nocte; & in ore omnium, tanquam proverbium est, quòd VIA LACTEA est VIA ROMÆ. Sicut

ergo

ergo ex attenta inspectione VIÆ LACTEÆ navigantes per Oceanum securi perveniunt ad Portum, & qui iter agunt per terram læti intrant Almam Urbem, & Capitolium ascendunt; ita Studiosi INSTITUTIONUM harum ad Portum Laureæ Doctoralis certo, ac suavi itinere perveniunt; atque Dignitates, Prælaturas, Canonicatus, & Beneficia, quæ eruditis in Jure Canonico jugiter dispensantur, feliciter obtinebunt; quandoquidem Ecclesia indiget Viris Litteratis pro bono Animarum regimine. *cap. Super specula. Ne Cleric. vel Mon. cap. Cum ex eo.* ubi DD. *de Elect. in 6.* & præcipuè habentibus perfectam Sacrorum Canonum cognitionem. *cap. de Persona. 11. q. 1. cap. Nulli Sacerdotum. dist. 38.* Canones enim sunt medulla Legum, & Theologiæ Moralis fundamentum; nec apti sunt regere Ecclesias, populosque eis subjectos in spiritualibus instruere, qui Sacros Canones ignorant, ut inquit Baldus *in cap. Cum causam. col. 2. de Probat.*

Igitur Studiosi Juvenes, ac alii Nobiles Viri ad Ecclesiasticas Prælaturas adspirantes, læto animo his INSTITUTIONIBUS dignentur incumbere; per eas, tanquam per VIAM LACTEAM, celeriter, ac facilè ad intelligentiam Sacrorum Canonum perventuri; & ex illa amplissimas utilitates consecuturi, quas iisdem sincero corde auguror, spondeo, atque polliceor. Valete.

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di revisione, & approbatione del P. F. Tomaso Maria Gennari Inquisitore nel Libro intitolato: *Via Lactea, sivè Institutiones Juris Canonici, Auctore Joanne Clericato*, non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo Licenza ad Andrea Poletti Stampatore, che possi esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle pubbliche Librarie di Venezia, & di Padova.

Dat. 18. Settembre 1713.

Girolamo Venier Kav. Proc. Reform.
Francesco Loredan Kav. Proc. Reform.

Agostino Gadaldini Segret.

INDEX TITULORUM
LIBRI PRIMI.

Tit. I.	DE *Jure Canonico.*	pag. 1
Tit. II.	*De Jure Divino, Consuetudine, & Constitutionibus.*	2
Tit. III.	*De Ecclesiasticis Constitutionibus.*	3
Tit. IV.	*De Jure Personarum.*	5
Tit. V.	*De Episcopis, & Summo Pontifice.*	idid.
Tit. VI.	*De Electione.*	6
Tit. VII.	*De iis, qui eligere, eligivè possunt.*	7
Tit. VIII.	*De Postulatione Prælatorum.*	8
Tit. IX.	*De Confirmatione.*	ibid.
Tit. X.	*De Consecratione.*	9
Tit. XI.	*De Receptione, & Auctoritate Pallii.*	10
Tit. XII.	*De Vita, & Honestate Prælatorum.*	ibid.
Tit. XIII.	*De officio Archidiaconi.*	11
Tit. XIV.	*De officio Archipresbyteri.*	ibid.
Tit. XV.	*De officio Vicarii.*	12
Tit. XVI.	*De Coadjutore.*	ibid.
Tit. XVII.	*De Chorepiscoporum usu sublato.*	13
Tit. XVIII.	*De Translatione.*	ibid.
Tit. XIX.	*De Renunciatione.*	ibid.
Tit. XX.	*De Depositione, seu Degradatione.*	14
Tit. XXI.	*De Sacerdotibus in inferiori gradu constitutis.*	15
Tit. XXII.	*De iis, qui sunt in Sacris constituti.*	ibid.
Tit. XXIII.	*De iis, qui sunt in minoribus Ordinibus constituti.*	ibid.
Tit. XXIV.	*De his, quæ sunt communia tam majorum, quàm minorum Ordinum.*	16
Tit. XXV.	*De iis, qui promoveri non possunt.*	17
Tit. XXVI.	*De Præbendis, & aliis Beneficiis.*	18
Tit. XXVII.	*De Collationibus.*	ibid.
Tit. XXVIII.	*De Institutionibus, & Jurepatronatus.*	21
Tit. XXIX.	*De Clericis non residentibus.*	22
Tit. XXX.	*De Regularibus, ac Monachis.*	ibid.

INDEX TITULORUM LIBRI SECUNDI.

Tit. I. De Rerum divisione. pag. 24
Tit. II. De Sacramentis. ibid.
Tit. III. De Baptismo, & ejus effectu. 25
Tit. IV. De Sacramento Chrismatis. 26
Tit. V. De Pœnitentiis, & Remissionibus. 27
Tit. VI. De Eucharistia. 28
Tit. VII. De Extrema Unctione. ibid.
Tit. VIII. De Sacramento Ordinis. 29
Tit. IX. De Sacramento Matrimonii. ibid.
Tit. X. De Sponsalibus. ibid.
Tit. XI. De Nuptiis. 31
Tit. XII. De his, quæ Matrimonium impediunt. ibid.
Tit. XIII. De Triplici Cognatione. 32
Tit. XIV. De Clandestina Desponsatione. 33
Tit. XV. De his, qui Matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari. 34
Tit. XVI. De Divortiis. 35
Tit. XVII. De Rebus Sanctis, Sacris, & Religiosis. 37
Tit. XVIII. De Construendis, consecrandis, & reparandis Ecclesiis, & Altaribus. ibid.
Tit. XIX. De Unionibus Ecclesiarum. 39
Tit. XX. De Immunitate Ecclesiarum, & Subjectione. 40
Tit. XXI. De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus. 41
Tit. XXII. De Capellis Monachorum. 42
Tit. XXIII. De Religiosis Domibus. ibid.
Tit. XXIV. De Sepulturis. 43
Tit. XXV. De Canonica Portione. 44
Tit. XXVI. De Decimis. 45
Tit. XXVII. De Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non. 47
Tit. XXVIII. De Peculio Clericorum, relictis, & Successionibus eorum. ibid.

INDEX TITULORUM LIBRI TERTII.

Tit. I. De Judiciis, & illorum divisione. pag. 49
Tit. II. De Procuratoribus. 53
Tit. III. De Pactis, & Transactionibus. 55
Tit. IV. De Arbitris. ibid.
Tit. V. De In jus vocando. 56
Tit. VI. De Dolo, & contumacia, & in possessionem missione. 58
Tit. VII. De Libelli conceptione, & oblatione. 59
Tit. VIII. De Exceptionibus, & Replicationibus. 60
Tit. IX. De Mutuis petitionibus. 63
Tit. X. De Restitutione Spoliatorum. 64
Tit. XI. De Litis contestatione. 65
Tit. XII. De Juramento calumniæ. 66
Tit. XIII. Ut Lite pendente nihil innovetur. 67
Tit. XIV. De Probationibus. ibid.
Tit. XV. De Sententiis, & Re judicata. 70
Tit. XVI. De Executione rei judicatæ. 72
Tit. XVII. De Appellationibus. ibid.
Tit. XVIII. De Restitutione in integrum. 73

INDEX TITULORUM LIBRI QUARTI.

Tit. I. De Accusationibus, Denunciationibus, & Inquisitionibus. pag. 75
Tit. II. De Duplici Purgatione. 76
Tit. III. De Simonia. 77
Tit. IV. De Hæreticis, Schismaticis, & Apostatis. 78
Tit. V. De Sortilegis, Maledicis, & Sacrilegis. 79
Tit. VI. De Furtis. 80
Tit. VII. De Usuris. ibid.
Tit. VIII. De Adulteriis, & aliis conjunctionibus illicitis. 81
Tit. IX. De Crimine Falsi. 84
Tit. X. De Homicidio. 85
Tit. XI. De Injuriis, & damno dato. 86
Tit. XII. De Ecclesiasticis Censuris. 88
Tit. XIII. De Sententia Excommunicationis. 90
Tit. XIV. De Excommunicatione contra pugnantes in Duello. 92
Tit. XV. De Excommunicatione contra violantes Clausuram Monialium, & [illegible] 93
Tit. XVI. De Ecclesiastico Interdicto. 95
Tit. XVII. De Suspensione à Divinis. 96
Tit. XVIII. De Irregularitate. 98

VIA

VIA LACTEA SIVE INSTITUTIONES JURIS CANONICI.

LIBER PRIMUS.

TIT. I.

De Jure Canonico.

IN quacunque scientia, ad ejus cognitionem acquirendam, principia ipsius oportet investigare: sic accedentibus ad studium Juris Canonici convenit scire ejusdem Juris principia. Quapropter in primis breviter explicandum est

1. *Quid sit Jus Canonicum?*
2. *Quis Juris Canonici fuerit primus Auctor?*
3. *Quando initium habuerit Jus Canonicum?*
4. *Cujus ejus sit finis?*
5. *Ex quibus Præceptis emanaverit?*

Quò ad Primum. Sciendum est Jus Canonicum; prout etiam lex Canonica plures habere Etymologias; nam dicitur *Jus* à *Jubendo*; quia jubet, & præcipit, quæ sunt facienda; vel quæ veniunt evitanda. Item vocatur *Jus* à *Justitia*; nam mandat & ordinat fieri, quæ justa, & recta sunt; atque prohibet, quæ injusta, & iniqua censentur: & ideò dicitur *Canonicum* à verbo Græco *Canon*, quod significat latine *Rectum*, & *Regulam*. Pari modo appellatur *Lex Canonica*, quia, ut docet S. Thom. 1. 2. *qu.* 90. *art.* 1. Lex dicitur vel à *ligando*, quia obligat, & ligat homines ad ejus observantiam: vel juxta M. Tullium 1. *de Legib. à legendo*, & *diligendo*; quia prævia multa lectione est componenda; vel secundùm D. Isidor. *lib.* 2. *Etym. cap.* 10. debet dari in scriptis, ut à subditis, qui eam servare debent, legatur; & tanquàm recta Regula pro bene operando, eorundem oculis inspicienda detur. His stantibus definitur Jus Canonicum, ut sit *Regula recta, quæ Christianorum actiones ad finem æternæ beatitudinis dirigit; ex Scripturis Sacris, Summorum Pontificum Decretis, & Sanctorum Patrum scriptis deducta.* Dicitur *Christianorum actiones*, quia Jus Canonicum principaliter institutum est pro populi Christiani bono regimine: non autem Paganorum; vel Infidelium. Dicitur *ad finem æternæ beatitudinis*, quia, (ut infra declarabimus) talis est scopus, & Intentio hujus Juris. Dicitur *ex Scripturis Sacris, &c.* nam ex earum lectione, studio, & observatione, nec non ex Constitutionibus Papalibus, ac Sanctorum Patrum documentis formatum est.

Quò ad Secundum. Respondet Aloysius Riccius *in addit. ad Institut. Canon. Lancellottii lib.* 1. *tit.* 1. *§. Constat, in fin.* quòd Christus Dominus Redemptor Noster fuit primus Auctor, & Institutor Juris Canonici; siquidem ipse dedit auctoritatem Petro condendi leges Canonicas, dum ei commisit regimen totius Ecclesiæ, quando dixit: *Petre pasce oves meas. Jo.* 21. idest guberna, rege, & curam habe animarum, quæ per Baptismum ingredientur in Ecclesiam meam: non enim populus fidelis bene regi, pasci, & gubernari potest absque Legibus, quæ à Summis Pontificibus, (quorum primus fuit Petrus) nec non ab aliis Episcopis, qui Successores sunt Apostolorum, promulgantur; & hæ leges efficiunt Jus Canonicum. Hinc etiam Christus Dominus præcipit omnibus fidelibus Ecclesiam suam ingressuris, ut obediant Juri Canonico; idest Legibus, quæ per Pontifices, ac Episcopos ipsis observandæ proponentur; aliàs à gremio Ecclesiæ excludantur, ut habetur in illis verbis *Matth.* 10. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.*

Quò ad Tertium. Jus Canonicum principium habuit in initio Ecclesiæ; primò, quando ab Apostolis electus fuit Sanctus Matthias ad Apostolatum. *Act.* 1. Electio enim Prælatorum est de Jure Canonico, *cap.* 1. *& tot. tit. de Elect.* Secundò, quando prædicantibus Apostolis Fidem Christianam in Jerusalem, ut habetur *Act.* 6 *factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano Viduæ eorum*; videlicet in distributione eleemosynarum, quæ quotidie fiebant pro alimentis conversorum ad fidem: Ideò Sancti Apostoli ad servandam mutuam in baptizatis charitatem, congregantes se, & adhibito seniorum discipulorum consilio, fecerunt

cerunt decretum eligendi, prout statim elegerunt septem Diaconos; quibus inter cætera officia dederunt onus præsidendi Mensis, & ministerium distribuendi eleemosynas pauperibus. In hoc igitur Apostolorum concilio initium habuit Jus Canonicum ex decreto ab iisdem Apostolis facto circa Diaconorum ministeria, officia, ac functiones; tùm in cura pauperum gerenda quò ad eleemosynas; tùm in Sacrosancta Eucharistia ministranda; & hoc Concilium juxta modernum Episcopum Nucerin, in sua doctissima Historia Conciliorum, fuit *Anno Domini* 34. Successivè postea *Anno* 51. alia Decreta Juris Canonici emanarunt ab Apostolis circa Circumcisionem, & alias Mosaycas Cæremonias non observandas, prout habetur *Act.* 15. ubi ita Apostoli omnibus fidelibus rescripserunt, ac mandarunt, ut tantummodò *abstinerent ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.*

Quò ad Quartum. Finis Juris Canonici est dirigere hominem ad consequendam beatitudinem æternam in Cœlis, ad differentiam Juris Civilis, cujus finis est conducere populum ad temporalem felicitatem. Homo enim in duplici Politia consideratur; *Una* civili ad pacifice convivendum; *Altera* spirituali ad sanctè vivendum; & ideò indiget duplici directione pro utroque fine obtinendo. Sicut igitur Jus Civile intendit conducere homines ad felicitatem præsentis vitæ; sic Jus Canonicum illos dirigit ad felicitatem præsentis vitæ; sic Jus Canonicum illos dirigit ad felicitatem supernaturalem, quæ est Vita æterna; ut ex mente S: Thomæ, & Scoti disserit doctissimus Mastrius *in Theol. Moral. disp. 2. de Legib. num.* 83.

Quò ad Ultimum. Respondetur Jus Canonicum formatum esse, ac emanasse ex Præceptis Juris Divini, Consuetudine, & Ecclesiasticis Constitutionibus, de quibus in sequenti titulo est despiciendum.

TIT. II.

De Jure Divino, Consuetudine, & Constitutionibus.

CUm itaque Jus Canonicum emanaverit ex Jure Divino, ex Consuetudine, & ex Ecclesiasticis Constitutionibus, in primis, & ante omnia convenit scire:

1. *Quid sit Jus Divinum?*
2. *Quotuplex sit?*
3. *Quid, & quotuplex sit Consuetudo?*
4. *Quot requirantur, ut sit valida?*
5. *Quid sit, & quotuplex Constitutio?*

Quò ad Primum. Jus Divinum dupliciter sumi potest; *largè, & strictè.* Largo modo, si sumatur, est ipsa Mens Divina, quæ cùm ab æterno præordinaverit creationem mundi in tempore faciendam; tunc etiam tanquam supremum principium tum rerum omnium, ac hominum futurorum, præscripsit rationem gubernationis eorundem juxta ejus infinitam sapientiam, ut legitur *Prov.* 8. & prout advertit S. Thomas 1. 2. *qu.* 91. *art.* 1. subdens quòd hoc respectu Jus Divinum taliter acceptum vocatur *Lex æterna*; & idem scribit Bonacina *tom. 2. de Legib. in genere disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 2. *num.* 2. & Mastrius *in Theol. mor. disp.* 2. *num.* 3. ubi dat hanc definitionem, videlicet *est Regula, secundum quam vel ad benè agendum dirigimur, vel à malè agendo retrahimur.* Jus verò Divinum *strictè*, & propriè sumptum est illud, quod Deus per seipsum ad homines tulit, & iisdem indicavit, ut ait Azor. *tom.* 1. *Instit. Moral. lib.* 5. *cap.* 1. *quæst.* 5. vel est illud, quod continetur in Scriptura Sacra, & in Evangelio, & est immutabile, ut scribit Lancellot. *in hoc tit.* 2. §. 1. Hinc notant tam Theologi, quàm Canonistæ: neminem posse dispensare contra præcepta Juris Divini, ut habetur *in cap. Sicut quædam, dist.* 14. *in cap. Sunt quidam, in cap. contra Statuta, & in cap. Omne,* 25. *qu.* 1. Et ratio est, quia nemo potest dispensare contra legem Superioris: Deus autem est Superior omnium hominum, qui Deo tanquam supremo Superiori suo parere debent. Admittunt tamen Doctores, posse aliquando Summum Pontificem interpretari in casu dubio non esse obligationem parendi Legi Divinæ; vel materiam non esse obligatoriam, ob aliquam gravem causam, ut quando dispensat ab observantia Voti, ut differit Mastrius *d. disp.* 2. *de Legib. num.* 78.

Quò ad Secundum. Jus Divinum duplex est, *Vetus, & Novum.* Jus Divinum Vetus est illud, quod traditum fuit à Deo hominibus per Moysem; & dicebatur *Lex Mosayca*, quæ habetur in libris Exodi, Levitici, & Numerorum. Jus Divinum *Novum* est illud, quod à Christo Domino insinuatum est Ecclesiæ, & continetur in Evangeliis. Legis Divinæ veteris Præcepta erant triplicia, nempe *Moralia, Cæremonialia, & Judicialia.* Prima continebantur in Decalogo, quod legitur *Exod.* 20. & erant decem; quæ his versibus sunt descripta:

Idola sperne: Dei tibi non sit Nomen inane:
Sabbata sanctifices: Habeas in honore Parentes:
Non Occisor eris: Mœchus: Fur: Testis iniquus:
Non alii Nuptam: Non rem cupies alienam.

Præcepta Cæremonialia erant illa, quæ Populo Hebræo ad Deum ritè colendum, per Sacrificia, aliosque ritus Sacros, & Cæremonias ab ipso Deo præscripta erant; & quidem plurima, quæ leguntur *Exod.* 23. *à num.* 14 *& seqq.* & in toto Libro *Levitici*; qui talis dicebatur, nempe *Sacerdotalis, aut Sacrificatorius*; in eo enim continentur omnia Præcepta Divina Cæremonialia, quibus Israeliticus populus Deo, & Dei cultui allectus erat circa oblationes, & Sacrificia. Præcepta autem Judicialia erant plurima pariter & ipsa; ac habentur in tribus Capitulis *Exodi* 21. 22. & 23. & fuerunt à Deo præscripta ad populum Hebræum justè, & pacificè gubernandum; atque ad lites inter eosdem Hebræos dirimendas. Ex prædictis omnibus Præceptis Moralia tantùm nunc vigent, & remanent observanda; etenim Cæremonialia, & Judicialia omnia extincta sunt per legem Evangelicam, illa enim omnia erant figura, & umbra mortis Christi, per quam Novum Testamentum veniebat inducendum, & Jus majoris perfectionis ad beatitudinem æternam obtinendam noviter promulgandum. Quando autem præcisè, & in quo puncto Præcepta Divina Cæremonialia, & Judicialia cessaverint? Variæ sunt DD. opiniones; quarum communior est, cessationem contigisse statim post Festum Pentecostes, dum Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum novam legem Evangelicam promulgare cœperunt, ut probat Mastrius *d. disp.* 2. *de Legib. à num.* 63. *& seqq.*

Præcepta tandem Legis Evangelicæ sunt quadruplicia; alia enim sunt *Fidei*, alia *Spei*, alia *Charitatis*, & alia Sacramentorum. Azor. *d. tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 5. *cap.* 1. *qu.* 5.

Quò

Quò ad Tertium. Cùm Jus Canonicum emanaverit non solùm ex Præceptis Juris Divini, sed etiam ex Consuetudine; sciendum est, quòd *Consuetudo est Jus quoddam moribus institutum, quod pro Lege suscipitur, dummodo Divino Juri, neque Canonicis contradicat Constitutionibus.* Ita Lancellot. *hoc tit. §. 2. & 3.* Duplex autem est Consuetudo *scripta*, & non *scripta*. Prima est, quando Decuriones Civitatis eam in scriptis redegerunt, & tales sunt Consuetudines Feudorum, *cap. Consuetudo dist. 1. l. De quibus, ff. de Legib.* Altera est, quæ caret scriptis; & hæc est proprie Consuetudo, quam tamen allegans probare debet. Abb. *in cap. fin. de Consuetudine.*

Quò ad Quartum. Quinque requiruntur ad inducendam Consuetudinem vim Legis habentem, & obligantem. Primò, ut sit rationabilis; nec bonis moribus adversetur; tunc enim non esset consuetudo, sed corruptela; & non obstante quocunque temporis cursu minimè observanda foret, *cap. fin. de Consuetud.* Secundò, quòd sit legitimo tempore observata; videlicet in rebus Civilibus per decem saltem annos; in Ecclesiasticis per quadraginta. Glossa *in d. cap. fin. de Consuetud.* Tertiò, quòd adsint actus frequentes. *l. 1. C. Quæ sit longa Consuet.* & ideò unicus actus non sufficit ad inducendam consuetudinem; etsi quando fuisset inducta sufficeret unicus actus contrarius ad eam abolendam. Bart. *in l. De quibus, 32. ff. de Legib.* Quartò, quòd inducatur animo obligandi; & in illis rebus, in quibus eam inducentes possunt seipsos obligare. Hinc si quid fiat ex sola liberalitate, non nascitur obligatio ita in posterum faciendi; nam in facultativis non inducitur consuetudo. Nicol. *Instit. Civil. lib. 1. tit. 2. num. 51.* Et si Clerici consentiant in actibus Ecclesiasticæ immunitati contrariis non valet eorum consuetudo. Nicol. *ubi sup. n. 50. in fin.* Et Quintò requiritur, quòd ipsa consuetudo non sit à Principe prohibita, damnata, seu abrogata, tam de præterito, quàm de futuro; Nicol. *ibid. num. 46.* Hinc Consuetudines præjudiciales Ecclesiis, vel Personis, aut bonis Ecclesiasticis introduci non possunt; & quatenus fuissent introductæ substineri non valent; quia Urbanus Papa VIII. *Anno 1641. per Bullam diei 5. Junii. Incipien. Romanus Pontifex.* Hujusmodi omnes Consuetudines cassavit, & annullavit; ac introduci vetuit, ut notat Fagnan. *in cap. Consuetudines, num. 59. & 60. de Consuetud. tom. 1.* Illud etiam est notandum, quòd sæpè Consuetudo à Doctoribus vocatur Præscriptio, quia hæc duo nomina sunt synonima; & unum, ac idem significant. Verè tamen, ac propriè Consuetudo est illa, quæ observatur ab universitate populi; Præscriptio verò, quæ est in usu apud privatas, & singulares personas tantùm; requirit autem & ipsa omnes illas quinque conditiones, & qualitates ad sui valorem, quas suprà retulimus de Consuetudine. Adden. ad Rotam coram Ludovisio *Decis. 191. num. 6.* & Eminentiss. Card. de Luca *de Jurisdict. discept. 34. num. 28.* Tandem sciendum, quòd Doctori attestanti de Consuetudine non est credendum; sed est probanda per illum, qui se fundat in illa. Rota coram Coccino *Decis. 123. num. 27. & 28.* & coram Othobono *Decis. 149. n. 14. & 15.* Nicol. *d. lib. 1. Instit. Civil. tit. 2. num. 53.*

Quò ad Quintum. Constitutio est omnis Lex scripta, *cap. Constitutio, dist. 2.* & toto titulo *extr. de Constitutionib.* ac ita dicitur quasi *communis Statutio*, quia obligat omnes subditos illius, à quo ipsa fit, & promulgatur. Constitutionum autem aliæ sunt Civiles, aliæ Ecclesiasticæ. Et quidem Civiles sunt, quas Princeps, aut Magistratus laicus promulgat, vel quas Populi sibimetipsis observandas proponunt. Et hæ tanquàm leges sunt observandæ, & reverenter suscipiendæ, *dist. 10. per tot.* dummodò non sint contra Evangelium, vel Decalogum, aut Jus naturale, *Clem. Pastoralis, de Sent. & re Judic.* Sed utrùm obligent in conscientia? & sub pœna peccati mortalis? Non sunt concordes DD. nam alii asserunt, & alii negant, ut *in cap. 1. de Constit.* S. Thomas 2. 2. *qu. 86. art. 9.* Novissimè Mastrius *disp. 2. de Legib. numer. 127. & seqq.*

Ecclesiasticæ verò Constitutiones sunt illæ, quæ repositæ habentur in corpore Juris Canonici; & sunt collectæ vel ex Conciliis Sacris, vel ex dictis Sanctorum Patrum, vel ex Decretis, seu Responsis Summorum Pontificum; sive ex Synodis Provincialibus, aut Diœcesanis, vel ex Bullis Pontificiis, ac Decretis Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, in eorum Congregationibus emanatis, de quibus omnibus in sequenti titulo est differendum.

TIT. III.

De Ecclesiasticis Constitutionibus.

QUoniam Ecclesiasticæ Constitutiones sunt illæ, quæ habentur in Voluminibus Juris Canonici, ut dictum est supra; idcircò ad eas cognoscendas explicare oportet.

1. *Quæ & quot sint Volumina Juris Canonici? & à quibus fuerint composita, & congesta?*
2. *Quænam sint Controversiæ, vel Materiæ, quæ discutiuntur in ijsdem Voluminibus?*
3. *Cujus Auctoritatis sint Decreta, & Constitutiones in iisdem Voluminibus repositæ.*

Quò ad Primum. Volumina Juris Canonici sunt Novem. *Primum* est Decretum Gratiani, quod in quatuor Partes principales distinguitur: Prima continet distinctiones centum, & unam. Secunda causas triginta sex cum suis quæstionibus. Tertia, tractatum de Pœnitentia, in septem distinctiones divisum. Quarta agit de Consecratione tam rerum inanimatarum, quæ sunt Ecclesiæ; quàm animatarum, qui sunt Homines, Dei servitio, ac cultui Divino per Ordines minores, ac Sacros, promoti. Gratianus fuit Monacus Benedictinus, patria Clusinus, qui floruit tempore Eugenii Tertii Pontificis, & Conradi Tertii Imperatoris *Anno Domini 1145.* Scripsit hoc Volumen Bononiæ in Monasterio Sancti Felicis, & notat Eminentiss. Cardin. Bellarminus *de Scriptoribus Ecclesiasticis, verb. Gratianus, Anno 1140.* *Secundum* Volumen continet quinque libros Decretalium ex Pontificum responsis, & Constitutionibus, nec non ex Generalium Conciliorum, & aliquorum Provincialium, atque Diœcesanorum Decretis, per Sanctum Raymundum de Penna forti Barcinonen. Ordinis Prædicatorum, jussu Gregorii Noni *Anno 1230.* compilatum, & confectum; ut testatur ipsemet Gregorius Nonus in Proemio ejusdem Voluminis Decretalium. *Tertium* Volumen est Liber sextus Decretalium, de mandato Bonifacii Papæ VIII. *Anno 1294.* à tribus doctissimis Viris, ac Sacrorum Canonum Professoribus, Guilielmo Archiepiscopo Ebrudunen.

dunen. Berengario Episcopo Biteren. ac Magistro Richardo de Senis S. R. E. Vicecancellario, ex Epistolis Summorum Pontificum compositum, in quinque libros, ac Titulos septuaginta septem subdivisum; ut ex Proemio ejusdem Voluminis, ac Libri sexti deprehenditur. *Quartum* Volumen continet Clementinas; ideit Constitutiones à Clemente Papa Quinto, *Anno* 1305. electo, in Concilio Viennensi promulgatas; quas, cum aliis ejusdem Pontificis editis, Joannes Papa XXII. ipsius Successor in unum collectas, & in quinque libros, ac quinquaginta duos Titulos subdivisas, *Anno* 1318. publicavit, pro ut in earumdem Clementinarum Proemio continetur. *Quintum* Volumen includit Extravagantes tum ejusdem Joannis Papæ XXII. nempè Constitutiones, quæ tùm ab ipso, post editas Clementinas, tum ab aliis Pontificibus fuerunt promulgatæ, ut legitur in earum Proemiis. *Sextum* Volumen appellari possunt Bullaria continentia Constitutiones Summorum Pontificum, quæ non habentur in corpore Juris; sed sunt collectæ à Laertio Cherubino Jurisconsulto Romano: & incipiunt à S. Leone Papa, & prosequuntur usque ad Urbanum VIII. quatuor Tomos efformantes, quibus alii duo Tomi adjecti sunt, qui continent ultimas Constitutiones ejusdem Urbani VIII. nec non Successorum Pontificum usque ad Clementem XI., nunc feliciter regnantem. His Tomis sex adjungi possunt alii duo habentes Privilegia, & Constitutiones Apostolicas, quæ à diversis Summis Pontificibus emanarunt ad favorem Illustrissimæ, ac Amplissimæ Congregationis Monachorum Casinensium; & hi fuerunt confecti à R. P. D. Cornelio Margarino ejusdem Congregationis Generali Archivista. *Septimum* Volumen Ecclesiasticarum Constitutionum appellari possunt Tomi quinque Conciliorum tàm Generalium, quàm Provincialium typis impressi Venetiis per Dominicum Nicolinum *Anno* 1585. in quibus habentur integri actus, Decreta, & Sessiones eorumdem omnium Conciliorum: ac hi sunt illustrati à moderno Episcopo Nucerino, qui nuperrimè scripsit eruditissimam Historiam Conciliorum, typis datam Venetiis per Andream Poletum *Anno* 1686. *Octavum* Volumen vocari potest postremum Generale Concilium Tridentinum, quo in præsenti regitur universalis Ecclesia tum in articulis fidei, & Sacramentorum; tum circa regimen Populi Christiani quò ad Divinum cultum, & observantiam Legis Evangelicæ, Episcopis, Parochis, & aliis animarum Pastoribus incumbens. *Nonum* tandem Volumen reputari possunt Libri Decretorum, seu Declarationum Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, quas pronunciant Romæ in Congregationibus S. Rituum. Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium; ac de aliis rebus, & super aliis Negotiis, Christianam Rempublicam concernentibus, per Summos Pontifices institutis: quamvis enim disputent Moralistæ: An prædictæ Declarationes habeant vim legis; ut videre est apud Dianam *part.* 1. *tract.* 10. *resol.* 29. quæ in ejus Opere Coordinato habetur *to.* 6. *tract.* 1. *resol.* 21. Sententia affirmativa est verior, quando exhibentur in forma Authentica; ut probat Barbosa *de Jure Eccles. Univ. lib.* 1, *cap.* 4. *num.* 83. & dixit Rota coram Buratto *decis.* 479. *num.* 21: Declarationes supradictæ non publicantur, neque typis imprimuntur; sed passim à Doctoribus allegantur: & earum Augustinus Barbosa Librum satis amplum collegit, quem *Summam Apostolicarum Decisionum* inscripsit, & novissime idem fecit Hieronymus Nicolius *in suis Flosculis*, ordine alphabetico digestis.

Quò ad Secundum. Controversiæ, seu Materiæ, quæ discutiuntur in his Voluminibus, sunt Quadruplicis generis: aliæ enim concernunt personas Ecclesiasticas, & earum alimenta; aliæ Sacramenta, & Ecclesiarum Immunitatem, cultum, & nitorem; aliæ dant formam Judiciis, & Foro contentioso pro personis Ecclesiasticis, & Religiosis: Aliæ tandem agunt de harum Personarum delictis, & pœnis: ac præcipuè de Ecclesiasticis Censuris. Igitur in primis disseritur de Summo Pontifice, de Episcopis, ac aliis Prælatis inferioribus; de Canonicis, Sacerdotibus, & aliis clericis: quomodò hi omnes eligantur, & promoveantur: & postquam fuerint electi, ac promoti, quomodò, & quando Præbendis, & Beneficiis decorentur; & de his omnibus in primo harum Canonicarum Institutionum Libro. Secundæ, quas secundus Liber complectitur, declarant septem Sacramenta Ecclesiæ, ac omnia Matrimonii impedimenta; & subindè de Immunitate Ecclesiarum agunt, nec non de Censibus, Decimis, ac aliis rebus, quæ iisdem Ecclesiis, & earum Rectoribus debentur. Tertiæ, quæ in tertio Libro continentur, explicant formam procedendi civiliter in foro Ecclesiastico contra Personas religiosas, & eidem Foro subjectas. Ultimæ, quæ in quarto Libro examinantur, respiciunt crimina Clericorum, dant formam criminaliter agendi contra illos; & explicant pœnas, & præcipuè Ecclesiasticas Censuras, quibus debent puniri. Ex his omnibus resultat integer Tractatus totius Juris Canonici, in prædictis novem Voluminibus contenti; & ex hac compendiosa explicatione Studiosi Adolescentes, brevi, ac jucundo itinere, ad intelligentiam omnium Sacrorum Canonum conducuntur.

Quò ad Tertium. Si quærimus, cujus Auctoritatis sint Decreta, & Constitutiones in supra relatis novem Voluminibus repositæ? Distinguere oportet Primum Volumen, vocatum *Decretum Gratiani*: ab aliis octo subsequentibus Voluminibus supra relatis. Decretum Gratiani, secundùm communem Canonistarum opinionem, non habet auctoritatem Juris, nec vim Legis in tribus: videlicet in Rubricis, in Capitibus, quæ inscribuntur *Palea*, & in Legibus Civilibus, ac Canonibus, qui non reperiuntur in locis, ab eodem Gratiano citatis, & desumptis; ut plenè disserit Fagnanus *in cap. Canonum Statuta à num.* 37. *& seqq. De Constitutionibus tom.* 1. Primò Rubricæ, quæ singulis Capitulis Decreti reperiuntur præpositæ, Canonis auctoritatem non habent, ex pluribus rationibus, quas adducit Fagnan. *ubi supra num.* 40. sed præcipuè quia sivè eas fecerit Gratianus, sive aliquis ejus discipulus, neuter poterat eis tribuere Jus, aut auctoritatem Canonis, quam non habebat, *cap. Translato. De Constitut. l. fin. ff. de Legib.* Secundò, capitula ejusdem Decreti Gratiani, cum hac voce *Palea*, non sunt pro Canonibus recipienda, quia proveniunt ab in-

certo

certo Auctore; ut notant DD. ab eodem Fagnano *num.* 43. citati; qui *num.* 44. subdit, eundem Gratianum dixisse, cùm ipse postea viderit additionem illorum capitulorum operi suo, *Palea est, non est de grano meo.* Tertiò plures leges Civiles, & Canones antiqui inserti sunt, per errorem ab eodem Gratiano in suo Volumine Decreti, quæ in originalibus libris Juris Civilis, vel Canonici non reperiuntur; ut notat Emin. Card. Bellarminus *de Script. Eccles. dict. verb. Gratian.* Ideò nisi prædicta Jura Civilia, & Canones Sacri reperiantur in fonte apud eorum Auctorem, vim Legis habere non possunt. Cætera Capitula totius Decreti, quæ vera sunt, vim legis obtinent, potissimùm post expurgationem ejusdem Voluminis Gratiani factam de mandato Gregorii Papæ XIII. qui illud approbavit, & voluit esse partem Juris Canonici, ut legitur in principio ejusdem Decreti; & notat Fagnan. *in d. cap. Canonum num.* 46. *de Constitut.* Hæc de primo Volumine.

Quò ad sequentia quinque Volumina, in quibus continentur Decretales Gregorii IX. Liber sextus Bonifacii Octavi, Clementinæ, & Extravagantes Joannis XXII. nec non Bullaria Romana, in quibus habentur Pontificiæ Constitutiones, firmiter est tenendum, ea omnia esse Scrinia Sacrosancta, in quibus reconditi sunt thesauri Juris Canonici; omnes enim Canones, decreta, Mandata, & Constitutiones eorundem Quinque Voluminum habent vim Legis, & ab omnibus sunt servandæ, *cap. Canonum, de Constitut.* & qui eas non servant, blasphemare dicuntur Spiritum Sanctum, *cap. Violatores* 25. *quæst.* 1. Et ideò Papæ Decreta servanda sunt, ita ac si à Sancto Petro essent facta, *cap. Sic omnes, cap. Si Romanorum, cap. Nulli fas sit. Dist.* 19. *& cap. Si Decreta, distinct.* 20. & ita communiter docent omnes Theologi, ac Canonistæ, quos longa serie allegat Fagnan. *in dict. cap. Canonum Statuta, à num.* 6. *& seqq. de Constitut.*

Septimum Juris Canonici Volumen, quod formari diximus à quinque Tomis Conciliorum Generalium, habet & ipsum vim Legis: & dicitur tantam habere auctoritatem, quantam quatuor Evangelia, *cap. Sicut Sancti Evangelii, dist.* 15. quare quæ in eis sunt decreta, & definita sunt ab omnibus observanda, *cap. A Sanctis.* 25. *quæst.* 1. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *in Epitome Canonum. Verb. Conciliorum Generalium Sanctitas, & auctoritas ad definiendum, ob obligandum, pag.* 190.

De octavo ejusdem Juris Canonici Volumine, quòd Tridentinum Concilium esse posse diximus, nefas esset dubitare, An omnia, & singula ejus Decreta, & Statuta vim legis habeant? tum quia idem Concilium *in cap.* 2. *sess.* 25. *de Refor.* mandat, & præcipit, ea ab omnibus servari; tum etiam quia Pius Papa Quartus in Bulla confirmatoria ejusdem Concilii, & in ejus fine impressa, jubet, & mandat omnibus, & singulis Episcopis in virtute Sanctæ obedientiæ, ut eadem Decreta, & Statuta in judicio, & extra judicium observent, & à subditis quisque suis inviolabiliter faciant observari.

Idem de Nono Volumine, scilicet de Declarationibus, & Decretis SS. Congregationum Eminentiss. S. R. E. Cardinalium, ut supra ex Barbosa dictum est, & ego ostendi in meis Decisionibus *de Sacram. Ord. decis.* 15. *num.* 31. & latius in meis Discordiis Forensibus *de Jurisdict. Disc.* 2. *num.* 22. ubi DD.

TIT. IV.

De Jure Personarum.

Dictum est supra Jus Canonicum esse institutum pro recto regimine Personarum, Rerum, ac Judiciorum, quæ in foro Ecclesiastico habentur, nec non pro punitione delictorum; idcircò agendum est de Personis, & videndum.

1. *Quæ sit præcipua Personarum divisio?*
2. *Quæ Clericorum distinctio?*

Quò ad Primum. Christianorum, (de quibus semper intelligimus, cùm de his, qui foris sunt, nihil ad nos, *cap. Multi.* 2. *quæst.* 1.) duæ sunt species. Alii appellantur Laici, & sunt illi, qui civili societate conjuncti, ad humani generis propagationem ordinati videntur; & his licet temporalia possidere, Uxorem ducere, controversias sæculares judicare. Alii verò Clerici existunt; & hi sunt Divinis officiis dediti, atque addicti; ab omni sæculari negotio separati, neà Divinis distrahantur, *cap. Duo* 12. *quæst.* 1. & de utrisque agit Glossa hic *in Verb. Populares.*

Quò ad Secundum. Clerici in tres classes distinguuntur: alii enim sunt Sacerdotes; alii in Sacris ordinibus constituti; & alii nec Sacerdotes, nec in Sacris, sed in minoribus ordinibus existunt. Sacerdotes sunt Presbyteri, qui in Sacris Altissimo deserviunt; Eucharistiam conficiunt: & Sacramenta populo fideli ministrant. In sacris sunt Diaconi, & Subdiaconi: illi sunt immediati Ministri Sacerdotum, *cap. Diaconus.* 98. *dist.* Isti Diaconis subsunt; ac Sacerdotibus mediante Diacono deserviunt. Qui autem nec Sacerdotes, nec in Sacris sunt, obtinent minores Ordines, nempè Acolythatum, Exorcistatum, Lectoratum, & Ostiariatum: Acolythorum officium est, lumina pro Sacris peragendis accendere. Exorcistarum manus super Energumenis, seu lunaticis, vel à Dœmonibus obsessis imponere. Lectorum lectiones Breviarii in Ecclesia recitare; & Ostiariorum ostia Templi claudere, ac aperire, Infideles, ac Excommunicatos ejicere, *cap. Prolectis.* 25. *dist cap. Exorcista, cap. Ostiarius, cap. Lector, cap. Acolythus.* 22. *dist.*

TIT. V.

De Episcopis, ac Summo Pontifice.

Quoniam illorum, qui sunt in Sacerdotio, alii in altiori gradu, alii verò in inferiori consistunt; priùs agendum est de his, qui altiorem gradum possident; deindè de his, qui inferiores sunt, verba faciemus. Igitur in præsenti videbimus:

1. *Quis Summus Pontifex dicatur?*
2. *Quis Episcopus?*
3. *Quot sint Episcoporum ordines?*
4. *Quæ sit horum omnium authoritas?*

Quò ad Primum. In lata significatione ille est Pontifex, qui alicui populo præficitur, Civitati, ac Diœcesi pro religione conservanda, & animabus ad æternam felicitatem dirigendis;

& hic etiam Episcopus appellatur; ideoque Ecclesia in Officio Sanctorum Episcoporum, de eis cantat: *Sacerdos, & Pontifex, ac virtutum opifex &c.* Summus autem Pontifex verè, & propriè est Pontifex Romanus, qui nominatur Papa, quasi omnium Pater, & eligitur, Divino afflante Spiritu, à Cardinalibus in locum Divi Petri; habetque totius Catholicæ Religionis curam in universo Orbe; vocaturque etiam *Hierarcha*, idest Sacerdotum primus, ut in Proemio Decretalium.

Quò ad Secundum. Episcopi nomen olim fuit commune omnibus Presbyteris; sed nunc profertur solùm de Antistitibus, quibus Sacerdotes, & Clerici unius Diœcesis subiiciuntur; diciturque Episcopus, quasi *Speculator*, vel *Superintendens*, quia debet speculari omnia, quæ conferunt ad æternam salutem, ut officium adimpleat perfecti Pastoris, de quo scriptum est, *Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis.* Ita S. Thom. 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 7. *ad Primum.*

Quò ad Tertium. Tres Episcoporum ordines in Ecclesia Catholica sunt constituti; alii enim dicuntur Patriarchæ, seu Primates; & sunt illi, qui post Pontificem Romanum, primum locum tenent, & dicuntur Patriarchæ, quia in excelso loco, ac gradu consistunt, ac Patrum Principes appellantur, *cap. Cleros. §. Ordo.* 21. *dist.* & sunt quatuor præcipui; scilicet Constantinopolitanus, Alexandrinus, Hierosolymitanus, & Antiochensis. Alii verò Archiepiscopi, ac Metropolitani dicuntur, & sunt Principes Episcoporum unius Provinciæ: quia in Civitate principali Provinciæ degunt; & sub se habent plures Episcopos. *c. Scitote.* 6. *qu.* 3. Alii tandem sunt Episcopi, qui populis Civitatis, in qua degunt, & villarum subditarum, intra certos fines suæ Diœcesis, præsunt, *cap. Illud* 80. *dist. cap. Provinciæ, dist.* 98.

Quò ad Postremum. Si de Summo Pontifice loquimur, ipse omnia potest, *cap. Cuncta* 9. *qu.* 3. & de omnibus cognoscit; nullus autem de illo, ut notatur *in dict. cap. Quamvis.* 25. *dist.* Si de Patriarchis tractamus, maximam & ipsi habent auctoritatem; cognoscunt enim in causis appellationum de his, quæ ab Episcopis, & Archiepiscopis sunt decisa; dummodò subsint eorum ditioni, & Provinciæ. Abb. *in cap. Duo simul, extr. de Offic. ordin.* Hinc factum est, quòd in signum Auctoritatis, ante illos Crux deferatur erecta per vias, & in quocunque loco, nisi sit præsens Summus Pontifex, vel Legatus de Latere, *cap. Antiqua de Privileg.* Archiepiscopi quoque possunt inter suos suffraganeos, & auxiliatores cognoscere, *cap. Pastoralis, de Offic. Ordin.* & ex justa causa possunt etiam Provinciale convocare Concilium. §. 1. *supr. de Eccles. Constitut.* Ipsi quoque possunt ante se Crucem deferre, sed non in omni loco, ut faciunt Patriarchæ, sed tantummodò in eorum Provincia, nisi ex Privilegio, aut consuetudine, vel Præscriptione hoc eis sit indultum. Abb. & Host. *in cap.* 1. *Ut lite pend. nihil innov.* Tandem Episcopi visitant Ecclesias sibi commendatas; conficiunt Sacrum Chrisma; consecrant Altaria; & Ecclesias pollutas reconciliant; ordinant Clericos, eos suspendunt à Divinis, deponunt, puniunt, excommunicant, & solemnes pœnitentias imponunt, *cap. Cum Episcopus, de Pœnit. in* 6. *cap. Cum Apostolica, de Censib. cap. Accedentibus, de Excessib. Prælat.* Ac hisce temporibus quoad aliqua exercent auctoritatem tanquam Sedis Apostolicæ Delegati etiam in Regulares exemptos, præcipuè in his, quæ respiciunt administrationem Sacramentorum, & concernunt clausuram Monialium; ex pluribus Decretis Concilii Tridentini, Constitutionibusque Pontificiis; de quibus suo loco mentionem faciemus. Illud quoque est advertendum, quòd concessa Episcopis competunt etiam Archiepiscopis, & Patriarchis; attenta Regula, quæ dicit, concessum minori, multò magis concessum censetur majori, *cap. Cùm in cunctis, de Elect.*

TIT. VI.

De Electione.

CUm tractatum sit de illis Sacerdotibus, qui in altiori gradu consistunt; meritò nunc tractatur de via, per quam ad gradum ipsum promoventur; & quia talis est Electio; ideò de illa est hìc agendum; & declarandum:

1. *Quid sit electio?*
2. *Quæ in Electione desiderentur?*
3. *Quot modis fiat?*

Quò ad Primum. Scire oportet, Electionis verbum tripliciter accipi; *Activè*, prout quis eligit: *Passivè*, prout quis eligitur, & *Operativè*, qualis est actus eligendi; idcircò in hoc sensu definitur, ut *Electio sit alicujus hominis ad dignitatem, vel fraternam societatem canonicè facta vocatio*, ut hic *in §.* 1.

Quò ad Secundum, Ad validam electionem desiderantur, *Primò*, ut vacante Ecclesia vocentur omnes, qui jus habent eligendi, dummodo id fieri possit, nec propter moram sit Ecclesia damnum relatura, *cap. Cùm inter universas, cap. Quod sicut, extr. eod.* nam si omitteretur citatio unius, qui posset vocari, electio esset nulla, *cap. in Genesi, extr. de Elect.* nisi eam ratam haberent, qui non essent vocati, *d. cap. Quod sicut*, & in hoc attenditur consuetudo loci. Glossa *in cap. Coràm, eod. Secundò*, ut saltem duæ partes ex his, qui habent jus eligendi, sint præsentes. *Tertio*, quòd major pars in electione consentiat, *d. cap. quod sicut, & in cap. Coràm, & cap. Dudum, de Elect. Quartò*, quòd eligatur magis idoneus: pro qua idoneitate cognoscenda attendi debet auctoritas zelus, & numerus. Auctoritas consistit in dignitate electi, ac ejus meritis vitæ. Zelus, in animo Electorum, ut sine carnali amore eligant, & respiciant ad bonam vitam eligendorum, *cap. Si ergò.* 8. *quæst.* 1. Numerus autem, ut major sit votorum pars pro eo, qui dici debet electus, *cap. Ecclesia* il 2. *hoc tit.* ubi cùm vacasset Ecclesia Cathalanensis, & fuissent electi duo competiores, unus simplex Canonicus, alter Cardinalis; etsi iste habuisset tantùm Vota quatuordecim favorabilia; ille verò decem & septem; prævaluit Electio Cardinalis, ob ejus majorem dignitatem, scientiam, & ætatem. Est tamen verum, quòd si major numerus votorum multum excederet, esse attendendus, *cap. Gratia, & d. cap. Ecclesia* il 2. *hoc tit. Quintò*, requiritur, ut ante electionem fiat inquisitio super vita, & moribus Competitorum. Glossa *in cap. Cumana, in verb. Contra formam, hoc tit. Sextò*, ut deinde statim Electio fiat, & in longum non protrahatur, *cap.*

Post

Post præteritam. extr. de Elect. *Septimò*, ut fiat intra tempus à Jure statutum, *c. Ne pro defectu, extr. eod.* Tempus autem statutum à Jure est tres menses, *ut ibi.* Intra quod tempus nisi fuerit facta electio, nisi legitimum impedimentum intervenerit, cessat pro ea vice facultas eligendi in electoribus. *Octavò*, ut fiat invocatio Sancti Spiritus, sine quo nihil boni potest fieri, *c. Cum Paulus. 1. q. 1.* *Nonò*, debent eligi tres ex numero electorum, qui debeant secretè, & singulatim vota cunctorum diligenter exquirere, & demum in scriptura publicare, *ut §. per scrutinium, inf. eod. c. Quia propter, ext. eod.* & tunc electio dicitur fieri per scrutinium. *Decimò*, ut suffragia secretò ferantur. *d. c. Quia propter.* *Decimoprimò*, ut de electione sequuta publica documenta conficiantur, *ut infra in §. Per scrutinium eod. & d. cap. Quia propter.* *Ultimò*, ut electio publicetur, qua publicata, non possent ampliùs eligentes variare, *c. Publicato, ext. eod.*

Illud tamen scias, quòd si habens facultatem eligendi justè impeditus non potest interesse, tunc potest alteri partes suas demandare, dummodò sit de numero electorum, & de Collegio, *d. cap. Quia propter, & §. Sed & si quis.* Et si qui susceptt mandatum fuerit rogatus certam personam eligere, illam eligere debet; & poterit si voluerit, alium etiam eligere nomine proprio; quòd si simpliciter fuerit votum demandatum, tunc non potest nisi unum eligere, *§. Et si tantum uni, hic, &c. Si quis justo, §. Porrò, eod. tit. in 6.* Et si fortè impeditus quis pluribus hoc idem commiserit, unus tantùm eligit, qui primus officium occupavit. *§. Quod si plurib. tit. eod. & cap. Non injustè, extr. de Procur.* Ista verò, quæ circa electionem dicuntur, non procedunt in electione Pontificis Maximi, quia cùm cæteris præsit, convenit, ut singulari etiam modo eligatur, *c. Licet, ext. eod.* Et de electione ipsius, & forma eligendi tractatur *in c. Ubi periculum majus, eod. tit. lib. 6.* Supradicta omnia limitantur in Electione Summi Pontificis, quæ facienda est à S. R. E. Cardinalibus in Conclavi, juxta formam novissimæ Constitutionis Gregorii XV. quæ incipit: *Æterni Patris Filius, de Anno* 1621. & est *Constit.* 13. apud Cherubinum *tom.* 4. Bullarii Rom. ubi etiam *Constit.* 19. quæ præfigit ritus in Conclavi servandos.

Quò ad Quartum. Duobus modis fit electio, vel simpliciter virtute divina; vel humano etiam concurrente judicio: sed quoniam credendum est, semper adesse Dei voluntatem, licèt & humanum opus concurrat, dicendum est, quòd electio fit, vel per *Inspirationem*, vel per *Scrutinium*, vel per *Compromissum.*

Primo modo dicitur facta electio, quoties habentes jus eligendi sine aliquo præcedente tractatu, quasi Divini Spiritus impulsu in eundem consentiunt, eundemque nominando eligunt. *§. Celebratur, hoc. tit.* Nec obest, si de alio eligendo egissent, dummodo non fuisset actum de repentè electo, *cap. Statuimus 61. dist.* Dicitur in eundem *consentiunt*, quia si fortè à populo quis postularetur, is clamor esset. *§. Quod si fortè, hoc. tit.* Nec valeret talis electio, *c. 2. ext. eod. c. docens, 62. d.* Non enim tam per inspirationem, quàm per nefariam conspirationem is nominatus diceretur.

Secundo loco electio fit per scrutinium, quoties electoribus in unum convenientibus, suffragia secretò porriguntur, & à tribus de Collegio ad hoc assumptis numerantur, ut suprà dixi: Tunc ille, qui majorem partem suffragiorum habuerit, electus dicitur, *d. §. per scrutinium, hoc. tit.* quod declara *ut supr.* dictum fuit.

Per Compromissum tandem fit electio, quoties illi, qui Jus habent eligendi, de per se eligere nolunt, sed Jus illud, quod eligendi habent, in idoneos arbitros conferunt, qui ipsorum vices in eligendo sustineant, & isti arbitri debent esse gravis, maturique judicii, & ex ordine Religiosorum, *c. Contingit, ext. de Arbitr. §. Per compromissum, hoc tit.* Et circa istam electionem animadvertendum est, quòd si unus ex his, qui jus habent eligendi, nolit in arbitros consentire, nec vices suas mandare, non potest per viam compromissi fieri electio, *d. §. Per compromissum*, ibi *omnium* & notat in *d. c. Quia propter*, & in *c. Scriptum, extr. eod.* nisi maxima immineret necessitas, *c. Quanto, de Constitutionib.*

Illud etiam sciendum est, quòd Compromisso celebrato, tanta est his, qui sunt assumpti ad eligendum, tributa potestas, ut aliquo actu sequuto, quamvis non sit facta electio, non possunt privari facultate eligendi: ut notatur in *c. In causis, ext. eod. & §. fin. hujus tituli.*

Tandem monere oportet Studiosum Adolescentem, quòd hucusque dicta de Electione Episcoporum, ac aliorum Prælatorum hodiè per totam Italiam recesserunt ab aula; nam ex *Regula 2. & 3. Cancellariæ Apostolicæ* eorundem electiones Summo Pontifici sunt reservatæ; & hoc ob nimias discordias, & Simonias, quæ Capitula Canonicorum in electione committebant. Idcircò in sola Germania durat apud Capitula Cathedralium electio Prælatorum. In Gallia autem, in Hispania, & in Lusitania Reges nominant Episcopos, ac Prælatos. Nicolius *Instit. Can. lib. 1. tit. 6. num.* 10. Pax Jordanus *tom. 1. lib. 1. tit. 1. num.* 4. ubi alii DD.

TIT. VII.

Qui eligere, eligique possint?

CUm electio, de qua suprà actum est, fieri non possit, nisi adsint, qui & activè, & passivè ipsam celebrent, ob id nunc de hac materia disseritur: Et videbimus

1. *Qui possint eligere?*
2. *Qui possint eligi?*
3. *Intra quod tempus sit facienda electio?*

Quò ad Primum: Ante omnia sciendum est, quòd ea, quæ subsequuntur, non ordinariè in praxi observantur; cùm Pontifices, ut mox diximus, Episcopos, & Prælatos ut plurimum eligant; ut *in Conc. Trident. de Sacram. Ord. can. 8. Sess. 25.* Et ad hoc est *Regula 2. Cancellariæ Apost.* ubi ad tollendas magnas discordias, quæ oriri solebant in Electionibus, Summi Pontifices sibi consueverunt reservare provisiones omnium Ecclesiarum Patriarchalium, Archiepiscopalium, & Episcopalium: hoc habes *in Glossa Tua.* Modò ad rem

Illi possunt eligere, qui in Ecclesia sunt Canonici, & qui ex præcedentibus actibus elegerunt, *c. in Genesi, & c. Ecclesia, extr. eod* Adsunt enim qui, licet Canonici sint, eligere tamen non possunt, ut furiosi, & majori excommunicatione innodati, *c. Si celebrat. de Cler. excom. c. Constituris, ext. de Appell. §. illud quæsitum, hoc tit.* Præterea non eligunt suspensi per sententiam. *§. In suspenso, hoc tit.* Nec hæretici,

retici, cùm debeant separari è cæteris Christianis, *c. Miramur. 2. q. 1. c. fin. 9. q. 1.* Ulteriùs Laici non admittuntur ad eligendum. §. *Laicis. hìc.* Quinimmò nec constituti in minoribus. *ff. Sed neque, hic. Clem. Ut hi, de ætat. & qual.* Verum enim est, quòd si sint Patroni possunt intervenire ad juvandam electionem, permittente potissimùm Pontifice Maximo, *cap. Quia propter, cap. Massana. ext. eod.* ita notatum est in *c. Nobis. extr. de Jure Patron.* His adde, Impuberes, Absentes, Interdictos, & eos, qui scienter indignos eligunt, & alios, qui ex justa causa à Superiore prohibentur, notat *c. Cum inter. c. Cum in const. ext. eod.*

Quò ad Secundum: Regulariter, qui non habet electionem activè, nec habet passivè: Hinc existentes in minoribus, Furiosi, Pupilli, Suspensi, Hæretici, & similes non eliguntur. His adjiciuntur non servantes interdictum, *cap. 1. de Postul.* Item nati ex illegitimo coitu, *d. c. Cum in cunctis.* Item eligentes indignum scienter, per triennium eligi non possunt. Si de Episcopis agitur, debent eligi, qui sunt corpore integri, & vitæ innocentia profulgeant, & annum trigesimum agant. *§. oportet, hìc cum seq. & d. c. Cum in cunctis, & c. 1. & per tot. 36. dist.* Insuper Neophiti, illi scilicet, qui de recenti Sacræ Religionis propositum assumpsêre. *§. fin. hic. c. 1. & fin. 48. dist.* Et tandem nostris temporibus ad Dignitatem electionis requiritur, quòd eligendus vel sit Juris Doctor, vel in Theologia, vel saltem Licentiatus, *c. Quicunque, sess. 22. de Reform. in Conc. Trid.*

Quò ad postremum: Electio fieri debet in Ecclesiis Episcopalibus intra tres menses utiles, quod tempus impeditis non currit, *cap. Ne pro defectu ext. eod. c. Quoniam, de Concess. Præben.* In aliis verò Ecclesiis conceditur tempus sex mensium, *cap. 2. de Concess. Præb.* facit *cap. Ubi periculum, hoc tit. in 6.* Intra quod tempus nisi facta sit electio, nec fuerint eligentes legitimè impediti, tunc electio devolvitur ad Superiorem. §. *Interdum, hic.* Et si post tres menses, vel tempus statutum fuerit facta electio, est ipso Jure nulla. Glossa tua *in d. §. Interdùm, hìc.* Sicut & erit nulla, quando est facta contra formas traditas, *d. §. Interdum.* Sed tamen est differentia inter hunc, & alium casum, quia in priori casu est ipso Jure nulla; in secundo verò venit annullanda per sententiam; ut not. *in d. cap. Quia propter, vers. priventur. ext. eod.* Et circa primum casum est textus *in c. licet, & c. fin. ext. de supplend. neglig. Prælator.*

TIT. VIII.

De Postulatione Prælatorum.

VIsum est suprà de ordinario modo, quo Prælati ad regendas Ecclesias vocantur, nunc est videndum de modo extraordinario: Et pro expositione tituli videbimus:

1. *Quid sit Postulatio?*
2. *Qui possint postulare?*
3. *Qui possint postulari?*
4. *Apud quos fiat Postulatio?*

Quo ad Primum; Postulatio est quædam extraordinaria via, qua providetur Ecclesiæ, & illius, qui eligi secundùm Juris dispositionem minimè potest in Prælatum à Capitulo, quod eligere potest, concors facta petitio. Vel secundùm Goffredum *in tit. de Postul. Prælat.* Est gratiæ petitio: ut cùm ex gratia petitur, ut aliquis eligi possit, qui aliàs videtur inelegibilis, *c. 1. & ibi not. de Postul. Prælat. lib. 6.* Et duplex est Postulatio: Alia *solemnis*, quæ petitur ab eo, qui omne potest tollere impedimentum: *Non solemnis*, si ab inferiori fiat. Abb. *in cap. 1. num. 24. de Postul. Prælat.*

Quò ad Secundum: Regula est Generalis, eos posse postulare, qui possunt eligere, dummodò postulatio fiat unanimi voce, quæ electionis vim habeat, *c. Cum inter Canonicos, ext. de Electione.*

Quò ad Tertium. Regula itidem est Generalis, eos esse postulandos, qui aliàs minimè eligi possunt, dummodò electio non impediatur propter animi, vel corporis vitium, sed ob aliud defectum. §. *sciendum, hic.* Abb. *in cap. fin. ext. eod.* Et sex videntur personæ, quæ postulantur: Archiepiscopus ad alium Archiepiscopatum, *cap. Bonæ de Postul. Præl.* Episcopus ad alium Episcopatum, *c. Etsi unanimiter, de Postul. Prælat. §. Episcopis, hìc.* Clericus in minoribus constitutus. §. *ex hoc apparet. tit. eod. c. Præterea, de ætat. & qualit.* Laicus *c. Episcopus. 65. dist.* Illegitimè natus, *c. Innotuit, extr. de Elect. d. §. ex hoc apparet.* Et non habens legitimam ætatem, *c. Cum in cunctis, de Elect.* His exceptis alii dicuntur eligi, non postulari, *c. Si Abbatem de Elect. in 6.*

Quò ad Quartum: Quotiescunque postulatur Clericus alterius Diœcesis, & Laicus, qui inelegibilis sit, fit postulatio apud Summum Pontificem, *cap. Cum ad nostram, c. Officii, de Elect.* Id tamen est necessarium, ut interveniat scientia Episcopi, in cujus Diœcesi postulatus eligitur, *c. Fraternitatem. 72. d. cum c. seq.* Effectus autem postulationis est, ut ea admissa, debeat postulatum Superior admittere, in quo casu habetur pro electo, & confirmatur, *c. Gratum, de Post. Prælat.*

TIT. IX.

De Confirmatione Electionis.

QUoniam electio sine confirmatione administrationem non habet, idcircò nunc de confirmatione electionis tractatur: quare videbimus

1. *Quid sit Confirmatio?*
2. *Quæ in Confirmatione sint necessaria?*
3. *Intra quod tempus fieri debeat?*
4. *Qui sint effectus Confirmationis?*

Quo ad Primum. Confirmatio potest dici habitus, seu corroboratio Juris prius obtenti, *cap. Inter dilectos, de fid. Instrum.* Goffr. *in tit. de Confirm. util. vel inut.*

Quo ad Secundum. Requiritur in primis, ut sequuta electione, eaque ab electo cognita, consensus ab ipso electo præstetur. *cap. Cupientes. §. cæterum, de Electione in 6.* Secundo ut petatur Confirmatio à Summo Pontifice, vel à Legato de Latere secundum notata *in c. Si Abbatem. de Elect. in 6.* Tertiò causæ cognitio, quæ continet vitam electi, mores, examen, Inquisitionem. §. *Is autem, hic*, quæ debet fieri in loco, ubi electus est conversatus, *c. Postquam, & Gloss. ibi de Elect.* Quartò ut petatur intra terminum statutum; scilicet intra tres menses. *§. eadem, hic.* Quo tempore transacto, nisi confirmationem petierit, electio erit penitùs irritanda, *d. §. eadem.* An autem electus privetur per sententiam, an ipso jure? dic ut plenè habetur *in c. Quam sit, de Elect.*

in

in 6. Et scias, quòd si transacto tali tempore, electus obtineat confirmationem, non valet, quod actum est, nec potest tenere Episcopatum, & peccat retinendo fructus, quos non facit suos, nisi scienter fuisset facta per illum, qui aliàs suo jure conferre potuisset: facit ad hoc, quod not. *in cap. Cum bonæ, de ætat. & qualit. ordin.* & *d. cap. Quam sit.* Quintò ut citentur illi, quorum interest, quæ citatio fit propositis edictis ad fores Ecclesiæ, in qua electio est facta, *c. 1. de Postul. §. illud, hic.* Et hoc fit eò quia si quis velit opponere, hoc possit facere, & terminus ad comparendum assignatur in ipsis edictis, quo elapso veniens non auditur, *d. §. illud,* nisi quis per calumniam opponere vellet, quo casu puniretur, *c. 1. §. fin. c. Si fortè, de Elect. in 6.* Et hæc locum habent, etiamsi quis fuerit Postulatus.

Quò ad Tertium. Postquàm electus scit electionem, debet Romam contendere, & intra tres alios menses confirmationem petere, ut suprà dixi, quod nisi fiat evanescit electio, ut suprà. Id tamen est verum, quòd si infirmitas, vel longum iter, vel aliud justum impedimentum interveniat, Juris rigor remittitur. Id etiam monendi sumus, sat esse petenti confirmationem intra terminum statutum, iter arripere, vel confirmationem petere, etiamsi ipsam non obtineat, ut not. *in d. c. Quam sit, & d. c. Cupientes.*

Quò ad Quartum. Primus effectus est, quòd tribuit plenum Jus, quod habitu ante competebat, nisi quis esset remotus longè ab Urbe Romæ, ac damnosum esset Ecclesiæ, si Prælatus non administraret, namque iste præsentialiter non tenetur confirmationem petere, aut recipere, sed personas mittit idoneas, per quas diligens inquisitio habeatur, *c. Nihil, extr. de Elect.*

Alter est effectus, quòd per confirmationem dicitur contractum matrimonium spirituale inter electum, & Ecclesiam, *c. Inter corporalia de Transl. Prælat.* Et confirmatione obtenta potest electus omnia, quæ sunt Jurisdictionis, ut clericos corrigere, judicare, excommunicare. Non autem potest ea, quæ sunt ordinis, nisi accedat consecratio, *cap. Sicut. §. Præterea, de Elect. §. fin. hoc tit.*

TIT. X.

De Consecratione.

AD hoc ut Prælati ea possint, quæ sunt ordinis, necessaria est Consecratio; idcircò de Consecratione tractatur; & videbimus:

1. *Quid sit Consecratio?*
2. *Qui consecrari debeant?*
3. *Qua in Consecratione solemnitas sit adhibenda?*
4. *Intra quæ tempora facienda sit?*
5. *Qui vocandi sint ad Consecrationem?*
6. *Qui sint Consecrationis effectus.*

Quò ad Primum. Illud in primis sciendum est, Verbum Consecrari referri ad Res, & ad Personas.

Primo modo est aliquid Deo adjicere, *l. Si quando, C. de Bonis Vacant. lib. 10. §. Sacræ. Inst. de rer. divis.*

Secundo modo est personas Deo dicare, atque vovere, *c. Pudenda. 24. qu. 1.* At secundum materiam Tituli nostri Consecratio est solemnitas quædam, quæ de persona electi fit per sacri Chrismatis delineationem, Benedictionem, manus impositionem, ac Sacrorum lectionem, qua electus unà cum Ecclesia, ad quam admittitur, novissimè Deo dicari, atque adjici dicitur, & videtur. Etenim consecratio fit rei ectu particularis Ecclesiæ; ut not. Abb. *in c. Inter corporalia, de Transl. Episcopi.* De hac solemnitate est text. *in §. fin. hic,* & est text. *in c. Episcopus. 63. d.*

Quò ad Secundum. Consecrantur non solùm Episcopi, Archiepiscopi, sed etiam Summi Pontifices, qui post electionem legitimè factam à Cardinalibus Episcopis consecrantur. Bal. *in l. directis, num. 2. C. de Test. manumiss.* Dicitur etiam Imperatorem consecrari; sed impropriè, quoniam consecratio Imperatoris non est ordinis, prout est consecratio Episcopi, sed est quædam solemnitas, quæ observatur in traditione aureæ coronæ, quæ Romæ fieri debet Pontificis manu, & Consecratio dicitur; ut *in c. 1. §. unde, ext. de Sacr. Unct.* Ubi de differentia inter consecrationem Episcopi, & Imperatoris tractatur. Consecrantur & Virgines Deo dicatæ, sed de his alibi tractabimus. Fit autem consecratio Episcopi ab Archiepiscopo Metropolitano, & consecratio Archiepiscopi ab Episcopis suis suffraganeis, *cap. Quia 64. dist.*

Quò ad Tertium. Consecratio fieri debet convocatis personis necessariis Die Dominico, hora tertia, & scrutinio habito cum precibus, & orationibus duo Evangelii codicem super caput consecrandi tenent, manusque imponunt, benedicit unus, & alii consecrandi caput pertingunt, & simul sacro Chrismate manus, & caput deliniunt, quibus deinde absolutis jurat Episcopus Sanctæ Sedi, atque Pontifici fidelitatem, *c. Significasti extr. de Elect.* Abb. *in cap. Tua nos, ext. de Jurejurando.*

Quò ad Quartum. Consecratio debet fieri intra tres menses, *c. Quoniam 100. d. c. Quoniam. 75. d. c. de Syracusana. d. 28.* nisi legitimum supersit impedimentum; nam plurimùm Ecclesiæ interest, ut consecratio fiat; & hinc est, quod si consecratio protrahatur studiosè, protrahentes puniuntur. Concil. Trident. *cap. 2. sess. 23. de Reform.* Verùm per Jura hodierna sex mensium spatium videtur concessum, *cap. 9. sess. 7. de Reform.*

Quò ad Quintum. Si de Consecratione Pontificis Maximi tractatur, præsentia Episcoporum est necessaria: Si de Metropolitani consecratione agitur, debent interesse Episcopi Provinciales, qui suffraganei dicuntur. *§. Evocandi, hic, cap. Si Archiep. de tempor. ord.* Si de Episcopo consecrando, debent intervenire Metropolitanus, & secùm habere duos Episcopos, *cap. Episcopi, cap. Provinciales. 64. d. per tot. c. Nec Episcopi, de temp. ordin.* Et si fortè Provinciales Episcopi propter aliquem casum haberi non possent, vocandi essent Episcopi ex vicina Provincia. *§. illud quæsitum, hoc tit. c. fin. 65. d.* Sed primo loco vocandi sunt, qui sunt de Provincia, qui debent vocationi obtemperare, aut legitimam saltem excusationem afferre, *c. Non debet. 65. d.* Hoc unum moneo circa Archiepiscopum, quod si ipse legitimè impeditus consecrationi interesse non possit, potest in hoc casu vices suas alteri committere. *§. Quod si Metropol. hic, c. Quod Sedem. de Offic. ordin.* Quod videtur mirabile, quod Archiepiscopus demandet ea, quæ sunt ordinis, & ea quæ sunt meri Imperii, cum exerceatur in consecrando Jurisdictio ex officio nobili ad publicam utilitatem, ut not. *in c. Ex qua, de Consecrat. Eccl.*

Eccl. vel. Altar. & in cap. Suffraganeis, de Elect. Præterea exigitur, ut fiat scrutinium, §. *fin. hic, c. 1. extr. de scrutin. in ordin. facien.* Professio fidei, *c. Quamquam, d. 23.* & habitus secundùm professionem, *c. Sanctimonialis, eod. d. 23.* & professio fidei debet fieri vel Romæ; vel in Ecclesia, ad quam est assumptus, *c. 1. sess. 23. de Sacr. Ord. in Decret. de Reformat. in Concil. Trid.*

Quò ad Postremum: Effectus Consecrationis est, ut post Pallium receptum possit consecratus ea omnia explicare, quæ sunt ordinis, quæ omnia sunt eidem ante consecrationem interdicta: itaut consecratio possit dici medium quoddam, cujus virtute, ea, quæ sunt ordinis, post consecrationem potest licitè demandare, ut supra dixi; & est *text. in d. c. Suffraganeis*, cùm post confirmationem hoc non possit facere.

TIT. XI.

De Receptione, & Auctoritate Pallii.

QUoniam ordinarium est, ut potissimùm Archiepiscopis Pallium concedatur, ut possint alios Episcopos consecrare, Concilium convocare, & conficere Chrisma, & alia, ut in *c. Quod sicut. 6. super & in fin. de Elect.* ob id nunc tractatur de receptione, & auctoritate ipsius Pallii. Itaque videbimus

1. *Quid sit Pallium?*
2. *Quibus debeatur?*
3. *A quo concedatur?*
4. *Quo tempore, & loco?*
5. *Quæ traditionem Pallii impediant?*
6. *Qui effectus ex Pallii traditione procedant?*

Quò ad Primum: Pallium hic in principio describitur, ut sit Metropolitanorum insigne Ornamentum, quod de Corpore B. Petri sumitur, ac plenitudinem Pastoralis officii, ac Pontificalis dignitatis designat, *c. Significasti, de Elect. c. Nisi, de Auth. & usu Pall.* Et est quid personale, quod cum persona sepelitur, nec alteri potest commodari. *hic. in §. sed eo nec semper & c. Ad hoc, ext. de usu Pallii.*

Quò ad Secundum. Inspecto Juris rigore Pallium solis Archiepiscopis, & Patriarchis debetur, sed ex privilegio etiam Episcopis conceditur ex arbitrio Pontificis. Abb. *in Rubr. ext. hoc eod. tit.*

Quò ad Tertium: Abb. in *d. Rubr. ext eod.* dicit, Pallium concedi solummodò à Patriarchis, & Summo Pontifice Archiepiscopis, & Episcopis: quatenùs loquimur de Patriarchis, intellige, quòd possunt concedere Pallium illis, qui sunt in sua dictione: sed tamen ordinarium est, ut Summus Pontifex Episcopis concedat: ut Abb. docet *ubi supra.*

Quò ad Quartum: Archiepiscopus, vel Episcopus Pallio utitur in sua Diœcesi tantùm, & solemnibus diebus, ut hic in *§. sed eo.* Etenim Summus Pontifex in signum Supremæ Authoritatis quocumque tempore, & loco Pallio uti potest, *c. Cum sis*, & *c. Ad honorem, ext. eod.* Item solùm intra suam Provinciam illo uti debet, *d. c. Cum sis*, & in Missis Solemnib. namquè in Processione eo non potest uti, *ibidem.* Sed tamen verum est, quod interdum ex privilegio conceditur, ut possit in aliena Provincia uti Pallio, permittente Primate ipsius Provinciæ *c. Ex tuar. ext. eod.*

Quò ad Quintum: Objecta crimina electo impediunt Pallii traditionem, dummodò obliciens juret de calumnia, & se inscribat in pœnam tallionis, ut *hic in §. hujus receptio*, & in *Extrav. Joan. 22.* quæ incipit: *Militis* in communibus.

Quò ad Postremum: Pallii traditio efficit, ut designetur plenitudo potestatis, *hic in princ.* & *d. cap. Ad honorem.* Et insuper tribuit nomen Archiepiscopi. Abb. *in c. Suffraganeis, de Elect.* Ac tandem efficit, ut possit Archiepiscopus omnia ea, quæ sunt ordinis, ut supra dictum est.

TIT. XII.

De Vita, & Honestate Prælatorum.

VIdimus quales debeant esse Prælati, qui ad Ecclesias regendas assumuntur, & de his creandis aliqua retulimus, nunc videamus quales debeant esse, postquàm sunt in dignitate constituti: Et videbimus,

1. *Prælati nomen quos designet?*
2. *Quid Verba, Vita, & Honestas præseferant?*
3. *Quæ Episcopus facere debeat?*
4. *A quibus se debeat abstinere?*

Quò ad Primum: Prælati nomen propriè eum designat, qui habet Jurisdictionem contentiosam. Abb. *in c. 2. de Jurejur.* Largo tamen modo etiam de Curato alicujus Ecclesiæ prædicatur: *c. Tria, extr. de Cler. ægrot.*

Quò ad Secundum: Honestatis verbum ad mores refertur, & ad animi ornamenta, & significat quales debeant esse Prælati mores; at Vitæ nomen præsefert actiones, circa quas debent Prælati vitam suam consummare; & hinc dicitur diversam esse vitam Clericorum, & vitam Laicorum, *c. Duo. 12. quæst. 1.*

Quò ad Tertium: Debet in primis honestati, & prudentiæ operam dare; namque (inquit *text. hic in princ.*) *Qualis erit ædificatio discipuli, si se Magistro intelligat esse præstantiorem?* concord. *c. Debet. d. 96.* & *c. Qualiter. 8. quæst. 1.* & alibi dicitur, quòd Magistri moribus, scientia, & facundia debent alios præcedere, *l. Magistros, C. de Prof. & Mag. lib. 10.* Et talis erit Magister, cujus comparatione discipuli paleæ dicantur, *cap. Verum, §. criminis. 25. d.* Undè inquit Glossa, quòd quidam discipuli nimis festinant ad Cathedram, & dum delectantur in loco gloriæ, fiunt aliis authores ruinæ, *c. Quoniam 78. d.* Magister enim facit Cathedram, non Cathedra Magistrum, *cap. fin. 40. d.* concord. *text. in c. Nemo. 81. d.* Deindè debet esse hospitalis, liberalis, ac piùs, *§. sed nec utramque* hic. Insuper sobrius, prudens, non solùm litterarum, sed negotiorum, *c. Acrapula, ext. eod.* Rerum suarum curæ moderatè debet incumbere, *c. Donare. 86. d.* Et dum corrigit peccata, Clementiam justitiæ admisceat, *§. ab improb. hic, c. prodest. 23. quæst. 5. c. Odio. 86. d.* Debet etiam Orationibus, Divinis Officiis, Prædicationibus incumbere, *§. in primis, hoc tit. cap. Si rector. d. 43.* Sacris litteris studere, *c. Qui Ecclesiasticus. 36. d.* Perversos ejicere, corrigere, emendare, *c. Inferior, c. Facientis. 86. d.* Habitu decenti incedere. *c. Clericus 41. d. c. Quoniam, de Vit. & Hon. Cler.*

Quò

Quò ad Postremum: Debet Episcopus se à sæcularibus negotiis abstinere. §. *sicut hic.* Tametsi negotium esset honestum, ut puta exercendo artem Physicam, vel Chirurgum; ut per Abb. *in c. Sententiam, ext. Ne Cler. vel. mon.* & hoc in Clericis etiam. Excipiuntur tantùm aliqui casus ut in *c. 1. & fin. ext. de Postulat. Præl.* Possunt enim Clerici postulare in propria causa, & suæ Ecclesiæ, & pro miserabilibus personis, si ipsæ per se non possint suam tractare causam. Item debet abstinere se à conversatione mulierum, etiamsi sint consanguineæ. §. *Pudicus, hoc tit.* Quod declara, si istæ sint suspectæ, *c. 1. de cohab. Cler. & mul.* Et demum debet honestatem servare in quacunque actione, & à quacunque suspectione vacare. Insuper Episcopi, & alii Prælati Ecclesiasticis officiis mancipati non debent habitus nimis luxuriantes induere; morum enim intrinsecam honestatem per decentiam habitus extrinseci debent induere, *d. §. Pudicus.* Cætera videnda sunt *in tit: de Vit. & Hon. Cleric.* & apud Pacem Jordanum *d. tom. 1. lib. 1.* ubi per novem integros Titulos explicat virtutes, quibus Prælati præfulgere debent.

TIT. XIII.

De Officio Archidiaconi.

CUm actum sit de iis Prælatis, qui Jurisdictionem habent; cùm inter illos Archidiaconus possit numerari, quia Vicarius Episcopi dicitur, ideò nunc de Officio Archidiaconi tractatur; & pro hujus tituli expeditione videbimus,

1. *Quis sit Archidiaconus?*
2. *Quæ sit Archidiaconi Jurisdictio?*
3. *Quale sit Officium ejus?*

Quò ad Primum: Archidiaconi nomen præsefert Principem, seu caput Diaconorum; & potest dici Vicarius Episcopi, à lege constitutus, qui post Episcopum est omnium major, ut *hic in prin.* Et hinc dicitur oculus Episcopi. *c. Diaconi. 1. & c. 2. 93. d. c. Ad hæc, extr. eod. tit.* Debet enim Episcopus per eum administrare suam Jurisdictionem, *d. c. Ad hæc.*

Quò ad Secundum: Maxima est de Jure Communi Archidiaconi Jurisdictio. Etenim ad eum spectat Clericorum correctio, & emendatio, licèt non possit excommunicare sine Episcopi licentia, *c. Archidiaconis, ext. eod. §. fin. hoc. tit.* Præterea examinat præsentandos Episcopo pro ordinatione, tametsi ordinare non possit; ponit Abbates, & Abbatissas in sede, *c. Ut nostrum; ext. eod.* Visitat Ecclesias, & Parochias, si Episcopus sit impeditus, *c. 1. c. Mandamus, ext. eod.* & in Conc. Trident. *sess. 24. c. 3. de Reform.* Insuper in Choro post Episcopum primum habet locum, ut not. in *d. cap. 1.* Id tamen est verùm, quod non potest ardua negotia explicare, vel causas Matrimonii, aut Concubinatus, quemadmodum nec causas criminales, *c. 20. sess 24. c. 14. sess. 25. de Reform. in Conc. Trid.* Sicut non potest suspendere, vel deponere, *c. Significasti, & c. Cum satis, ext. eod. tit.*

Quò ad Postremum: Ad Officium Archidiaconi spectat, curam habere Clericorum, qui in Diœcesi degunt, *c. 1. ext. eod.* Lectorem Evangelii eligere, disponere necessaria ad Sacrificium, Clericos ad ipsum vocare, & quo ordine procedere debeant jubere. Insuper ad ipsum spectat cura sacrorum vasorum, vel sacrorum vestimentorum, *c. Ea quæ, ext. eod.* & notatur in *c. 1. extr. eod. Off. Sacristæ.*

TIT. XIV.

De Officio Archipresbyteri.

QUoniam Archipresbyteri officium est valde simile officio Archidiaconi, ut *hic. in princ.* licèt Archidiaconus in Jurisdictione excedat, non autem in ordine, *c. 1. c. Officium ext. eod.* ob id nunc de officio ipsius Archipresbyteri tractatur: & pro hujus tituli expositione videbimus:

1. *Quis sit Archipresbyter?*
2. *Quot sint species Archipresbyterorum?*
3. *Quæ ad ejus officium pertineant?*

Quò ad Primum. Archipresbyter est caput Presbyterorum, & est ille, qui in divinis, & particularibus Ecclesiis est à Lege Episcopi Vicarius constitutus, *c. 1. extr. de Off. Archipr.* Et differt ab Archidiacono, quia Archidiaconus curam exercet fori contentiosi; Archipresbyter verò curam Ecclesiastici fori exercet, *hic in princ. & dic. Officium.* Verùm admonet *c. 1. eod.* in hoc esse observandas loci consuetudines; namque potest esse, ut in aliis Ecclesiis Archipresbyter exerceat utriusque fori curam; & hoc idem dicit Abb. *in de cap. 1.*

Quò ad Secundum: Duæ sunt Archipresbyterorum species: *Urbani*, & illi sunt, qui dum Episcopus abest, in urbe ipsius vicem substinent; vel etiam præsentis Episcopi curam minuunt. §. *Urbani. hoc tit. d. c. Officium. Exteri*, sivè *Foranei;* & sunt illi, qui extra urbem personam Episcopi repræsentant, & ea peragunt, quæ ipse Episcopus efficeret, si præsens esset, *c. 1. & 2. ext. eod.* & ut inquit *text. in c. Presbyteri, eod. tit.* præsunt plebibus, ut Episcopus Matrici, quæ est Ecclesia, quamvis nihil contra sui Præsulis decretum ordinare, vel audere debent.

Quò ad Ultimum: Ad Archipresbyterum pertinet inchoare solemne officium, & solemnia sacrificia; assiduè in Ecclesiis stare, fratres benedicere, pœnitentiam Sacerdotibus injungere: infirmos oleo perungere, benedicere absente Episcopo Clericos, dum Episcopus celebrat, adjutores eligere, *d. c. 1. 2. 3. ext. eod.* Insuper providere debet, ut in Sacrario Sanctissimi Corporis Christi Hostiæ pro infirmis non desint. Alia connumerantur, quæ ad Archipresbyterum spectant *in d. cap. 1. 2. 3.* Et hæc pertinent ad Urbanum.

Ad Ruralem autem, seu exterum tantùm pertinet totius populi curam habere, aliorum Clericorum mores inspicere; exponere, quæ in Missa leguntur, prædicare Christianæ Religionis, & fidei principia: pueros edocere, frequenter celebrare, ad Synodum procedere, dies festos prædicere, baptizare, ac demùm decrera à Summo Pontifice, vel Conciliis facta

recipere, cæterisque referre; ut in Conc. Trid. *sess. 5. c. 2. de Reformat.*

Nota tamen hìc in fine, quod obtinens aliquam Præposituram debet ad eam se ordinare intra annum, aliàs amittit honorem.

TIT. XV.

De Officio Vicarii.

VIsum est Superiori titulo de Officio Vicarii à Lege constituti, nunc videndum est de Vicario, & Officio Vicarii ab homine deputati; & sic tractatur de eo, qui nomine alieno in Ecclesiis deservit: sic continuat *Gloss. hìc* & videbimus

1. *Qui sit Vicarius?*
2. *Quæ requirantur, ut quis Vicarius esse possit?*
3. *Quæ sit Vicarii potestas?*

Quò ad Primum: Vicarius ille est, qui alterius vices gerit, sivè in contentiosa jurisdictione sit, sivè in voluntaria, & non contentiosa, illius mandato, & authoritate constitutus, qui in officio, quodcunque illud sit, principalem personam gerit, *l. 1. C. de Offic. ejus qui vicem alt. & ext. eod. per tot.* Et duæ possunt Vicariorum constituti species; alii enim constituuntur Vicarii in Officio non contentioso, veluti in Ecclesiis, ut in ipsis deserviant, *c. 1. ext. eod.* Alii vèro, ut alterius personam in foro contentioso substineant. Quinimmo quidam sunt Vicarii per modum provisionis, qui in locum mortuorum subrogantur, & suffecti vocantur. Gloss. *in l. 2. vers. Rector., C. d. Off. ejus, qui &c. c. 18. sess. 24. de Reform.* in Conc. Trid. Item alii sunt perpetui, alii temporales: Primi eliguntur, ut perpetuo sint in aliqua Ecclesia, *cap. Perpetuus, de Fid. Instrument.* Secundi ad tempus tantùm, *c. Extirpandæ §. quia verò, extr. de Præb. c. Pervenit. de Appellat.*

Tertia divisio est, quod quidam sunt perpetui, qui ad Parochiales Ecclesias sunt electi, *d. c. Perpetuus.* Quidam temporales, qui ad tempus, & aliquos actus assumuntur, *d. c. Pervenit.* Quidam Generales, qui in Episcoporum Curia ab Episcopo sunt electi. Gloss. *in Clem. Quæ in Ecclesiis, de Offic. Vicarii.* Quidam Speciales, qui ad Curiam, sed ad certum articulum, locum, vel actum sunt constituti, *c. Sua, de Off. Vicarii.*

Quò ad Secundum. Primo loco necessarium est, ut sit Clericus, cùm Laici Vicarii esse non possint in Ecclesiis, *c. Innova. 17. quæst. 7. c. Decenter. d. 89.* Quinimmo si agitur de Ecclesia habente aliarum curam, debet eligi Sacerdos, & canonicè institui cum certa portione. Glossa in *c. Provideas, ext. eod. d. c. 16. sess. 24.* Insuper, exigitur, ut unam habeat Vicariam tantùm, *d. c. Provideas.* Ac Doctor quandoque esse debet, *c. 16. sess. 24.* in Conc. Trid.

Quò ad Ultimum: Si de eo quærimus, qui in Ecclesia deservire debet, ad ejus potestatem pertinent, quæ principalis poterat persona: quod tunc habet locum, quando Vicaria conceditur, quæ solùm ex causa concedi solet, *d. c. Provideas.* Ubi Gloss. Si de Vicario Generali Episcopi loquimur, is potest in foro contentioso causas dirimere, & omnia illa facere, quæ Episcopus; nisi aliquid fuerit Episcopo reservatum, ut Beneficiorum collatio, remotio, & alia hujus generis, prout latè ego demonstravi in meis Discordiis Forensibus *De Jurisdictione Discord. 27.* Insuper Vicarius potest examinare illos, quibus sunt beneficia concedenda, & etiam examinatos eligere, *c. 18. sess. 24. de Reform.*

Hoc tamen sciendum est, quod cùm Vicarii, & Episcopi unum sit tribunal, ad Archiepiscopum provocatur. *§. fin. hic.* Quod secùs est in Vicario à Lege constituto, ut Archipresbyter, *c. Romana. De appellat. in 6.*

TIT. XVI.

De Coadjutore.

QUoniam interdùm Episcopalis cura per Coadjutorem explicatur: ob id nunc de eo differitur, & videbimus:

1. *Quis sit Coadjutor?*
2. *Quibus detur?*
3. *Ex quibus causis?*
4. *A quo?*
5. *Quæ sit Coadjutoris potestas?*

Quò ad Primum: Ut nomen indicat, Coadjutor significat eum, qui simul adjuvat, quasi simul adjutor; & dicitur ille, qui à S. Sede, consentiente, & approbante Rectore, in locum ejus, qui ex justa causa impeditur, ad Ecclesiam regendam cum spe futuræ successionis, eligi solet, *c. Ex parte, ext. de Cleric. ægrot. c. Unico, de Cler. ægr. in 6.* Et illi Coadjutores esse possunt, qui possunt esse Ordinarii, cùm eligantur cum futuræ successionis. arg. *c. Qualiter, cum seq. 7. quæst. 1.*

Quò ad Secundum: Coadjutor datur, legitima præcedente causa, tam majoribus, quàm minoribus Prælatis, & non solùm unus, sed etiam interdùm duo dari solent. Gloss. *hic; & in d. c. Un. de Cleric. ægrot. lib. 6.* Id tamen est verum, quod si quis datur Episcopo, unus est, & consecratur; ut omnia possit, quæ sunt ordinis, & Jurisdictionis, *d. c. Qualiter, cum seq. 7. quæst. 1.*

Quò ad Tertium: Coadjutor non conceditur ex omnibus causis, sed ex iis tantum, quæ delictum Prælati non includunt; & ipsum inhabilem efficiunt ad Ecclesiam regendam; ut est senectus, longa infirmitas, mentis alienatio, vel similis causa, ut in *d. c. Un. & in d. c. Ex parte*, & est *text. hic. in princ.* Similiter si Prælatus sit illiteratus, sed bonæ vitæ, vel longè adfuturus pro S. Sedis beneficio, Coadjutor dari solet, ut *in d. c. Unico*, & in *c. 6. sess. 21. in Concil. Trid. de Reform.*

Quò ad Quartum: Regulariter concessio pertinet ad Summum Pontificem, & est de Reservatis Papæ: *hic in prin.* & est Glossa *in Verb. Apostolicam, c. 7. sess. 25. in Conc. Trid.* Ita ut non valeat consuetudo in contrarium, *text. tuus hìc.*

Quò ad Ultimum: Si Coadjutor est datus ob impedimentum, quod Prælatum inhabilem reddit, illa potest facere, quæ potest Ordinarius. Quod si est datus Coadjutor ex aliquo accidenti, tunc Spiritualia pertractat, in aliis vero

verò Ordinario est potestas reservata, *c. De Rectoribus, ext. de Cleric. agrot.*

TIT. XVII.

De Corepiscoporum usu sublato.

CUm inter Episcoporum officiales Corepiscopi adessent, idcircò, ut, quod antiquitùs in usu erat, intelligatur, iste titulus subjicitur: & videbimus:

1. *Qui essent olim Corepiscopi?*
2. *Quale antiquitùs esset ipsorum Officium.*

Quo ad Primum: Corepiscopi antiquitùs dicebantur Prælati illi, qui mediam quandam dignitatem inter Episcopum, & Presbyterum obtinebant; & unà cum Episcopis Ecclesiarum curam habebant, qui postea fuerunt sublati, *c. Ecclesiis semel,* & ibi not. *& cap. Quamvis, cum seq. 63. dist.*

Quo ad Secundum: Corepiscopi quasi Episcopi se habebant, & Ecclesiam cum Episcopis gubernabant, conferebant ordines minores, sed non alios; erat enim eis interdicta Presbyterorum, Diaconorum, Virginum, & Ecclesiarum consecratio: ut not. *in cap. Quamvis, d. 68.* Prædicabant, & Corpus Dominicum conficiebant, *d. c. Quamvis,* & est Gloss. *hic.* Vide Eminentiss. Cardin de Lauræa in *Epitome Canonum. Verb. Corepiscopi.*

TIT. XVIII.

De Translatione.

HIc titulus continuatur ad præcedentem in §. *fin.* supra *tit. prox.* Tamen sic etiam potest continuari. Visum est hucusque de ingressu, & progressu Prælatorum, nunc de egressu videndum est: & quia egressus sit per Translationem, Renunciationem, aut Depositionem; proindè de his omnibus videndum est. Et primo de Translatione, de qua videbimus:

1. *Quid sit Translatio?*
2. *Cur inventa?*
3. *Quæ sint in Translatione necessaria?*
4. *In quibus Ecclesiis permittatur?*

Quò ad Primum: Licèt Translationis nomen sit Genericum, & ad plura adaptetur, tamen secundum naturam Tituli nostri significat commutationem Prælati de Sede ad Sedem canonicè factam; itaut dici possit transitus de una ad aliam Ecclesiam canonicè factus: *Arg. cap. Mutationes. 7 quæst. 1. c. Cum Universorum, de Rer. Permut.*

Quò ad Secundum: Duæ sunt causæ, cur inventa sit Translatio: Utilitas, & Necessitas, *text. est hic in princ. c. Sicut vir, c. Episcopus. 7. quæst. 1. cap. Non oportet. 19. & c. Placuit. 21. eadem. 7. quæst. 1.* Utilitas, quotiescunque quis creditur utilior in Ecclesia, ad quam transit, quàm in illa, quam habet; & vocatur ad aliam Ecclesiam, ut doctrina, & vitæ integritate majorem afferat populo utilitatem, *c. omnis, d. c. Episcopus. 7. quæst. 1. Sic. Anno* 1664. Eminentiss. Cardin. Gregorius Barbadicus translatus fuit per Alex Papam VII. ab Ecclesia Bergomen. ad hanc Patavinam. Necessitas autem Translationem inducit, quotiescumque per bellum, & hostium obsidionem Prælatus unius Ecclesiæ in aliam se transfert, *c. Temporis 7. quæst. 1.* qui necessitate cessante tenetur ad priorem Ecclesiam redire. *§. 1. hoc tit.*

Quo ad Tertium: Ut translatio fieri possit, necessarius est consensus Superioris. Item antiquitùs requirebatur consensus Capituli, quod elegerat. *c. Præcipimus. 12. quæst. 1.* Tertio consensus ipsius Prælati, nisi ob bonum commune à Summo Pontifice transitus, & Translatio præciperetur, *d. c. Omnis. 7. quæstion. 1.*

Quo ad Postremum: In omnibus Ecclesiis potest fieri Translatio: sed si agitur de Episcopis, solus Summus Pontifex jus habet transferendi. §. *Sciendum, hoc. tit. c. Quod Translationem,* & ibi Gloss. *extr. de Offic. Legat.* Si verò tractetur de minoribus Ecclesiis, & Prælatis, seu Sacerdotibus ordinariis, Episcopi authoritas exigitur. §. *Non absimilis, hoc tit.* ita notatur in *c. Quanta, ext. eod.* nisi fortè Prælatus minor esset Summo Pontifici subjectus immediatè, *c. Cum venerabilis, de Consuetud.*

TIT. XIX.

De Renunciatione.

CUm actum sit de primo modo, quo dissolvitur dominium inter Ecclesiam, & Rectorem, nunc de Secundo, scilicet de Renunciatione differitur, videamus igitur.

1. *Quid sit Renunciatio?*
2. *Qui possint Renunciare?*
3. *Quæ requirantur in Renunciatione?*
4. *Quæ sint causæ legitimæ Renunciationis?*
5. *Qui sint Renunciationis effectus?*

Quo ad Primum: Renunciatio est proprii Juris spontanea refutatio, *hic in princ.* Si enim esset coacta, revocaretur, *c. 2. & c. super de his, quæ vi, met. ca. fiunt.*

Quo ad Secundum: Regula generalis est constituenda; Omnes posse Renunciare servatis servandis: & non solùm minores, sed etiam majores Prælati Renunciare possunt, illis exceptis, qui fortè in furorem incidissent, *c. Quamvis. 7. quæst. 1.* Undè etiam Papa potest Renunciare Papatui §. *de Romanis, hic, c. 1. de Renunciat. in 6.* prout fecit S. Petrus Cœlestinus. Et non solùm quis per se, sed etiam per Procuratorem potest Renunciare; itaut si Procurator, antequàm revocetur, sine dolo renunciaverit, teneat Renunciatio. *Clem. unic. eod. tit. De renunciat.*

Quo ad Tertium: Hæc requiruntur. Primo ut sit spontanea, ut supra dixi. Secundo ut fiat de proprio, & obtento beneficio. *c. Pen. de Re jud. c. Dilecto, de Præbend.* Tertio ut fiat simpliciter & purè, non lucrandi animo, *c. Qui suadet. 1. quæst. 1. c. Tua, de Simon.* Quarto ut fiat ex legitima causa, *c. Nisi. §. unum, ext. eod.* Quinto ut fiat cum Superioris licentia. §. *Abbas, hic.* Undè Prælatus, qui Romano Pontifici immediatè est subjectus, ab ipso debet impetrare licentiam; quod si is, qui renunciat, Episcopo sit subjectus, cùm ejusdem Episcopi permissione fiat Renunciatio, *concord. text. in c. Quod in dubiis, ext. eod.* Atque tandem requiritur, ut de ea conficiantur acta, *d. c. Quamvis, c. Fin. c. Sicut Vir. §. Ecce. 7. quæst. 1.*

Quò ad Quartum: Sex sunt causæ legitimæ renunciandi. Conscientia Criminis: Corporis debilitas: Defectus scientiæ: Malitia plebis: Grave scandalum: & Irregularitas personæ, *d. c. Nisi, & in tit. in princ.*

Prima, si sit crimen tale, propter quod officii executio, etiam post exactam pœnitentiam impediatur, ut Simonia. 1. *q.* 1. *cap. Simoniacos, & cap. Tanta, de Simonia.* Item Homicidium, *c. Fin. de Temp. Ordin. & c. Minor. d.* 50. *& cap. Inquisitionis, de Accusat.* In aliis verò criminibus, de quibus potest pœnitere remanendo in officii administratione, non tenetur quis petere cessionem. §. *propter, hic, & c. Nisi, eod.* Secunda, si impedit administrationem. §. *Non absimilis, hoc tit. d. c. Nisi*, §. 1. Tertia, si maximus est defectus. §. *Propter, hic, c. Cum nobis, de Elect. c. Venerabilis, de Præben. d. cap. Nisi.* Quarta, si proficere non potest. §. *Propter malitiam, hic, d. cap. Nisi,* §. *propter malitiam.* Et in Actis Apostolicis *in cap.* 13. Ubi legitur de Apostolis, qui Judæis incredulis dixerunt: *Ecce convertimur ad gentes, quia Verbi Dei vos indignos fecistis.* Quinta, si maximum scandalum timetur. §. *Propter malitiam.* Sexta si irregularitas sit Bigamiæ; aliàs enim si de legitimo Matrimonio non sit natus, cum eo potest dispensari. §. *Item ob. hoc. tit.* Scias tamen, quod quamvis Prælatus, vel Episcopus, qui semel transivit ad vitam Monachalem, non possit amplius fieri Episcopus. §. *Accidit hic, cap. Item cum aliquis.* 7. *q.* 1. *&c. Hoc nequaquam, &c. Post translationem ext. eod.* Ut puta si quis convictus est de crimine, & ob id detrudatur in Monasterium, *c. Post translationem ext. eod.* Vel etiam si quis humilitatis causa transivit ad Monasterium, & de licentia Papæ: attamen in quibusdam casibus potest iterùm in Episcopatum assumi, ut si quis persecutionis rabie sæviente, vel præpeditus adversa valetudine corporis, cùm proficere nequeat in regimine Pastorali, de Superioris authoritate ad monasticam vitam descendat; namque persecutione, aut ægritudinis impedimento cessante ad Episcopalem poterit dignitatem resurgere. § *Cæterùm, hoc. tit. d. cap. Post translationem.* §. *Cæterùm.* Est alius casus in §. *Idem Juris, hoc tit.* nempè si ignarus, in Monasterio acquisiverit scientiam.

Quò ad Postremum: Effectus est, ut sequuta Renunciatione, teneatur Prælatus Ecclesiam dimittere, nec possit regulariter ad ipsam redire, *d. c. Post translationem.* Quinimmò si quis impetraverit licentiam renunciandi, renunciare tenetur, *c. Quidam, ext. eod.* §. *fin. hic.* Vide *d. cap. Hoc nequaquam, & c. seq.* 7. *q.* 1.

TIT. XX.

De Depositione, seu Degradatione.

Visum est de duobus modis, quibus Matrimonium spirituale inter Prælatum, & Ecclesiam dissolvitur; nunc de tertio videndum est, nempe de Depositione: & videbimus:

1. *Quid sit Depositio, seu Degradatio?*
2. *Quot species?*
3. *Qui possint deponi?*
4. *A quibus fiat?*
5. *Quomodò?*
6. *Ex quibus causis?*
7. *Ad quid?*

Quò ad Primum: Depositio significat actionem factam apud Pontificem sine solemnitate. Degradatio autem est de gradu dejectio, instituta ad similitudinem exauthorationis ejus, qui militiæ deservit armatæ, cui ob delictum & ordo militaris, & insigne detrahitur. §. 1. *hic, cap. Degradatio, de Pœnis, in 6. l.* 1. §. 1. *ff. de his, qui not. inf. l.* 3. §. *pœna, ff. de Re milit.* Et proprie Degradatio est gradus privatio, verbis, factoque solemni celebrata. Depositio verbis tantùm, & sine solemnitate, *d. c. Degradatio.*

Quò ad Secundum: Duæ sunt species Degradationis, *Verbalis, & Actualis, d. cap. Degradatio.* §. 2. *hic.* Verbalis est illa, quæ à proprio Episcopo sibi adsistente in Degradatione Clericorum, in sacris Ordinibus exsistentium, certo Episcoporum numero, definito à canone, est facienda, *hic in §. 2. d. c. Degradatio.* Poterit enim Episcopus in tali Degradatione uti verbis aliquibus illis oppositis, quæ in collatione Ordinum fuere prolata; dicens hæc Presbytero, vel similia verba in Depositione: *Auferimus tibi vestem Sacerdotalem, te honore Sacerdotali privamus*, ut in *d. c. Degradatio*, & *c. Si quis Episcopus.* 6. *q.* 4 Secunda est, quæ fit, ut exauthoratio ejus, qui deservit militiæ armatæ, cui militaria detrahuntur insignia, sicque, à militia remotus, castris ejicitur, privatur consortio, & privilegio militari. Etenim Clerico degradando Episcopus singula, sive sint vestes, calix, liber, seu quævis alia, quæ juxta morem ordinandorum in ordinatione ab Episcopo tradita, seu collata sunt, singula aufert, erasо etiam toto capite ipsius Degradandi, *c. Degradatio, hoc tit.*

Quò ad Tertium: Brevis est Regula. Omnes posse deponi, qui gravia delicta patrarunt, ut infra videbimus.

Quò ad Quartum: Antiquitùs Episcopi à Metropolitano deponebantur, duodecim ad minùs Episcopis adsistentibus, *c. In summa.* 3. *q.* 8. In Presbytero degradando Episcopus sex aliis Episcopis ad minùs præsentibus degradabat, 10. *q.* 7. *c. Felix.* In Diacono, vel Subdiacono tribus præsentibus per Abb. *in cap. Non potest, de Sent. & re jud.* Verùm hodiè, si de Episcopo agitur, cognitio pertinet ad Summum Pontificem. Si de Presbytero, iste deponitur ab Episcopo, vel ejus Vicario adhibito certo numero Abbatum, usum mitræ, & baculum habentium, si possint haberi; aliàs adhibeantur Prælati alterius generis. In Conc. Trid. *sess.* 13. *c.* 4. *de Reform.* Si de minores Ordines habentibus tractatur, Episcopus est, qui id ex causa facere potest, *d. c. Degradatio, de Pœnis in 6.*

Quò ad Quintum: Ordo traditur *in d. c. Degradatio.* Adducitur Degradandus indutus vestibus sacris coràm Episcopo: si est Sacerdos cum Calice in manu, sivè aliud, quod ad ejus officium pertineat; & Episcopus singula quibusdam verbis prolatis, detrahit; inchoando ab ultimo ornamento, & continuat usque ad primam tonsuram, in cujus depositionis signum, caput postea eraditur, *d. c. Degradatio.* Legatur Exemplum Degradationis Presbyteri Criminosi factæ cum lacrymis à Sancto Carolo Borromeo in ejus Vita *lib.* 7. *c.* 4.

Quò ad Sextum: Antiquitùs tres notabantur causæ: nempè *Hæresis, Falsitas, & Usurarum exercitium, c. Nolumus, de Verb. Sign. c. Nulli.* 44. *d.* Verùm & aliæ sunt causæ: Frequentia homicidiorum; conversatio continua cum mulieribus post admonitionem, & alia hujus generis, *c. Clericus* 81. *dist.* Vide *c. Cum non ab homine, ext. de Judic.*

Quò

Quò ad Postremum: Degradatio fit in pœnam Clericorum delinquentium, & ad eos puniendos. *c. Sacerdos.* 81. *d.* Et sæpè fit, ut possit Judex sæcularis ipsum Clericum Degradatum punire, licèt debeat Judex Ecclesiasticus eum tradendo orare, ne deveniatur ad pœnam sanguinis, *c. Rerum.* 17. *q.* 4. est *tex. in §. Clericus, hìc.* Et fit etiam ad privandum Clericum, ne se immiscеat amplius in sacris, ut notatur in *c.* 1. *de Cler. excom.* & ait *text. hìc in fine.*

TIT. XXI.

De Sacerdotibus in inferiori gradu constitutis.

CUm usque ad præsentem titulum tractatum sit de Sacerdotibus existentibus in gradu supremo, aut majori, nunc tractatur de his, qui sunt in gradu inferiori: & videbimus:

1. *Qui sint Sacerdotes in gradu inferiori existentes?*
2. *Quæ sit Presbyterorum potestas?*
3. *Qui possint esse Presbyteri?*

Quò ad Primum: Sacerdotes existentes in gradu inferiori sunt Presbyteri, qui æqualiter sunt Sacerdotes in tantùm, ut non desint, *& c. Olim.* 95. *d. §. Presbyterorum, hoc eod. tit.* Presbyteri autem nomen trahitur à senectute, *c.* qui dicant Episcopos, & Presbyteros differre dignitate, non ordine, *c. Legimus.* 93. *d. Quisquis, c. Porrò, d.* 8. licèt potius hoc nomen maturitatem sapientiæ, atque prudentiæ indicet, quàm canitiem corporis, vel annorum multitudinem. *c.* 2. 25. *q.* 6. *c. De quib.* 20. *d.*

Quò ad Secundum: In hoc capite distinctio est adhibenda: nam Presbyteri quædam possunt Jure proprio, ut est Corporis Dominici, ac Sanguinis consecrationem, etiam præsente Episcopo, peragere, *d. c. Legimus, c. Ecce, dict.* 95. Infantes baptizare, *c.* 2. *&* *c.* 3. *de Off. Archip.* Sanctificato oleo inungere, ac benedicere, non tamen solemniter, ut *d. c. Ecce,* & de his vide in *d.* 91. *c.* 1. *& c. Presbyteros, d. dist.* 95. *cap. Ministrare.* 96. *q.* 9. & notatur in *c.* 2. *&* 3. *de Offic. Archipr.* Pœnitentes occultos absolvere. *Locis supr. alleg.* & de his loquitur *§. Episcopi, hìc.* Quædam verò possunt ex persona Episcopi: scilicet Episcopo permittente, & imminente necessitate extrema, ut Baptizatos sacro linire Chrismate, & Virgines Deo dicare, *d. c. Ecce, extr. eod. text. in §. Episcopi, hìc.* Quædam tamen neutro modo conceduntur Sacerdotibus, ut est Ecclesias consecrare, erigere, reconciliare, Sacrum Chrisma conficere, Clericos ordinare, excommunicare, publicas injungere pœnitentias, aut publicos pœnitentes reconciliare; ut in *§. fin. hoc. tit.* aut alia similia efficere, *d. c. Ministrare, cap. Aquæ, de Consecrat. Eccles. vel Alt. c. Quanto, de Consuetud.*

Quò ad Postremum. Illi possunt esse Presbyteri, & Sacerdotes, qui cùm legitimè fuerint promoti ad ordines inferiores, dignos se præbuerunt, ut ad sacra ministeria tangenda assumantur. Insuper requiritur, ut per annum Diaconi extiterint, optimisque moribus sint exornati, *c.* 11. *c.* 14. *sess.* 23. *in Conc. Trid.* Ac tandem ut annum vigesimum quintum attingant; ut *sess.* 23. *c.* 12. *ejusd. Trid. Conc.*

TIT. XXII.

De his, qui in Sacris sunt constituti.

CUm post Sacerdotes reperiantur immediatè, qui in sacris sint constituti ordinibus, quinimmò Sacerdotes esse non possint, qui sacros Ordines non receperunt, ob id etiam de his tractare oportet; Et pro tituli expeditione videbimus.

1. *Sacer ordo qui dicatur?*
2. *Qui dicantur in sacris ordinibus constituti?*
3. *Qui sint Diaconi, & Subdiaconi?*
4. *Qui possint ad hos ordines promoveri?*
5. *Quæ sit Diaconorum, & Subdiaconorum Potestas?*

Quò adPrimum. Sacer ordo dicitur characteris quædam in anima impressio, de Sacramento Corporis Christi participans, qua quis in viam Domini adeò transfertur, ut non liceat ei amplius recedere, *c. Cum ex eo, de Elect. in* 6. Abb. in *c. Si quis Clericor. de Cleric. conjugatis.*

Quò ad Secundum. Septem secundum aliquos sunt Ordines: Minores quatuor, nempè *Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus.* Majores tres, *Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus.* Sunt, qui etiam adjiciunt Episcopatum ordinem esse majorem: Psalmistatum minorem; sed prior sententia magis recepta est. Erunt igitur in Sacris illi: qui vel Diaconi, vel Subdiaconi, vel Presbyteri sunt.

Quò ad Tertium. Diaconi nomen significat Sacerdotis ministrum, & est nomen dignitatis, *c. Si quis post acceptum,* 51. *d.* Et Diaconi sunt, qui omnibus ordinibus, præter Sacerdotis characterem exornati, Episcopo dum Altissimo sacrificia offert, auxiliantur, *c. Diaconi.* 93. *d.* Subdiaconi sunt illi, qui præter minores ordines hunc majorem receperunt tantùm. *c. A Subdiacono, d.* 93.

Quò ad Quartum. Ad ordinem Subdiaconatus promoveri possunt illi, qui omnes minores ordines receperunt, & vigesimum secundum annum degunt: ut *in Concil. Trid. sess.* 23. *cap.* 12. Ad Diaconatum verò, qui cæteros ordines obtinuerunt inferiores, & habent annum vigesimum tertium; in Subdiaconatuque persistant per annum, *d. c.* 12. *cum seq.* Intellige, prædictos annos sufficere incœptos. DD. apud Barbosam *d. sess.* 23. *c.* 12. *num.* 2.

Quò ad Postremum. Modica horum auctoritas existit, cùm debeant ne dum Episcopis, sed etiam Presbyteris subesse: Et quidem Diaconorum officium est, Episcopum prædicantem ab insidiis custodire, Sacerdotibus assistere, & Evangelium ad populum prædicare, *c. Perlectis. §. Ad Diaconum.* 25. *d.* Ad Subdiaconum verò pertinet Diacono subesse, & ejus officii est, Calicem, & Patenam ad Altare deferre, & Levitis tradere, eisque ministrare; Urceolum quoque, & aquam, mantile, & manutergium tenere, Episcopis, Presbyteris, & Levitis pro lavandis ante Altare manibus aquam præbere. *§. Diaconum.* 1. *hoc tit. d. c. Perlectis. §. ad Subdiaconum.*

TIT. XXIII.

De his, qui in minoribus sunt constituti.

VIdimus de his, qui in sacris ordinibus sunt constituti; nunc de his qui minores ordines habent. Et videbimus

1. *Qui sint ordines minores?*
2. *Qui possint ad hos ordines promoveri?*
3. *Quæ ad ordines minores pertineant?*

Quò ad Primum: Quinque sunt secundùm quosdam minores ordines, *Acolythatus, Exorcistatus,*

ſtatus, *Lectoratus*, *Oſtiariatus*, & *Pſalmiſtatus*: & dicuntur minores ordines, quia cum modica ſolemnitate conferuntur, & ſine Sacramentali benedictione, cum quadam vaſorum, vel indumentorum diſtributione. Quinimmò Pſalmiſta, qui & cantor dicitur, abſque ſcientia Epiſcopi, jubente Presbytero, ſuſcipit munus cantandi. §. 1. & 2. *in fin. hic*, *c. Pſalmiſta.* 23. *d.* Hic ordo ſecundùm aliquos eſt prima tonſura, & cum ea confunditur, *d. c. Pſalmiſta.* Hinc eſt, quòd non deſunt dicentes quatuor eſſe tantùm ordines minores, auctoritate *Conc. Trid. c.* 17. *ſeſſ.* 23.

Quò ad Secundum. De hac re adeſt titulus ſpecialis, infra de his, qui poſſunt promoveri, vel non, idcircò tunc temporis de hac re dicetur.

Quò ad Poſtremum: Ad Pſalmiſtam, ut ab inferiori ordine; ſeu à diſpoſitione ad ordines incipiamus, pertinet cantare, jubente Presbytero, & ob id cantor etiam appellatur.

Ad Oſtiarium pertinet, claves Eccleſiæ tenere, claudere, & aperire; undè nomen eſt deſumptum: fideles recipere, & excommunicatos, atque infideles à templo ejicere, *c. Ordinarius* 23. *d.*

Ad Lectorem lectiones pronunciare legendo, ac prædicare, quæ per Prophetas populis fuere prædicata, *c. Lector.* 23. *d.*

Ad Exorciſtam exorciſmos memoriter retinere, manusque ſuper energumenos, ideſt à Dæmonibus obſeſſos, & Catechumenos imponere, *c. Exorciſta.* 23. *d.*

Ad Acolythum tandem pertinet lumina accendere, *cap. Acolythus.* 23. *d.*

In fine hujus tituli nota, quòd conſtituti in majoribus ordinibus nullo pacto matrimonium poſſunt contrahere; conſtituti autem in minoribus poſſunt, ſed privantur beneficiis, & dignitatibus Eccleſiaſticis. Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *de Sacram. Matrim. Can.* 9. & ibi DD. quos citat Barboſa *num.* 16.

TIT. XXIV,

Communia tam minorum, quam majorum Ordinum.

QUoniam vidimus ordines, de quibus ſupra actum eſt, nulla inter ſe communia habere, ideò de his nunc videndum eſt: Et examinabimus:

1. *Quo modò iſta Rubrica ſit accipienda?*
2. *Quæ majores minoribus præſtare debeant?*
3. *Quæ minores majoribus?*
4. *Quæ verè communia ſint?*

Quò ad Primum. Rubrica iſta debet in eum modum intelligi, ut ea comprehendat, ad quæ tam majores, quàm minores ordines habentes tenentur: tum etiam quia ea complectatur, quæ inter habentes majores, & minores ordines ſunt explicanda, ut ex infrà dicendis præcipuè apparebit.

Quò ad Secundum: Majores erga minores debent, ſe eo modo præbere, ut non quaſi ſe dominos eſſe putent; ſed debent illos, qui ſunt in minoribus conſtituti, ut Clericos honorare, docere; & ſi reſpectu majorum ordinum præſunt, debent etiam exindè curare, ut eisdem proſint. §. *majores. inſ. hoc. tit. cap Eſto*, *d.* 95. Cur ergo, dicit textus, te habeam ut Principem, cùm tu me non habeas ut Senatum? Hoc tamen reſpicit factum, nam de Jure tollerandus eſt Prælatus uſque ad ſententiam, *c. Minore* 8. *quæſt.* 4.

Quò ad Tertium: Non debent habentes minores ordines, ſe quaſi æquales habentibus majores oſtendere; ſed humiles eſſe debent, & ab eis doceri in his præſertim, quæ ad ſacra peragenda pertinent; & debent ea tantùm aſſumere, quæ ad propriam perſonam pertinent, *hic in princ.* & *c.* 1. *& ibi not. de Sepult.*

Quò ad Poſtremum: Illud in primis communiter convenit, tam majoribus, quàm minoribus ordinibus, ut ordinandorum inquiſitio habeatur circa ipſorum qualitates, patriam, ſcilicet, parentes, nativitatem, mores, peritiam, fidem, & alia hujus generis. §. *præcedet inf. hoc tit. c. Quoniam, d.* 24. & in Conc. Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 1. *ſeſſ.* 14. *c.* 3. *& ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *& c.* 7. *& c.* 12. *& c.* 14. *in Decret. Reform.* & in *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. Præterea illud commune eſt, ut conferantur ordines gratis, non munere, aut pretio interveniente, *d. c. Quando, & c. Fin. d.* 24. Quinimmò hoc caſu tam ordinatus, quàm ordinans ſunt puniendi. §. *ipſi verò, inf. eod.* Tertiò commune eſt, ut minùs idonei non admittantur: quoniam ſanctius eſt, paucos habere bonos, quàm multos malos miniſtros. §. *Item, ſup. hoc. tit.* Abb. *in c. Cum ſit, de ætat. & qualis. c. Tales.* 23. *d.* Inſuper illud commune eſt, ut ordines conferantur ſucceſſivè, & ordinatim, aliàs ordinatus per ſaltum non poteſt exercere ordinem, niſi interveniat diſpenſatio, *c. Unico. de Cler. per ſalt. promot. c. Sollicitudo.* 51. *d.* Ideò debent ordines ſtatutis temporibus conferri, alioquin & Ordinantes, & ordinati puniuntur. §. *Igitur, cum ſeq. inf. eod. c. de eo, c.* 2. *& c. Cum quidam, de Temp. ordinat.* Nota tamen, quòd etiam, quando extra tempora ſtatuta conferuntur ordines, ordinatus recipit characterem, *c. Penult. ext. eod. tit. de Tempor. ord.* Et habes ſimile, quod puer non eſt ordinandus ad ſacros ordines, ſi tamen ordinetur, imprimitur character, *c. Vel, non eſt compoſ. de Temp. ord.* & not. *in c. Unic. ext. de Cleric. per ſalt. prom.* Sic etiam non debet, quis à Judæo, vel Pagano baptizari, baptizatus tamen non eſt rebaptizandus, *cap.* 1. *de Summ. Trinit. & fide Cathol. c. Quodam, & c. Romanus de Conſecr. d.* 4. Atque tandem illud commune eſt, ut ſe immiſcentes in divinis ſine ordine, ordinibus perpetuò careant. §. *Quodſi is, inf. eod. c. Ut quisquis, de Vit. & Honeſt. Cleric.* Cætera vide in textu. An ſi nondum baptizatus, fuerit ordinatus, receperit characterem, an verò debeat baptizari, & iterùm ordinari? Dic quòd debet baptizari, & iterùm ordinari, quia ſine Baptiſmo nullum Sacramentum recipi poteſt. §. *de eo, hoc. tit.* & ibi Gloſſ. Item An Epiſcopus ſolus ſemper conferat minores ordines, an hoc interdum aliis concedatur? Et hic, quod minores ordines etiam ab Abbatibus conferuntur. §. *Illud poſtremò, hoc. tit.* Item An Epiſcopus, qui renunciavit Epiſcopatui, poſſit ſacros ordines conferre? Diſtingue; An loco renunciavit, aut etiam dignitati? quæ omnia traduntur in §. *de eo, & in* §. *ſeqq. inf. hoc noſtro titulo, in fin.*

TIT.

TIT. XXV.

Qui promoveri non possint?

INterea, quæ communia sunt, hoc unum potest etiam connumerari, ut ad ordines non promoveantur, qui ex aliqua causa minùs idonei evadunt, & ideò ut cognoscantur hi, qui non possunt promoveri, subijcitur iste titulus: & videbimus

1. *Quæ causæ ordinationem impediant?*
2. *Quæ ex his causis dispensationem admittant?*
3. *Qui possint dispensare?*

Quò ad Primum. Variæ recensentur causæ, per quas non potest quis ad ordines promoveri. Quinimmò si aliquis promotus est, & in aliquam ex causis infrà dicendis incidat, ad Superiores ordines non promovetur, *cap. Fin. 55. §.* Causæ verò istæ sunt *Subjectio, Delictum commissum, Corporis læsio,* & *Suspicio futuri lapsus.*

Subjectio significat Jus quoddam ab alio habitum in personam ordinandi, quo Jure interveniente, efficitur, ut ordinandus plena libertate non gaudeat. Hinc servus antiquitus non ordinabitur, *c. Consuluit, de Servis non ord.* Quinimmò nec manumissus, quia Patronus aliquod Jus sibi reservabat, *c. Quodcunque, d. 54. §. ratione subjectionis inf. eod.* Et nota, quòd hic Patavii servitutes hominum durarunt usque ad *Annum* 1200. ut ostendunt *mea Erotemata cap.* 133. *Quæs.* 17. Hinc etiam fit, quòd nec Monachi possunt ordinari, seu ad Ecclesiastica beneficia promoveri sine licentia Abbatis, *cap. Statuimus. 79. quæst. 3. §. Monachi, inf. eod.* Hinc etiam prohibitum est Episcopis eos ordinare, qui sunt de alterius Diœcesi, nisi habeant licentiam ab Episcopo ordinario, vel ejus Vicario, *c. nullum Episcopum. 9. quæst. 2. c. Pen. & fin. de Supplend. negl. Pral. in 6. §. pari ratione, inf. hoc. tit.* Item quando concurrit licentia Episcopi Ordinarii, causa legitima intervenire debet, *c. 11. sess. 7. in Conc. Trid.*

Secunda causa est delictum commissum, quod crimen significat ejus generis, ex quo pœna capitis effiagitari videatur, *c. Si Episcopus. 50. d. c. In memoriam, 19. d.* Hinc si quis ex proposito delictum commisisset, (puta homicidium) ordinari non potest: secùs si in casu suæ defensionis homicidium perpetrasset. *Clem. unic. de Homicid. §. Patrari, cum seq. inf. eod.* Id tamen verum est, quòd si culpa præcedit casum, ordinatio impeditur, *c. Continebatur, & cap. De cætero, & cap. Dilectus, de homicid.* Hinc etiam pœnitentes publici non possunt ordinari, *c. Ex pœnitentib, d. 50. cap. 1. extr. d. Bigam, cap. Nullus. d. 55.* Et de pœna ferendæ publicæ pœnitentiæ vide text. *in c. De his, 50. d.* & per DD. *in d. c. 1. de Bigam. §. Pœnitentes, infr. eod.* Hinc etiam usurarius ab ordinibus repellitur, *cap. Fin. 46. d. cap. 1. c. De Petro, & c. Si quis, d. 47. §. Quod si quis, inf. eod.* Hinc Simoniaci, Fures, & similes personæ ab ordinibus arcentur, *cap. Seditionarios, 46. dict. §. Idem cum seq. infr. eod.* Quod autem dicitur de furibus nota, quòd quinque intervenientibus potest ordinari fur.

Primum est: Quòd sponte confiteatur.
Secundum: Quòd satisfaciat damnum passo.
Tertium: Quòd egerit pœnitentiam.
Quartum: Quòd sit alias idoneus.
Quintum: Ut non sit fama aspersum, ut per Abb. *in c. Fin. de Fures.*

Tertia causa ordinationem impediens est corporis læsio, dummodò non modica existat, *c. Fin. de Corp. vitiat.* Quod ita intelligendum est, si læsio non contingeret in parte non visibili, eo tempore, quo quis intellectu caret, ut puta si quis fuisset virilibus membris in infantia privatus, *c. 3. extr. de corp. vitiat.* Id etiam intelligendum est quando membrum adeo est infirmum, ut ad suum munus invalidum esset, veluti si manum quis debilem haberet, ut non posset officio fungi; & idem esset, si membrum esset ejus conditionis, ut deformitatem induceret, *cap. Presbyterum, de Cler. ægrot.* Est text. *in §. Cavenda, cum seq. inf. hoc. tit.*

Postrema causa est suspicio futuri lapsus, quæ nihil aliud est, quàm conjectura ex rationabili causa descendens, qua quis in errores casurus præsumitur. Hinc si quis in lecto jacens infirmus Baptismum susceperit, promoveri non debet. *§. Sed etsi, infr. eod.* Quemadmodum nec rebaptizatus. *c. Confirmandum, de Consecration. d. 4. & c. Qui his. §. Scienter, inf. eod.* Hinc prohibentur Presbyterorum filii, & illegitimè nati, quia suspicatur eos posse imitari paternam incontinentiam, *c. 1. & tot. tit. de Filiis Presbyt. §. Presb. infr. eod.* Hinc etiam ab ordinibus Bigami repelluntur, *c. 1. de Bigam.* Et Bigamus dicitur, qui duas habuit uxores, vel unam, sed corruptam; vel qui cum vidua de facto contraxit, namque etiam hoc casu propter affectum voluntatis cum opere subsequuto fit Bigamus, & in consequentia irregularis. Alii dicuntur Bigami interpretativè, ut qui cum vidua, aut corrupta contraxerunt. Item qui unam de Jure, alteram de facto habuerunt. Item ille, qui scienter cognovit uxorem adulteram. Alii dicuntur Bigami propter affectum intentionis cum opere subsequuto, *c. Nuper, & c. A nobis, extr. de Bigam.* Alii propter Sacramenti defectum, ut mariti Viduarum, & corruptarum. Item ille, qui successivè, diversis temporibus uxores habuit duas, & de his omnibus vide Glossam *in c. 1. extr. Bigam.* Et nota quòd in Sacramento Matrimonii triplex designatur Sacramentum. Primum est unio fidelis animæ ad Deum propter dilectionem, & charitatem, & hoc designatur per conjunctionem animorum in ipsa prima desponsatione, dum alter ad invicem consentit in alterum.

Secundum est Unio humanæ naturæ ad Deum, quæ facta est in Utero Virginali per Incarnationem Verbi Dei, & hoc designatur per carnalem comixtionem viri, & uxoris, quod intellige per ipsum actum consummatum designari hoc Sacramentum.

Tertium est unitas Ecclesiæ, ex omnibus Gentibus collecta, uni viro Christo subjecta; quod Sacramentum consistit in eo, quòd quis unicum matrimonium servavit, nec cum corrupta contraxit, Clerico postea facto, & ordine suscepto: vide plenius in Gloss. *in cap. Debitum, in Verb. Sacramenti, extr. de Bigam.* Et hoc quod dictum est de Bigamis, quòd non possunt ordinari, verum est in eo casu, quo quis duxerit uxorem ante Baptismum, & alteram post, *cap. Acutius 26. d.* Sivè utramque ante Baptismum, *cap. Una, ead. d.* Et quantum spectat ad irregularitatem Bigamiæ, notandum est, non censeri Bigamiam, nec Bigamum nisi copula intercedat, fueritque matrimonium consummatum, *c. Debitum, & ibi DD. communiter de Bigam.* Hinc etiam à Dæmone obsessi, vel furiosi, item Scenici prohibentur ordinari, quoniam justè timeri potest, ne in errores delabantur, & materiam scandali præbeant: est *§. Fin. inf. eod. cap. Maritum, d. 33. in fin. & c. Clerici.* Si tamen aliquis horum fuerit promotus, non deponitur, *c. Quamvis. 7. quæst. 1.* & not. *in d. c. Maritum.* Unde etiam quamvis oculo privatus non possit promoveri, attamen si postea talis privatio contingat, retinet ordines, quos habuit. §. *Hæc autem, inf. eod.* Quamvis propter scandalum, & deformitatem amittat executionem, *cap. 2. & cap. 3. de Cleric. ægrot.*

Quò ad Secundum: Subjectio quidem impedit ordinationem, sed facillimè impedimentum remitti-

remittitur; quoniam concessio libertatis efficit, ut ordinatio fiat; quinimmò & facta tenet, etiamsi Dominus fortasse ignorasset, *c. Si servus sciente. 54. d.* Et ibi vide *per. tot.* Hinc etiam Clericus alterius Diœcesis cum licentia Ordinarii ordinatur, *cap. 1. sess. 7. & c. 2. sess. 14. in Conc. Trid.*

Delictum autem commissum, si notorium est, veluti homicidium ex voluntate commissum, dispensationem non meretur, *c. 7. sess. 24. in Concil. Trid.* Si verò est homicidium sine culpa perpetratum, non est necessaria dispensatio, quòd si culpa præcessit, tunc secundùm qualitatem homicidii fit dispensatio cum majori, vel minori difficultate, *c. Lata, c. Continebatur, de Homicid.* Id tamen verum est, quòd si quis delictum commiserit, postquam est ordinatus in susceptis ordinibus, toleratur, sed administratio interdicitur, *c. Studeat, 50. d.* Cæterùm si quis secundariò mortem alicujus procuraverit, veluti si prosequendo propriam offensam ipsum Judici detulerit delinquentem, qui fuerit postea ad mortem damnatus, potest dispensationem obtinere, *c. Postulanti, ext. de Homicid.* Idem dicitur de Furibus, namque etiam cum his potest dispensari, intervenientibus his quinque supra relatis, *c. Non dicatis. 12. q. 1. c. Laici. 33. d. c. Tantis, d. 81.* Qui simoniacè ordinati sunt, regulariter dispensationem non solent obtinere, sed cum maxima difficultate. Goffr. *in Rubr. ext. de Simon. num. 27.* Quò ad tertiam causam Rebaptizati necessitate si in fide perseveraverint, justè ordines suscipiunt. *Arg. tex. in cap. Cum per Bellicam, 34. d. 1. c. Tunc valere, de Consecrat. dist. 4.* Similiter cum filiis illegitimis dispensatur, *c. 1. de Filiis Presbyt.* Quò tandem ad læsionem, quando est modica, dispensatio non difficiliter obtinetur; si maxima tunc secùs, veluti si quis oculum amisisset, tunc enim cum maxima difficultate obtineretur dispensatio. Id tamen est verum, quod si collati sunt ordines, ordinatio non retractatur, sed executio suspenditur, *cap. 2. c. seq. de Cler. ægrot.* ut suprà diximus.

Quò ad Postremum: Si de minoribus ordinibus tractatur in quibusdam casibus Episcopus potest dispensare, secùs si de majoribus, *c. Continebatur, c. Ad audientiam, de Homicid.* Ulteriùs potest etiam dispensare Legatus de Latere, quia quod non est specialiter reservatum Summo Pontifici, intelligitur Legato concessum, *c. Nisi, de Offic. Legat.* Insuper regulariter Summus Pontifex est ille, qui dispensare potest. Idque facit ratione concurrente, veluti si membrum deficiat, vel alia causa, quæ ordinationem impediat, & maximi sit momenti, concurrat, *c. Speculator. §. Nunc breviter, de Dispensat.*

TIT. XXVI.

De Præbendis, & aliis Beneficiis.

VIdimus de his, qui possunt ad ordines promoveri, sed quia illis, qui promoventur, Præbendæ, seu beneficia conceduntur, ob id nunc tractatur de hac materia. Et pro tituli intelligentia videbimus:

1. *Quid sit Beneficium?*
2. *Quid Præbenda?*
3. *Quibus Beneficia concedantur?*
4. *A Quibus?*
5. *Quot modis?*

Quò ad Primum: Beneficii nomen æquivocum est, sed in nostro titulo præsefert Præbendas, & dignitates Ecclesiasticas, & potest dici *Ecclesiasticum Beneficium* (de quo tractamus,) *ut sit distincta, & spirituali munere consueta Jurium Ecclesiarum portio, certis ædibus sacris in hoc assignata, ut perpetuo ad vitam utendo Clerico legitimè assignetur.* Thoman. *in suo tractatu Syntagm. Juris, lib. 17. c. 2. n. 2.* Vel potest dici *Ecclesiæ concessio, utilitatem, fructumque reddens. ibid.*

Quò ad Secundum: Præbenda primo loco significat perceptionem quandam fructuum à canonicatu sejunctam, quæ etsi de rebus Ecclesiasticis detur, tamen non ratione officii, sed laboris temporalis de Ecclesia benemeritis conceditur, *c. fin. extr. de Magist.* Secundo modo Præbenda sub nomine beneficii continetur, *c. Pro illorum, c. fin. de Præbend.* Et est Jus percipiendi proventus Ecclesiasticos alicui tanquam Uni de Collegio competens, & ex Canonia procedens. *§. Præbendæ, hìc, c. Relatum, de Præbend.* Non enim debet esse quis Canonicus sine Præbenda; & fuit inventa Præbenda, ut ille, qui Altari servit, possit de Altaris redditu victum percipere. *§. Cum enim, infr. eod. hoc tit.*

Quò ad Tertium: Præbendæ, & beneficia conceduntur illis, qui sunt ordinati, & Clero adscripti, & illis potissimùm, qui per se possunt in Ecclesiis deservire, & munus injunctum explicare, *c. 1. 2. sess. 24. in Conc. Trid.* vel ut inquit Goffredus *in Summa in Rubric. n. 2.* conceditur idoneæ personæ, quæ resideat in loco, & curam ejus valeat per se exercere, *c. Relatum, extr. de Cler. non resid.*

Quò ad Quartum: Regulariter præbendæ conceduntur à Prælato Ecclesiæ, in qua præbenda vacat, *cap. Ex frequentibus, &c. Ad decorem, de Institut.* Verum tamen est, quod interdùm de consuetudine in contrarium observatur, *c. Cum Ecclesia, de Elect. extr. de Concess. Prab. c. Nulla;* quoniam interdùm Prælatus cum Capitulo, interdùm autem Capitulum beneficia confert, *d. c. Nulla,* & sunt *text. inc. 1. 2. 3. &c. Novit, De his, quæ fiunt à Præl. sine conf. capit.* ubi Prælatus solus confert, *d. cap. Cum Ecclesia,* ubi Capitulum solum sine Prælato confert: sed de Jure communi Prælatus unà cum Capitulo suo institutiones, & concessiones facere debet, *d. c. 1. 2. 3.* Verum tamen est, quod si tractatur de Dignitatibus, collatio pertinet ad Summum Pontificem, qui in Beneficialibus est Dominus, *c. Cuncta 9. q. 3.*

Quò ad Postremum: Duobus modis conceduntur Beneficia, & Præbendæ: Institutione, & Collatione: de quibus infrà dicemus. Hoc tamen est advertendum, quòd concessio debet fieri purè; & sine aliqua pactione, & diminutione, *c. Un. ext. Ut Eccles. Benef.* Et adverte, neminem esse ordinandum, qui non habeat Præbendam, vel Beneficium aliquod; & si Episcopus aliquem inopem ordinaverit, tenetur illi præstare necessaria, donec ei aliquam Præbendam, vel Beneficium assignet, *c. Episcopus, ext. eod.* & de hoc est *c. 2. in Decret. de Reformat. sess. 21. in Concil. Trid.* Verùm si quis habeat Patrimonium sufficiens potest ordinari ad titulum Patrimonii, ut in *Concil. Trid. d. sess. 21. c. 3. in Decret. Reform.*

TIT. XXVII.

De Collationibus.

QUoniam inferiora Beneficia conceduntur vel per Collationem, vel per Institutionem, cum Collatio videatur præcedere tanquàm pendens ex arbitrio Superioris, ob id nunc agitur de Collatione: & pro tituli expeditione videbimus:

1. *Quid sit Collatio?*
2. *Quot modis fiat?*
3. *Qui possint conferre?*
4. *Quæ Ecclesiæ conferantur?*
5. *Intra quæ tempora?*
6. *Quæ sint in Collatione observanda?*

Quò ad Primum: Collationis verbum æquivocum est: significat enim contributionem bonorum à Prætore institutam: & quasi communi-

nicationem præsefert, de qua in *tit. ff. & C. de Collat.* Deindè significat rei ad rem comparationem. Sed quò ad materiam nostram, *Collatio est libera quædam Præbendæ concessio, quæ ab habente potestatem fit gratuitò in Clericum*; Vel potest dici, *Gratuita quædam Beneficii vacantis assignatio, legitimè facta ab eo, qui potestatem habet.* Abb. *in c. Relatum, num. 4. ext. de Præben.*

Quò ad Secundum: Ut hoc caput plenè intelligatur, distinguendum est inter personas conferentes: Etenim si de Summo Pontifice tractatur, quoquo modo potest fieri collatio. Purè quando collatio fit sine clausula suspensiva, vel dilativa. Item in diem quando confertur Præbenda, quam quis intra mensem, aut aliud tempus, à vacationis notitia duxerit acceptandam. *Clem. Un. de Conces. Præb. Vers. quia eod.* Quo casu si in rescripto adest decretum irritans, collatio facta ab Ordinario intra illud tempus est nulla, *c. Si soli, de Conces. Præbend. lib. 6.* est *tex. in §. Dies, hoc tit.* Ubi ratio redditur, quia Decreti appositio, reservatio, executoris inhibitio, & lis mota afficiunt beneficium, *cap. Tibi qui, de Rescript. in 6. de Conces. Præbend. per tot. cap. 1. c. 2. Ut lit. pend. in 6.* Alios autem modos, quibus beneficia afficiuntur, refert Glos. in *d. §. Dies, in Vers. lis mota.* Item fit sub conditione, quando in rescripto conditio aliqua adjecta est: ut *in §. Sub Conditione, hìc.* Et est differentia inter hunc, & alium casum, quia in hoc casu appositio irritante decreto, non impletis adhuc conditionibus, vacans beneficium per Ordinarium, aut per Executorem ad providendum de tali beneficio datum, liberè conferri poterit; quod secùs est in casu superiori, ut supra diximus. Rursùs sciendum est: Quòd si collatio fit à Pontifice motu proprio, plenissimè interpretatur; itaut ille, cui facta est concessio Ecclesiæ, alia beneficia retineat: si verò est facta concessio ad partis petitionem, tunc secùs. *§. Multum, inf. hoc tit. Clemen. Gratia. de Rescript. c. Gratia, de Rescript. in 6. c. Si motu, de Præbend. in 6.* Similiter si motu proprio sit provisio, & plures vacent præbendæ, de pinguiori intelligitur facta collatio, Si verò fiat ad petitionem partis, tunc de minori intelligatur: & si in primo casu beneficia sunt æqualia, eligit ille, cui gratia est concessa; secùs autem est in secundo casu. *§. Item, cum seq. inf. hoc tit. c. Super eo. 2. de Test.* notatur in *c. Sedes, de Rescript. c. In obscuris, de Re judicata in 6.* Gratia autem dicitur fieri motu proprio, quando hoc expresè cautum fuerit. *§. Motu autem, inf. hìc d. c. Si motu.* Quòd si collatio fiat à Legato, vel Ordinario, tunc purè, & simpliciter fieri debet sine ulla diminutione, *c. Dilectus, 1. c. Majoribus, ext. de Præbend.*

Quò ad Tertium: Tres possunt referri personæ, quæ Beneficia conferunt. Summus Pontifex, Legatus, & Ordinarius. Ordinarius Collator est ille, quem consuetudo approbavit, aut Juris authoritas designavit, ut Episcopus, *§. 1. hoc tit. c. Omnes Basilicæ*, cum ibi alleg. 16. *qu.* 3. Etenim interdùm Episcopus, interdùm Capitulum separatim conferunt; nonnunquam Capitulum, & Episcopus simul; & hoc casu nec Episcopus sine Capitulo, nec Capitulum sine Episcopo potest conferre. *§. Quam conferendi, hoc nost. tit. c. Unic. Ne Sed. Vac. aliq. innovetur.* Nisi forte alter impediretur, vel per suspensionem, vel per majorem excommunicationem, vel propter mortem, *d. §. Quam conferendi, c. In apib. §. In quibus. 7. q. 1. & 23. q. 2. in princ.*

Quò ad personam Legati: Illud sciendum est: Quòd tres sunt species Legatorum. Legati missi, & sunt illi, qui ad certum negotium, vel Provinciam designantur, & Apostolici Nuncii dicuntur. Alii sunt nati, qui simul atque promoti sunt ad aliquam Ecclesiam, ipso Jure sunt Legati Papæ in sua Provincia; ut Episcopus Cantuariensis, *cap. 1. de Off. Legati.* Alii sunt Legati de Latere; & hi secundùm communem opinionem dicuntur Legati Cardinales, de quibus vide Glos. *in d. cap. 1. de Offic. Leg. & in c. Excommunicatis, in verb. commissa, eod. de Offic. Leg.*

Modò Legati missi, vel nati non conferunt, nisi sibi specialiter hoc concedatur. Legati autem de Latere conferunt. *§. Ex legationis, in hoc tit.* etiam Patrono invito, *cap. Dilectus, de Offic. Legat.* Verùm quomodo hoc procedat? vide Glos. *ibi in concessione.* Id tamen certum est, quòd non possunt eodem tempore plures facere reservationes, *c. Præsenti, de Offic. Leg. in 6.* Verùm materia reservationum per Concil. Trid. est correcta *cap. 19. sess. 24.* Illud etiam est, in collatione facta tam ab Ordinario, quàm à Legato observandum, ut nullum Jus acquiratur, nisi ille, cui facta est concessio, consentiat; quod ut facere possit, terminus assignatur, intra quem Collatores mutare sententiam non possunt. *§. Illud, cum seq. hic, cap. Si tibi, de Præb. in 6.* Nota tamen quòd termino elapso, re adhuc integra, is, cui gratia est facta, potest consentire, qui si priùs expresè dissenserit, rursùs poterit acconsentire, si Conferens maneat in eadem voluntate, ut notatur in *d. cap. Si tibi, in fin. de Præbend. in 6.*

Tertia persona, quæ potest Beneficium conferre, est Pontifex, qui quidem confert, quotiescunque rescribendo mandat, ut de Beneficio, vel Præbenda alicui provideatur, *cap. Mandatum, cum duobus seq. de Rescriptis.* Licet rescriptum largo modo dicatur, quicquid à Papa rescribitur ad consultationem, relationem, seu intimationem alterius, vel etiam dum indulget alicui. Et adde, quòd quotiescunque de Mandato Apostolico providetur, non solet provisio extendi ad beneficia curata, nisi id fuerit etiam expressum. *§. Ex nostra, inf. hoc tit. cap. Cum in illis, de Præbend. in 6.* Item mandatum faciens mentionem de collatione non potest trahi ad præsentationem, vel institutionem; itaut si alicui de Beneficio, quod ad alicujus collationem spectat, provideri mandatur, hoc casu, de eo, quod ad ejusdem præsentationem, vel institutionem pertinet provideri minimè poterit. *§. Idem obtineri, hìc, d. c. Cum in illis. §. Cum autem.* Et nota differentiam inter collationem, & institutionem; nam collatio propriè dicitur, quando beneficium est liberum, & in mera dispositione Episcopi; itaut disponat de illo beneficio Jure suo ordinario, absque aliqua præsentatione. Sed quando beneficium non est liberum, sed est in Jure Patronatus alicujus, quia Patronus præsentat, & ad præsentationem Patroni Episcopus instituit, illa propriè dicitur institutio. Glos. *in Rubr. de Instit. in 6.* Item si in litteris facta sit mentio de beneficiis obtinendis, illæ litteræ non habent locum in Pensione. *§. Et si quibus, hic.* Sed in hoc plura apud Garziam, *de Benef. part. 5.* Ubi tractat de his, ad quos spectat dispositio, seu Beneficii collatio, atque de Regularum Cancellariæ reservationibus

tractatur, in quibus non insisto, cùm hæc sit amplissima materia, de qua Gonzalez, & Lotterius scripserunt grandia Volumina. Sed illud tantùm subnectam, quod in Regula Mensium, Ordinariis quatuor tantummodò menses reservantur, scilicet *Martius, Junius, September, & December*, nisi eis gratiam alternativæ Summus Pontifex fecerit, qua altero quoque mense conferent, ita tamen ut *Januarius* Papæ contingat, & de hac alternativa supponitur sequenda pars Regulæ prædictæ, & in utraque parte plura dicit Garz. *ubi supr.* Gonzal. & Lotter. ad quos in litigiis est recurrendum.

Quò ad Quartum: Majores Ecclesiæ vacantes, & vacaturæ à Summo Pontifice conferuntur, quæ facultas aliis est interdicta, *cap. 2. de Præbend. lib. 6.* Et quotiescunque Summus Pontifex alicui Præbendam vacaturam concesserit, si is, cùm vacaverit, eam non petierit ob negligentiam aliquam, in eadem Ecclesia petere non poterit, nisi fuisset in Canonicum electus, *c. Si Clericus, Vers. verum, de Præbend. in 6. c. Commissa, de Elect. in 6.* Ordinarius tamen ponit omnia Beneficia Curata ad concursum *ex Concil. Trident. sess. 24. de Reform. c. 18.* Quòd si in genere fuisset facta concessio, potest primum, vel secundum Beneficium petere; non tamen quis posset præcisè illud, quod est concessum petere, vel acceptare, si non vacaret, *c. 2. de Præbend. c. Ne captandæ, de Conces. Præb. in 6.* Alias autem vacantes Ecclesias, & omnes Basilicas ipsius Territorii conferre potest Episcopus, dummodò vacantes conferat, non vacaturas, *d. cap. 2. de Conces. Præb.* Legatus autem de Latere confert Ecclesias vacantes, & vacaturas, dummodò inter Provinciam, in qua est Legatus, vacat: idest reservat jus conferendi, non autem absolutè vacaturas confert, *c. Deliberatione, de Offic. Leg. in 6. §. 1.*

Quò ad Quintum. Collatio Beneficiorum regulariter facienda est intra sex menses, quod tempus currit à die notitiæ, dummodo nullum impedimentum currat, *d. c. 2. de Conc. Præbend.* & ibi Abb. *&c. Quia diversitatem, eod. c. Litteras, de Supplend. negl. Prælat. §. Tempus, hoc. tit.*

Quò ad Postremum: In tractatu de collatione à Summo Pontifice facienda hæc observantur.

Primùm: Ut qui habet expectativam, non possit certum beneficium, antequàm vacet, expectare, seu acceptare, sed illud, quod vacaverit. *§. Vel secunda vice, d. c. Ne captandæ.* Deindè ut præferatur ille, qui est institutus à Pontifice, si fortè evenerit, ut eodem tempore sit beneficium ab ordinario collatum, nisi fortè quis esset in possessione, *arg. cap. Per tuas, de Major. & Obed. c. Si à Sede, de Præb. in 6. §. Item, hoc tit.*

Tertiò illud in collatione Summi Pontificis servatur, ut rescripti fines diligenter observentur. Hinc est, ut si mandet Summus Pontifex, ut provideatur alicui de Beneficio certi valoris, valor ille non exceditur. *§. Sunt, hic, c. Cui de non Sacerdotali, de Præb. in 6.* Hinc est etiam quòd si alicui est providendum de Beneficio valoris viginti aureorum, non potest pensio assignari ejusdem quantitatis, ut supra dixi, *arg. cap. Illud 16. quæst. 6.*

Servatur ulteriùs, ut facta collatione à Pontifice de Beneficio, quod erat conferendum ab Episcopo, qui fuit negligens, undè per ejus negligentiam est quæsitum Jus conferendi Capitulo, non teneat collatio in præjudicium Capituli, nisi Pontifex derogare voluerit. *§. Eadem ratione, juncto. §. Is quoque, hic cap. Litteras, de Supplend. neglig. Præl. Clem. Si de Benef.* & ibi not. *de Præbend.* Non omittam, servari in collatione Pontificis, ut beneficia conferantur, cui ætas conferri patitur. *§. Interdum, hic.* Hinc si Præbenda vacatura fuerit concessa alicui, qui non sit Sacerdos, nec habeat ætatem habilem ad Sacerdotium, & Præbenda Sacerdotalis vacaverit, hæc ei non confertur, *cap. Ei cui, de Præbend. in 6.* Insuper Rescripta Pontificia interpretantur ex loco; nam si alicui concedatur Ecclesia Civitatis, tunc Cathedralis intelligitur exempta, quod secùs esset si in Provincia diceretur. *§. Ex loci, infr. hoc tit. c. Quia periculosum, de Sent. Excommunicat. in 6.* Et de hoc alia ratio non redditur, quàm illa, quòd lex ita statuit, *l. Prospexit, ff. qui, & à quib. c. In causis, de Re Judic. §. Furtivæ. Vers. non furtivam. Inst. de Usucap.* Accedat servari in provisione Pontificis, ut scripturæ ordo servetur: Hinc si duobus à Papa rescribatur, ut alicui provideatur, & in utroque loco beneficium vacet, ad illum, qui prius est nominatus, provisio pertinet; est *tex. in §. Ex ordine; in hoc tit.* Secùs modò esset si collatio unius Beneficii tantùm ad plures spectaret, quoniam videtur omnibus præceptum, ut provideant, & beneficium conferant. *§. Si vero, inf. hic, c. Cum in illis. §. fin. de Præb. in 6.*

Adhuc servatur, ut cessante causa propter quam fit collatio, cesset etiam rescripti virtus: Hinc si Papa mandet, ut Clerico Pauperi provideatur, & Clericus Beneficium obtinuerit, Provisio Pontificis cessat, *cap. Si Pauper, de Præb. in 6.* Et hoc casu litteræ dicuntur in forma pauperum; alias vocantur in forma secundum Apostolum, quæ dicuntur litteræ Justitiæ, vel quasi, *c. Cum secundum, de Præbend.* Addamus servari in collatione Pontificis, ut non expiret conferendi facultas, quando est sine expressione personarum concessio facta; secùs si est certa persona expressa; & re integra concedens moriatur. *§. Illud hic, c. Si cui, &c. Si Episcopus, de Præb. in 6.*

Postremo loco Apostolici rescripti est virtus, ut si alicui generaliter committatur provisio, possit mandatarius alteri vices suas committere, quod secùs esset, si fuisset electa industria personæ, & nihil esset in rescripto dictum, ut possit eligens per alium providere. *§. Penult. in hoc, tit. eod. c. Is cui, c. Fin. §. Cujus, de Off. deleg. in 6.*

Omnia supradicta de Collatione circa Beneficia vacatura hodie omninò recesserunt ab aula, quia Concil. Tridentin. *sess. 24. de Ref. c. 19.* abolevit expectativas quascunque de Beneficiis vacaturis, quia ex eis jurgia infinita oriebantur. Nicolius *Lucubr. Canon. lib. 3. tit. 8. num. 3.* & Barbosa *in Collect. DD. ad d. cap. 19.*

Quòd autem ad personam Legati de Latere, & Ordinarii collatoris requiritur, ut beneficia conferantur personis idoneis, intra tempus legitimum: & conferatur Beneficium sine ullâ diminutione. *§. fin. hic.* Quod etiam supra dictum est.

TIT.

TIT. XXVIII.

De Institutionibus, & Jure Patronatus.

CUm duo sint modi, quibus inferiora Beneficia conferuntur, *Collatio, & Institutio*, & supra tractatum sit de *Collatione*, nunc agendum de alio modo venit, nempe de *Institutione*: quæ tunc propriè locum habet, quando conferuntur Ecclesiæ, in quibus aliquis jus habet. Et pro tituli expeditione videbimus:

1. *Quid sit Institutio?*
2. *Quid sit Jus Patronatus?*
3. *Qui possint Jus Patronatus habere?*
4. *Quomodo Jus Patronatus constituatur?*
5. *Quomodo Jus Patronatus Laicorum alteri acquiri possit?*
6. *Quomodo Jus Patronatus conferatur?*
7. *Quomodo amittatur?*

Quò ad Primum. Institutionis nomen æquivocum est, ut *in Gloss. prima, hìc.* Sed in casu nostro significat collationem necessariam, quæ fit ab Episcopis in præsentationibus ab inferioribus factis, per quam collationem approbatur factum illorum: ut not. *in c. Post Electionem, de Concess. Præb. in 6.* Et similis est collationi, quia qui confert, seipsum non potest instituere, ita nec is, qui se præsentat. §. *Sunt autem, hoc. tit. c. Didicimus. 24. quæst.* 1. Item sicut non conferuntur Ecclesiæ vacaturæ, item nec Jus Patronatus. §. *Item, hìc, cap. Constitutus, & c. fin. de Conc. Præb.* Differunt verò Collatio, & Institutio, quia Capitulum, quod non potest conferre beneficia, quorum Collatio ad Episcopum pertinet, potest Sede vacante instituere, præsentatos. §. *Dissimiles, h. t. c. Illa, extr. de Sede Vacante.* Insuper collatio ad ordinarios, & Ecclesiasticos pertinet, Præsentatio verò, & Jus, Patronatus etiam ad Laicos *c. 2. & 3. de Jure Patronat.*

Quò ad Secundum. Jus Patronatus terminus est etiam Juris Civilis, & Juris Canonici. Secundum Jus Civile significat Jus, quod habet quis in personam manumissam, *tot. tit. de Jure Patron.* Secundum Jus Canonicum est Jus præsentandi Clericum ad Ecclesiam vacantem, ex gratia concessum ei, qui consentiente Episcopo, vel fundavit, vel construxit, vel dotavit Ecclesiam. §. 1. *cum seq. h. t. c. Filiis, c. Piæ mentis.* 16. *quæst.* 7. Sunt qui describunt Jus Patronatus dicentes: *Ut sit Jus honorificum, onerosum, & utile competens alicui in Ecclesia, pro eo quòd Diœcesani consensu Ecclesiam fundavit, construxit, & dotavit, vel ipse, à quo causam habuit solus, vel alio concurrente.* Ita Tolos. *in tract. de Jure Patron. c. 4. lib.* 17. *num.* 1. Et dicitur Ecclesiasticum, quia spirituali est annexum, *c. Quando, ext. de Judic.* Et hinc est, quod de per se non potest vendi, *c. Ex litteris, c. Cum secundum, eod. §. Sed si quis. h. t.* Sed bene transit cum universitate bonorum, *dictis Jurib.* & notatur *in d. c. Cum secundum.*

Quò ad Tertium. Hi regula constituenda est generalis, posse Jus Patronatus à quocunque sive Clerico, sive Laico haberi, nisi forte speciali ratione quis prohibeatur, ut sunt, qui propter delictum damnati fuerunt, veluti propter crimen hæresis, aut aliud simile delictum, *c. In quibusdam §. fin. ext. de Hæret. c. Si quis deinceps, c. Quisquis.* 17. *quæst.* 10. Isti enim in Ecclesia Jus aliquod habere non possunt, *d. c. Didicimus.* Neque quod ad hoc distinguitur inter masculos, & fœminas; eò quod indistinctè, & masculi, & fœminæ hoc Jus habere possunt, quod sæpe evenit, ut quando fœminæ hæredes existunt, quoniam tunc cum universitate bonorum habent etiam Jus præsentandi, quod ad defunctum pertinebat. Abb. *in Rubric. & in c.* 1. *de Jur. Patron.*

Quò ad Quartum. Tria potissimùm existunt, quæ Jus Patronatus constituunt, Ædificatio, Dos, & Fundatio, *d. c. Piæ mentis, cap. Filiis 16. quæst.* 7. Probatur in *c. Nemo, in Concil. Trid. sess.* 14. *de Reformat.* & est *tex. in §. Constituitur, hoc tit.* Etenim si quis, consentiente Episcopo loci, ac servatis servandis, Ecclesiam construxerit, Jus Patronatus acquirit, *c. Nobis, de Jur. Patronat.* similiter si quis Ecclesiam non construxerit, vel ædificaverit, sed Ecclesiæ jam ædificatæ redditus assignaverit de Patrimonio proprio, ad hoc ut possint in Ecclesia divina, quotidianis temporibus, celebrari officia, acquirit quasi in remunerationem Jus Patronatus, *c. Nemo. de Consecrat. d.* 1. *c. Ad audientiam, de Eccl. repar. vel. ædific.* Vel tandem, qui fundum tradiderit his, qui Ecclesiam ædificare volunt, ad hoc ut ibidem Ecclesia constituatur, Jus Patronatus similiter acquirit, *ut ibid.* dicitur.

Quò ad Quintum, Duobus modis Jus Patronatus postquam est apud Laicos in alios transfertur: Vel titulo universali, vel titulo singulari. Si titulo particulari debet gratis transferri, quo casu requiritur assensus Episcopi, nisi in locum religiosum transferatur, vel ei, qui Compatronus est *cap. Ex insinuatione,* & Gloss. *ibid. extr. de Jur. Patron. c. Unic. de Jure Patron. in 6.* Vel transfertur titulo universali, quo in casu non gratis transferri potest; sed tunc non consideratur de per se, sed veluti quoddam in universitate comprehensum, *c. Ex litteris, de Jur. Patron.* Rursùs acquiritur Jus Patronatus inter vivos, & per actum inter mortuos. Per actum inter vivos veluti donatione, cessione gratis facta, aut simili modo. Per actum inter mortuos, veluti ex successione ab intestato, vel ex Testamento, quando quis succedit ei, qui Jus Patronatus habet, *cap.* 1. *ext. eod. de Jur. Patron.* Goffred. *in tit. de Jur. Patron. n.* 7. Ubi etiam dicit, quod mutatur cum alio spirituali, *c. Nemini.* 16. *quæst.* 7. Unum tamen moneo, quod Jus Patronatus transit in filios, si sunt hæredes, alioquin in hæredem institutum. Abb. *in c.* 1. *num.* 2. *ext. de Jur. Patron.*

Quò ad Sextum. Vacante Ecclesia illud in primis observatur, ut de Oeconomo provideatur. *cap. Charitatem* 12. *qu.* 2. deinde ut omnes, qui jus habent præsentandi, vel habere credunt (etenim & istorum præsentatio rata est, *c.* 9. *sess.* 25. *de Reform. in Concil. Trid. §. Interdum, hìc.*) præsentent; & si fortè inter se dissentiant, ille præfertur, qui à majori parte est præsentatus: §. *Et si fortè, inf. eod. c. Si fortè dist* 63. *& c. Quoniam. ead.* Præterea præsentatio fit Episcopo, quia si alteri facta esset, nulla foret, *c.* 13. *sess.* 14. *de Reform. in Concil. Trid. & sess.* 24. *c.* 28. Qui quidem Episcopus tenetur præsentatum idoneum admittere, & instituere, ut in *d. c.* 9. & notat *in c. Quamvis, de Rescript. lib.* 6. Et si fortè contingat, ut Patroni inter se non consentiant, potest Episcopus Patronos ad concordiam revocare interdicendo divina. Tempus verò præsentandi est quadrimestre respectu Laicorum, vel semestre respectu

Clericorum, *cap. Unic. eod. in 6. §. Sunt tamen, hoc tit.* Accedat, necessarium esse, ut præsentent idoneos, alioquin præsentatio nulla diceretur, *c. Cum dilectus*, & ibi notat. *de Jur. Patron.* Illud tamen verum est in Laico, ut possit unum, deinde alterum præsentare. *d. §. Sunt tamen.* Sed hoc casu Episcopus eligit pro Arbitrio. Goffr. *in Rubr. de Jur. Patron. num. 4.*

Quò ad Postremum. Quatuor potissimùm modis Jus Patronatus amittitur. Destructione Ecclesiæ; veluti si Ecclesia igne, vel terræmotu corruerit. Cessione, veluti si quis habens Jus Patronatus, ipsi Ecclesiæ hoc Jus cesserit, *c. Unic. de Jure Patr. in 6.* Constitutione Collegii, veluti si, Patrono consentiente, sine reservatione, Juris Patronatus, Ecclesia ipsa collegiata efficiatur, *d. c. Nobis, de Jur. Patr.* Ac tandem amittitur Jus Patronatus propter delictum, veluti si Patronus hæreticus evaserit, Rectorem Ecclesiæ interfecerit, ac simile delictum perpetraverit, *c. Si quis deinceps, & c. Quisquis.* 17. *q.* 14. & isti quatuor modi traduntur *in §. Penult. & ult. hoc tit.*

TIT. XXIX.

De Clericis non residentibus.

QUoniam facta provisione, vel per Collationem, vel per Institutionem, tenentur Clerici residere in Ecclesiis, ad quas assumuntur, ob id iste titulus subjicitur, in quo videbimus:

1. *Quid residere significet?*
2. *Quando Clerici non residentes excusentur?*
3. *Quando non residentes puniantur?*

Quò ad Primum: Residere nihil aliud significat, quàm in loco permanere, in quo quis Ecclesiam obtinuit, itaut Ecclesiæ deservire possit: Et è contra non residere est propriam deserere Ecclesiam, alioquin vagari. Gloss. *in c. Nonnulli, ext. de Cleric. non resident.*

Quò ad Secundum. Illud primo loco sciendum est, quòd quotiescunque quis beneficium obtinet, debet personalem residentiam præstare, *c. 2. sess. 6. in Concilio Trident. de Reform.* Quòd si electus fuerit, qui non potest residere, & electus privatur beneficio, & eligentes puniuntur, *c. Quia nonnulli, c. Relatum, & tot. tit. extr. de Cleric. non resident, §. 1. hoc. tit.* Modò si quis Romanæ Curiæ seu Pontifici deserviverit, seu proprio Episcopo, etiamsi non resideat, excusatur. §. *Juste, hoc tit. c. Dilectus, eod.* & per Abb. *in c. Olim de V. S. c. De cætero, eod. tit.* Insuper excusatur ille, qui causam Ecclesiæ in alio loco defendit, *c. Ex parte. 2. eod.* Quemadmodùm & ille, qui abest studiorum causa, quo casu quinquennium conceditur, *c. Fin. de Magistr. in Concil. Trident. sess. 5. c. 1. de Reform.* Abb. *in c. tuæ, & in c. Licet, ext. eod.* Excusantur & illi qui inimicitia, vel infirmitate residere non potuerint, *c. Relatum, c. Inter, extr. eod.* Causas autem obiter enumerat Conc. Trid. *sess. 23. c. 1. de Reform.* his verbis: *Nam cùm Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, atque evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent, & exigant, &c.*

Quò ad Postremum. Qui non residet, & non sunt excusati ex causa legitima, puniuntur, itaut si per sex menses à propria Ecclesia abfuerint, fructuum portio adimatur eis, quæ erit quarta pars, & si creverit contumacia per alios sex menses, alia quarta fructuum priventur, *d. c. 1. sess. 6. de Reform. in Concil. Trident.* Quinimò si quis habet dignitates in Cathedralibus Ecclesiis, & ultra tres menses alibi sine indultu moratur, dimidia fructuum portione privatur, & si creverit contumacia, tunc omnes fructus auferuntur, *sess. 24. cap. 12. de Reform. in Concil. Trid.* Immò semestre tempus videtur coarctatum usque ad tres menses ad summum, *c. 1. de Reform. sess. 23. in Concil. Trid.* Accedat quòd illi; qui proprias Ecclesias deserunt, licentia non obtenta, privantur quotidianis distributionibus, *c. 3. de Reform. sess. 22.* & peccatum committunt, *cap. 1. sess. 23.* Ac tandem si gravis contumacia efficitur, deponuntur, & beneficio privantur, ut in Bulla Pii Quarti *de Residentia Prælat. & c. Qualiter, & c. Inter, ibiq. not. extr. de Cleric. non residen.* Et de hac materia vide per Navar. *in Manuali, c. 21. num. 121.*

TIT. XXX.

De Regularibus, & Monachis.

QUoniam inter Ecclesiasticas personas Monachi, & Regulares existunt, ob id nunc de hac materia disseritur; Et pro tituli expeditione videbimus.

1. *Quis Monachus dicatur?*
2. *Quis Regularis?*
3. *In quibus differant?*
4. *Qui possint ordinari in Monachos, seu Regulares?*
5. *Quot modis quis fiat vel Regularis, vel Monachus?*
6. *Quæ requirantur, ut quis Monachus fiat?*
7. *Ad quæ teneantur Monasterium ingressi, & quomodò vivere debeant?*

Quò ad Primum. Monachi, qui ab unitate, vel solitudine dicuntur, *cap. Monachum. 20 quæst. 1. c. Si cupis, & c. Placuit, 16. quæst. 1.* illi propriè dici debent, qui virtute regulæ solitariæ in Monasterio permanent, nec se prædicationibus immiscent, ut sunt illi, qui sunt Ordinis S. Benedicti, & qui habent bona in communi, *c. Monachus, c. Justa. 16. quæst. 1.* Neicisti propriè Fratres appellantur, sed Religiosi, licèt vocabulo latè sumpto, quicunque tria vota emittit, hoc nomine significetur. *Clem. Exivi, de Verbor. Signif. Clem. Unic. de Excess. Prælator. c. Nimis prava, cap. Nimis iniqua extr. de Excess. Prælat.*

Quò ad Secundum. Regulares omnes illi appellantur, qui Regulam aliquam, & tria substantialia vota, *Paupertatem* scilicet, *Castitatem*, & *Obedientiam* in aliqua Religione approbata profitentur, *cap. Ad Monasterium. de Stat. Religios.* Isti enim Regulares habent certum modum Religiosè vivendi, & in hoc differunt à Monachis, qui strictiori vivunt Regula. Vide Gloss. *in Rubr. hoc tit.* & secundùm Goffredum *in Summa hujus tit.* Regulares itaque sunt, qui ad vivendum regulariter, idest sub aliqua certa Regula, & ordine se adstringunt. Undè ex hoc apparet, appellatione Regularium, etiam Monachos contineri, *ut hìc in princ.*

Quò ad Tertium. Differunt in hoc Monachi à Regularibus, quia Monachis, ut dixi, vita magis restricta videtur injuncta. §. *Fugitivos, cum seq. hoc t. cap. Quod Deitimorem, de Stat. Monachor.* Verùm his temporibus ista nomina confunduntur.

tur. Hinc sæpè sæpiùs Monachi Regularium nomine designantur, *cap.* 12. *sess.* 23. *de Reformat. in Concil. Trid. c. ex parte, extr. Ne Cleric. vel Monach. c. Præsens.* 30. *quæst.* 3.

Quò ad Quartum. Regula est generalis, quòd omnes possunt esse Monachi, nisi speciali ratione quis prohibeatur. Prohibetur verò.

Primò, qui non habet ætatem legitimam. §. *Quòd si impuberes in hoc tit. cap.* 1. *&* 2. *& c. Ad nostram, ext. eod. de Regular.*

Secundò prohibentur Servi, *c. Si servus. d.* 54. Attamen si per triennium in Monasterio permanserit, efficitur liber. *§. Quemadmodum inf. eod.* Quòd si extra claustrum sit assumptus ad Clericatum, annus sufficit, non notatur *in d. c. Si servus, vers. debent.* Ratio diversitatis est, quia Clerici sunt in publico, Monachi verò latent.

Tertiò: Debitis gravatus.

Quartò: Conjuncti matrimonio, reclamante Conjuge, *ext. de Convers. Conjug. c. Conjugatus;* Videlicèt post consummatum Matrimonium, alter conjugum invito altero non potest Monasterium ingredi, juxta tex. *in c. ex publico, de Convers. conjug.* quem videas.

Quintò: Episcopus sine Papæ licentia. Abb. *in c. Licet, num.* 6. *ext. eod.*

Sextò: Prohibentur furiosi, & mentecapti, *c. Sicut tenor, extr. eod.* Ac tandem qui sponte non ingrediuntur Monasterium, non admittuntur, *c. Si quis, ext. eod. §. Monachi in fin. hic.* Et circa hoc vide quæ statuit Concilium Tridentin. *sess.* 25. *cap.* 17. *&* 18. *tit. de Regul. & Monial.*

Quò ad Quintum: Tribus modis efficiuntur homines Regulares, vel Monachi: *Aut* ex paterna devotione; *Aut* ex propria Professione; *Aut* ex voti emissione.

Ex paterna devotione: quando Pater filios impuberes Monasterio offert, quo casu si ingressus agens annum decimum sextum ingressum ratum habuit, exire ampliùs non potest, *c. Cum virum, c. Significatum, ext. eod.* In §. *Monachi* dicitur, quòd in anno quintodecimo potest approbare ingressum, quod non est verum, per dispositionem Concilii Tridentini *sess.* 25. *cap.* 15. *in tit. de Regul. & Monial.* ubi nemo potest profiteri ante annum decimum sextum: itaut Professio antea facta nullum pariat effectum: unde tolluntur notata *in c. Illud, extr. eod.* ubi vide.

Propria Professione quis Monachus fit, quando sponte Monasterium ingreditur, vel post tempus probationis ratum habet. Abb. *in c. Ad Apostolicam, extr. eod. §. Propria, hic.* Ubi potest quis & tacitè, & expressè Monachus fieri: Primo modo approbando habitum receptum, ut ex nimia mora in Monasterio, vel ex mora per annum, vel per evidentia signa, vel per assumptionem habitus professorum, *c. Vidua.* 27. *quæst.* 1. *c. Vidua, ext. eod. c. Quod interrogati.* 27. *dist. §. Tacitè, hic.* Secundò expressè profitendo, ut si quis post annum probationis habitum suscipiens Monachalem regulis Monasterii se obstringere velle profiteatur, *d. §. Propria, hoc tit.*

Tertiò tandem quis Monachus efficitur, quando quis deliberatè, & sponte Deo promittit, se velle religionem aliquam ingredi, *c.* 1. *de Vot. in* 6. *cap. Pertuas, de Vot. & Vot. redempt. §. Is quoque hic.* Et hoc adeò verum est, ut etiam si Prælaturam fuerit consequutus, illam teneatur omittere, & Domino promissa reddere compellendus est, *d. §. Is quoque* Est autem Votum simplex, quod non est aliqua professione munitum. Solemne est, quod quis per Professionem tacitam, vel expressam comprobavit. *§. Est autem, hoc tit. d. c. Unic. de Vot. in* 6. Et nota, quòd per votum solemne derogatur simplici. *§. Illud quoque, hoc eod. tit.*

Quò ad Sextum: Requiruntur.

Primo: Legitima ætas, *c.* 1. *extr. eod. §. Is igitur, hoc tit.*

Secundò: Ut Professio ei fiat, qui potest in Religionem personas recipere. *§. Si tamen, hic.*

Tertiò: Ut Religio sit approbata. *§. Novissimè, hic,* Regulæ autem approbatæ sunt Quatuor, *Basilii, Benedicti, Augustini, & Francisci;* sub quibus omnes Religiosi militant, exceptis *Carthusiensibus,* qui suas ordinationes pro Regula habent. Nunc tamen aliæ plures Regulæ per Sedem Apostolicam sunt approbatæ.

Quartò: Quòd Prælatus requirat consilium Capituli, *c. Novit, extr. de his, quæ fiunt à Prælat.* Sed in hoc nonnulli tenent contrarium per *c. Ad Apostolicam, extr. eod.* Tu vide Gloss. *in d. §. Si tamen. in verb. Abbate.*

Quintò: Quòd vota emittantur, de quibus suprà.

Sextò: Ut Persona sit habilis. *§. Quemadmodum, inf. eod.* Et quomodo quis dicatur inhabilis dictum est supra in quarto capite.

Septimò: De voluntate ingredientis inquirendum est, *d. §. Monachi, eod. cap.* 17. *sess.* 25. *de Regul. in Concilio Tridentino.*

Quò ad Postremum: Ille, qui ingreditur, tenetur præcipuè vota emissa servare, & permanere in Monasterio, *cap.* 1. *c. Ad nostram, ext. eod. §. Is igitur, hoc tit.* Et nihil proprii habere. *§. Sed nihil, infr. eod. Authent. Ingressi, Cod. de Episc. & Cler. c. Quia ingredientibus.* 10. *quæst.* 3. *cap. Super, de Stat. Monachor.* Et quoniam inter præcepta Monachorum præcipua est prohibitio aliquid donandi, tam sibi ipsis, quàm exteris personis juxta Bullam Clementis Papæ VIII. de largitione munerum *de Anno* 1594. *Incipien. Religiosæ Congregationes &c.* cùm ex ea plurimæ difficultates sint à Moralistis excitatæ, earum plenam resolutionem studiosus Lector videat in meis Discordiis Forensibus *De Regularibus Discord. III* in qua ostenditur, quid, quando, quomodò, & quibus? tam Monachi, quàm Moniales possint absque peccato munera elargiri.

Hoc etiam est notandum, quòd Regulares non debent Ecclesiis Parochialibus præesse. *§. Singuli, in fin. hoc tit.* Et istam generalitatem declara, ut per Abbat. Gloss. & alios *in cap.* 1. *& c. Quod Dei timorem, de Stat. Monach.* Quod Regularibus interdum conceditur, *d. cap. Quod Dei timorem.* Canonici verò Lateranenses habita dispensatione Apostolica obtinere possunt beneficia sæcularia sivè Curata, sivè Simplicia; ut ego probavi in dictis meis Discordiis Forensibus *De Regularibus Discord. XI.* per totam.

Institutionum Juris Canonici Libri Primi Finis.

IN-

INSTITUTIONUM JURIS CANONICI.

LIBER SECUNDUS.

TIT. I.

De Rerum Divisione.

POstquam in titulis primi Libri actum est de Jure, quod personas respicit, nunc ad imitationem Institutionum Civilium, fit transitus ad jus illud, quod res ipsas considerat. Quare ad tituli declarationem videbimus:

1. *Quid nomen Rei præseferat?*
2. *Quæ sit Rerum divisio secundùm subjectam materiam?*

Quò ad Primum. Rei appellatio generalis est, itaut omnia complectatur, quæ sunt in rerum natura, hinc cùm instituitur tractatus aliquis, qui plura respicere debeat, rei verbum usurpatur, *l. 1. ff. de Reb. cred. l. Rei appellatione, ff. de Verb. signif.* In tantum ut nomen Rei prædicetur de rebus corporalibus, & incorporalibus, profanis, & Ecclesiasticis, de Hominibus, obligationibus, contractibus, & similibus, *l. Omnia, §. fin. ff. de Leg. 2. l. Nominis, & rei, ff. de Verb. Signific.*

Quò ad Secundum: Variæ sunt Rerum divisiones: sed quod ad materiam nostram attinet, Rerum Ecclesiasticarum præcipua divisio est; ut aliæ dicantur res *Spirituales*, aliæ *Temporales*, ut *hìc in princ.* Abb. *in c. Consulere, de Simon. & in c. Quanta, de Judic.*

Spirituales sunt, quæ spiritui deserviunt, & animæ causa sunt introductæ, ut sunt Sacramenta Ecclesiæ, Altaria & similia: & variis modis Res spirituales dicuntur. Vel si quid sit spiritualibus annexum, nam illud est spirituale; vel etiam spirituales dicuntur secundùm essentiam; vel etiam ratione spiritualis potestatis, aut simili modo. Abb. *in d. cap. Consulere.*

Temporales res illæ dicendæ sunt, quæ non tantùm spiritus, quàm corporis gratia pro Ecclesiasticis ministeriis, sacrorumque Ministorum usu, atque necessitate sunt comparatæ. Quæmadmodum sunt Decimæ Ecclesiarum, Prædia, Domus, cæteraque bona, quæ nomine Ecclesiæ possidentur à personis Ecclesiasticis, ut *tot. tit. de Rebus Eccles. non alienam.*

Secunda divisio est, ut Spiritualium quædam Incorporales, quædam verò corporales existant. Quæ divisio etiam traditur de rebus profanis. §. 1. *Instit. de reb. corpor. & incorp.* Et equidem res Spirituales incorparales illæ sunt, quæ non percipiuntur Corporeo sensu, sed cognoscuntur, atque intelliguntur ope intellectus, ut sunt virtutes, & dona Dei, & alia hujusmodi, *c. 1. q. 1.*

Corporales sunt illæ, quæ sensu corporeo percipiuntur, seu sub sensu cadunt, & tangibiles existunt, sicut etiam dictum est de rebus profanis *in §. 1. Inst. de reb. corp. & incorp.* Istæ verò res, quæ Spirituales, & Corporales dicuntur, sunt vel Sacramènta, vel sanctæ, vel sacræ, vel religiosæ res: Et quomodo Sacramenta dicantur incorporalia, vide Gloss. *hìc in verb. Sacramenta.*

TIT. II.

De Sacramentis.

VIsa divisione Rerum, quæ superiùs est tradita, in qua vidimus aliquas res esse, quæ corporales dicuntur, igitur de his tractatur, inter quas etiam Sacramenta enumerantur; dicturi de Incorporalibus alibi. Videbimus igitur in præsenti:

1. *Quid sit Sacramentum?*
2. *A quo sint Sacramenta instituta?*
3. *Quot Sacramenta existant?*
4. *Ex quibus Sacramenta consistant?*
5. *Qui possint Sacramenta administrare?*

Quò ad Primum. Sacramentum definitur *hìc in princ.* ut sit: *Invisibilis gratiæ visibilis forma, ita quod ejus similitudinem gerens, & causa existat.* Et nota quod hæc ultima verba non ponuntur *in c. Sacrificium, de Consecrat. d. 2.* Et hìc fuerunt apposita ad designandam differentiam inter Sacramenta Legis veteris, quæ significabant quidem gratiam, sed non conferebant. Et Sacramenta novæ Legis, quæ & significant, & conferunt, ut *in Conc. Trid. in Can. 2. & 6. & 7. sub tit. de Sacramentis in genere, sess. 7.*

Quò ad Secundum. Sacramenta sunt inventa ab ipso CHRISTO Domino Nostro, & licèt dicantur Ecclesiæ, hoc ideò procedit, quia per Eam sanctificantur, & ministrantur, & ipsorum interventu videtur Ecclesia cum cœlesti Sponso Matrimonii fœdere conjuncta. §. *Illud, h. t.* In Concil. Trid. *in tit. de Sacram. in genere, cap. 1. sess. 7.* Undè Ecclesia numero Sacramentorum nec addere, nec detrahere potest, cùm sint à Deo instituta, & hinc est, quod qui baptizat, absolvit, cæteraque Sacramenta explet, Ipse Dominus est; & Sacerdotes sunt puri ministri. §. *Ergo, qui hoc tit. c. Baptismus, cap. Aliud, cap. Panis, de Consecr. d. 4.* Quocirca, tametsi minister malus existat, Sacramenta non amittunt suam virtutem, quoniam ministri fœditate non commaculantur *d. §. Ergo, c. Significasti, c. Multi, & c. Dedit. 1. q. 1.* & per Abb. & alios *in c. Vestra, de Cohabit. Cler. & mul.* Sed tamen adverte, quot quantum spectat ad receptionem Sacramentorum ab Hæreticis, distinguendum est; an quis scienter recipiat? quo casu non confertur gratia, an ignoranter? quo casu confertur, ut per Innoc. & Abb. *in cap. Fraternitatis, de Hæreticis.* Sed de hoc est Reformatio Concil.

Concil. Trid. *in tit. de Sacram. in genere, sess. 7. cap. 12 & c. 4. ead. sess. de Baptismo, & sess. 14 sub Rubrica de Minist. hujus Sacram. & absol. can. 6.* Insuper notandum est, quòd in Ministro Sacra conficiente requiritur intentio Ecclesiæ concors, faciendique quod intendit facere Ecclesia. *Can. 11. de Sacrament. sess. 7. §. pen. inf. eod. c. Spiritus Sanctus, & cap. Sic autem, cum seq. 1. q. 1.*

Quò ad Tertium. Septem sunt Sacramenta Ecclesiæ: *Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium, cap. 1. de Sacram. sess. 7.* Et ex his quædam sunt necessaria, quia sine his homo salvus esse non potest, ut sunt *Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio;* sed nota, quòd *Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio* dicuntur necessaria, quia contemni non debent, *d. §. Sacramentorum.* & Gloss. hic *in Verb. prætermitti.* Quæ omnia ad particularem cujusque profectum sunt particulariter instituta. *§. Sacramentorum, hoc tit.* Alia sunt non necessaria, quæ possunt omitti, ut *Ordo*, & *Matrimonium.* Quædam sunt necessaria ad ingressum, ut *Baptismus*, quædam ad progressum in Ecclesia, ut *Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia*, quædam ad egressum, ut *Extrema Unctio. §. Et tursùs, hic, c. Prater hoc. §. Porrò, d. 32. cap. Spiritu Sancto, de Consecr. d. 5. cap. Hisque. 26. q 7. cap. Qui recedunt, & c. De his. 26. q. 6. cap. Ab infirmis. 26. q. 7.*

Quò ad Quartum. Sacramenta ex duobus constant: *ex Elemento, & Verbis. §. Constat, inf. eod.* Verba sunt, quæ visibilis formæ efficaciam exprimunt. Elementum est, quicquid sub visibili materia invisibilem gratiam designat, & continet, undè accedentibus verbis ad Elementum fit Sacramentum. Et nota, quòd non omnia verba, quæ in confectione Sacramenti proferuntur, dicuntur constituere Sacramentum, sed ea, quæ sunt formalia, ut puta: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c. Hoc est enim Corpus meum, &c.* ita notatur *in c. Detrahe. 1. q. 1.* Item nota, quòd dicitur per accessionem verborum ipsi Elemento effici Sacramentum, quia hoc illum habet sensum, ut simul concurrat materia, & forma, Elementum, & Verba secundùm omnes DD. Ideò Aqua in Baptismate non est Sacramentum, nisi adsint verba, quæ accedunt Elemento tanquam forma, & in fine ultimæ syllabæ incipit, & desinit esse Sacramentum, sed tamen remanet res Sacra. Gloss. *inc. 1. de Consecr. d. 4. in Verb. Sacramentum.*

Quò ad Ultimum: Sacramenta ab his ministrantur, quibus ab Ecclesia est legitima attributa potestas, ut qui Ordines ad Sacramenta conficienda, & administranda receperunt; ut videbimus in sequentibus titulis.

TIT. III.

De Baptismo.

POstquàm actum est de Sacramentis in genere, nunc tractatur de ipsis in specie: Et quia Baptismus est Sacramentum fundamentale omnium Sacramentorum, cùm sine eo homo salvus esse non possit, *cap. Eveniet, c. fin. de Presbyt. non baptiz.* Ob id de ipso nunc agitur, & videndum est:

1. *Quid sit Baptismus?*
2. *Quot ejus species?*
3. *Qui baptizari possint?*
4. *Quæ in eo necessaria?*
5. *Qui baptizent?*
6. *Quo in loco fiat?*
7. *Qui sint effectus Baptismi?*

Quò ad Primum: Baptismus hic in principio definitur, ut sit *Ablutio corporis exterior, quæ adhibita certa forma verborum, interiorem animæ ablutionem designat, & operatur.*

Quemadmodum enim olim Circumcisio in populo Dei, in fidei, justitiæque signaculum instituta, ad significationem purgationis originalis, veterisque peccati Parvulis valebat; sic & Baptismus ad hominis innovationem valere cœpit, cujus vera doctrina in Ecclesia Romana reperitur, ut *de Baptis. sess. 7. can. 2. 6. & 8. in Concil. Trid.*

Quò ad Secundum: Scriptum à quibusdam reperitur, varias esse Baptismi species; & si nominis corticem inspiciamus, inveniemus, illud esse æquivocum, & genericum, & ad omnem lotionem, ut ajunt, pertinere. Prima species diluvii appellata est, quo peccata sunt excisa, *cap. 7. & 8. in lib. Genes.* Secunda species in transitu maris rubri, in quo aqua, nubes, & ignis fuit, *cap. 11. ad Corinthios.* Tertia legalis, qua immundi lavabantur, & ita purificati in castra Domini redibant, ut *Eccles. c. 34.* Quarta Divi Joannis, non omninò spiritualis, sed tanquam introductoria ad Pœnitentiam, ut *in c. 1. & 19. in Actib. Apostolor.* Quinta Domini Nostri JEsu Christi spiritualis, simplex, & tota, de qua specie nunc intelligimus. Sexta lacrymis constans, verè laboriosa, ut in *Psalmo 6.* Septima per Martyrium, & Sanguinem, qua Dominus noster baptizatus est, *ut c. 12. in Evang. Marci, & 12. in Evang. Lucæ.*

Verùm brevius tres species constituuntur *Sanguinis, Fluminis, & Flaminis, cap. Quod quidem, hoc tit. cap. Baptismi vicem, de Consecrat. d. 5. cap. Distrahe. cap. Debitum. 1. q. 1. cap. Apostolicam, de Presbyt. non baptiz. cap. Baptismi vicem, de Consecr. d. 4.*

Sanguinis, quando quis, ante Baptismum aquæ, martyrium fert ob Dei nomen, ut fecit latro in Cruce, & Sancti fecere Innocentes, *d. c. Baptismi vicem, & c. Firmissimè. 15. q. 1.* Item Sancta Emerentiana, & alii plurimi, qui Baptismo Sanguinis fuerunt baptizati; de quo plura scitu digna scripsi in meis Decisionibus *de Baptismo Decis. 27.*

Flaminis Baptismo quis mundatur, quando illum ante mortem enixè desiderat, & perfectè dolet de suis peccatis: vel justo errore credit, se fuisse baptizatum, ut dicit Tolosan. *lib. 2. in suo tractatu, Syntagm. Jur. c. 4.* Et ego *de Baptismo, D. 26.*

Fluminis est Baptismus supra delineatus. Sunt qui distinguunt Baptismum in duas species: In Baptismum *Fidei, & Cognitionis*, quando quis cognoscens virtutem hujus Sacramenti sanctissimi ad ipsum accedit: Et in Baptismum *fidei simpliciter*; & est Baptismus ille, qui per habitum fidei suscipitur, *c. Parvuli fideles, de Consecrat. d. 4. §. Non tamen, hoc tit.*

Quò ad Tertium: Regula est constituenda, omnes posse baptizari, cujuscunque sint ordinis, aut sexus, aut qualitatis, itaut nec muti, nec cæci, nec surdi, nec ægrotantes, aut parvuli excludantur, *d. §. Non tamen, cum seq. De Consecr. d. 4. c. Quæris.* Nec refert, quòd non possint respondere, dummodo eorum nomine alii profiteantur, atque respondeant. Quinimmò & dormiens, & amens baptizatur, dummodò antea propositum habuerint suscipiendi baptismum.

§. *De dormientibus, hic, d. c. Quæris, c. Majores,* §. *fin. eod.* Accedat, quòd & ille baptizatur, qui omninò labens non sit, dummodò absolutè non cogatur. §. *Sed & si quis, h. t.* Qui postquam est baptizatus, cogitur permanere in fide, *d. c. Majores.* Non omittam etiam, non natum adhuc posse baptismum suscipere, si fortè dum nascitur in periculo mortis existit, *c. Baptizari, de Consecrat. dist.* 5. Id tamen est animadvertendum, quòd non est ille baptizandus, quem credimus firmiter fuisse baptizatum. §. *de eo, h. t.* Quemadmodum è contra quem baptizatum non credimus, ille baptizatur, §. *Illud, h. t. c. Cum itaq. c. Si nulla, & c. fin. de Presbyt. non baptiz.* Undè colligitur quòd semel baptizatus, ampliùs non est rebaptizandus; & si quis scienter iterùm ad baptismum rediret, puniretur. §. *Quod si quis sciens, h. t. c. Qui bis: de Consecr. d.* 4. Et in Concil. Tridentin. *de non rebaptizand. parvulis, sess.* 7. *in tit. de Baptism. cap.* 13. Itaut etiam qui hoc ignoranter fecit, non posset nisi ex maxima necessitate ordinari, *d.* §. *Quod si quis sciens, d. c.* 13. Quod durum videtur, cùm ignorantia deberet excusari, & hic est unus casus, in quo alicui infertur præjudicium sine sua culpa, arg. 1. *q.* 5. *cap.* 1. *l. Prospexit, ff. Qui, & à quibus.* Et in hoc videndus est Abbas *in c. ex litteris, de Apostat.* Et è contra qui bis eandem personam baptizaret, esset deponendus, *c. Illisquoque, h. t. c. fin. eod.* Abb. *ubi suprà.*

Quò ad Quartum. In Baptismo hæc necessaria sunt, Aqua, quæ naturalis esse debet, simplex, & pura, *c.* 2. *de Baptismo, sess.* 7. Verba secundum formam traditam, quæ sunt *Ego te Baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quæ in tantùm sunt de forma, ut si dicatur Ego te Baptizo in Nomine Genitoris Geniti, & Procedentis ab Utroque. Item si dicatur in Nomine Jesu Christi, vel in Nomine Trinitatis, non sit Baptismus: latè per Cardin. Anselmum in suis *Institut. Theolog. lib.* 2. *cap.* 11. Plura de forma Baptismi, scitu digna ego disserui in meis Decisionibus *De Baptismo Decis.* 30. ibi videnda. Minister est, qui eadem verba juxta intentionem profert. Qui autem sint Ministri? infra videbimus. Adsunt quæ adhibentur in Baptismo potiùs ad decorem, quàm ad essentiam. §. *Penult. hoc tit. cap.* 1. *c. penult de Baptism. d. c. Detrahe.* 1. *quæst.* 5. *c. Sinè, c. Antè, de Consecr. d.* 4. *Clem.* 1. *de Baptism.*

Quò ad Quintum. Baptizandi Potestas, & Cura ad solos pertinet Sacerdotes; nec regulariter Diaconi admitti possunt. §. *Baptizandi, hoc t. c. Constat, de Consecr. d.* 4. *sess.* 7. *per Concil. Trident. in tit. de Sacram. in genere, cap.* 10. nisi in casu maximæ necessitatis, quo casu etiam Laicis hoc permittitur, etiam fœminis, *de* §. *Baptizandi, d. c. Constat, c. In necessitate, d.* 4. *de Consecr.* Et si quis est baptizatus à Laico, tenet baptismus, sicut tenere videtur, si ab hæretico baptismus conferatur. §. *Sed si quis, h. t. c.* 4. *de Baptism. sess* 7. Sed tamen verum est, quòd quis se ipsum non potest baptizare, quia debet esse diversa persona Baptizantis, & Babtizandi. §. *Sed quamquam, h. tit. concordat. c. Per tuas, alias Per nostras, de Jur. Patron.* Undè infertur quòd Judæus in mortis articulo constitutus, si in aquam seipsum immergat, dicens, *Ego me Baptizo*, debet iterùm ab altero baptizari §. *Unde h. t. c. Debitum ext. h. t.*

Quò ad Sextum: Baptismus conferri debet in Ecclesiis, ubi adsunt fontes ad hoc Sacramentum explicandum. §. *fin. hic*, ita not. *in Clement.* 1. *eod.* Duo tamen excipiuntur casus. Primò casus necessitatis. Secundò excipiuntur filii Regum, vel Principum propter eminentem dignitatem, *c. fin. de Off. deleg. cap. Ne. alicui, de Privileg. in* 6.

Quò ad Postremum. Ex Baptismo effectus iste evenit præcipuus, ut per eum aperiatur, quasi janua ad Ecclesiam, & aperiatur via ad cœlestem gloriam, & æternam salutem; nam qui renatus non fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, æterna felicitate frui non poterit. Insuper operatur Baptismus peccati originalis remissionem, animæ regenerationem; non tamen operatur, quòd homines peccare non possint, quemadmodum nonnulli à fide aberrantes affirmare sunt ausi. Quorum opinio à Conc. Trid *can.* 6. *de Baptis. sess.* 7. improbatur. Et quantum dicimus per Baptismum tolli peccatum originale, dicesid verum esse, sed tamen relinquit nobis fomitem, qui est pœnalitas relicta nobis ad exercitium, & ad pugnandum, ut gloriosiùs coronari mereamur. S. Thom. 3. *p. q.* 69. *art.* 1. & 2. D. Bonav *in* 4. *sent. d.* 4. 1. *part.* 1. *q.* 2. & sic intelligitur textus *in* §. *Non tamen, hoc tit.* Tandem alter præcipuus Baptismi effectus est Character, nempè signum quoddam spirituale indelebile, impressum in anima baptizati. Concil. Tridentin. *de Baptism. sess.* 7. *can.* 9. & de eo vide Decisiones meas *de Baptism. decis.* 33. in qua duodecim effectus Baptismi numerantur.

TIT. IV.

De Sacramento Chrismatis.

Postquam tractatum fuit de una specie Sacramentorum, nunc de alia disseritur, nempè de Sacramento Chrismatis, quod post Baptismum confertur, & in hoc titulo videbimus:

1. *Quid sit Sacramentum Chrismatis?*
2. *Quibus conferatur?*
3. *A quibus?*
4. *Qui debent intervenire?*
5. *Qui sint ejus effectus?*

Quò ad Primum: Est Sacramentum, quod post Baptismum suscipitur, & arma Divinæ gratiæ ad pugnandum adversùs animarum hostem contribuit. §. 1. *cum seq. hoc. c.* 1. & 2. *de Consecr. d.* 5. Et est Sacramentum verum, & proprium, quod characterem imprimit, *cap.* 4. *sess.* 23. *de Sacram. Ord. c.* 1. *de Confirm. sess.* 7.

Quò ad Secundum: Regula est generalis, quòd his omnibus confertur, qui sunt baptizati. §. 2. *hoc tit.* Sicut olim hostia priùs lavabatur in littore, & postea offerebatur in holocaustum, ut not. *in cap.* 1. *de Consecrat. d.* 4. Nec possunt tenere, aut lavare nisi hi, qui sunt baptizati, & confirmati. §. *Admonendi, hoc. eod. tit.*

Quò ad Tertium: Solus Episcopus confert hujusmodi Sacramentum. §. *Undè infr. eod. c. un.* propè finem *de Sacra Unctione, cap.* 3. *de confirmat. sess.* 7. *d. c.* 4. *sess* 23. *c. De his, de Consecr. d.* 1. *cap. Quanto, ext. de Consecrat.*

Quò ad Quartum: Requirit ur Unctio in fronte cum verbis idoneis: Patrinus; qui quasi fidejussor apud eum existat, quemadmodum fit etiam in Baptismo. §. *Illud, hoc. tit.* Cujus Patrini officium est, puerum in fide instruere, *cap. Vos antè, de Consecr. d.* 3. Et est advertendum, quòd non potest in Patrinum eligi nisi qui est baptizatus, & oleo Chrismatis delibutus, *c. In Baptismate, de Consecr. d.* 4. ut supra etiam dixi. Quemadmodum nec Pater, nec Abbas respectu filiorum, & Monachorum. §. *Parentes, h. t. cap. Si vir, de Spirit. Cognat.*

Quam-

Quamvis pater ex necessitate posset filium tenere ad Baptismum, ut in *c. ad limina. 30. qu. 1.* & Abb. notat in *d. cap. Si vir, de Abb.* Est *rex. in c. Non licet, de Consecr. d. 4.* Sed nec Monachi possunt ad hoc munus vocari. *§. Parentes, cap. Placuit. 16. q. 1. c. Pervenit. 18. q. 2.* & dixi in dictis meis Decisionibus *De Baptismo, Decis. 40.* ubi plenè. Insuper Vir, & Fœmina, unus, vel una debet ejusdem confirmandi Patrinus esse, *§. Admonendi, hic, c. Plures, de Consecr. d. 4.*

Quò ad Postremum. Operatur hoc Sacramentum augumentum gratiæ, & hominem validiorem reddit ad obsistendum inimico naturæ humanæ, *cap. 1. & tot. tit. de Consecr. d. 5.* ut etiam supra diximus. Characterem imprimit, ita ut semel tantùm conferatur. *§. Commune, hoc tit. d. c. Non licet, de Consecr. d. 4.* Et tandem contrahitur Cognatio spiritualis inter Patrem, & Matrem confirmati, & ipsum confirmatum, & Patrinum, & confirmantem, *d. cap. 2. de Reform. Matrim. sess. 23.* Et de hac spirituali Cognatione, vide plura scitu digna in dictis meis Decisionibus *de Baptismo, decis. 37. & decis. 40.* ubi resolvitur, An ipsa contrahatur à Patrino mittente Procuratorem? vel à Procuratore puerum suscipiente in Sacramento?

TIT. V.

De Pœnitentiis, & Remissionibus.

QUoniam homini Christiano non sufficit propter humanam imbecillitatem Sacramentum Baptismi, & Confirmationis, cùm sæpissimè ob peccata homo amittat gratiam, quæ per Pœnitentiam, & peccatorum remissionem recuperatur, ob id nunc de hac materia tractatur, & videbimus:

1. *Quid sit Pœnitentia?*
2. *Ad quid instituta?*
3. *Quot sint Pœnitentiæ species?*
4. *Ex quibus constet?*
5. *A quibus imponatur?*
6. *Quibus?*
7. *Quid sit Remissio?*
8. *Qui possint peccata remittere?*

Quò ad Primum. Licèt Pœnitentiæ nomen sit genericum, & id præferatur, quod est priori voluntati contrarium, tamen præcisè hic accipitur, & potest dici, ut sit *Sacramentum Contritione, Confessione, Satisfactione constans, quod peccatorum remissionem tribuit;* & est effectum verum Sacramentum post Christi adventum, ut *hic in princ. & sess. 14. c. 1. de Necess. & Instit. Sacram. Pœnit. in Conc. Trident.*

Quò ad Secundum, Fuit ad hoc inventa, quia cùm sit hominum conditio infirma, itaut non possint peccata de facili evitare, hoc remedio gratiæ jam amissa recuperatur, & est quasi tabula periclitantibus, & reconciliatio cum Deo. *§. Multiplex, hic, supr. d. sess. 14. cap. 3.*

Quò ad Tertium. Tres sunt species Pœnitentiæ, *Solemnis, Publica, & Privata.* Prima est, quam Episcopus imponere solet propter majora scelera, & semel tantùm imponi solet, & sic pœnitentes ordinari non debent. *§. Sunt. hoc tit. c. 1. de Bigam. c. Ex Pœnitentib. 50. d.* Publica est illa, quæ publicè nulla Juris solemnitate servata injungitur, ut est Peregrinatio, certi habitus delatio, & hujusmodi. *§. Publica, hic, cap. Ex 24. sess.* Privata verò est illa, quæ in occulto Deo fit, & Sacerdoti tanquam Dei ministro, & hæc saltem semel in anno à quolibet fideli facienda est. *§. Privata, hoc tit.*

Quò ad Quartum. Pœnitentia, constat ex cordis contritione, quæ nihil aliud est, quàm dolor pro peccatis commissis voluntariè assumptus, cum proposito confitendi, & satisfaciendi. Ex oris confessione, per quam scilicet morbus latens spe veniæ aperitur. Et ex operis satisfactione, quæ est secundùm Justitiæ qualitatem, & quantitatem compensatio, *c. Satisfactio, de pœn. d. 3.* facit *cap. Perfecta, eod. d.* & *§. alii, & §. Ex his, de Pœnit. dist. 1.* Sunt qui addunt constare etiam ex absolutione, quæ est liberatio à peccatis facta ab habente auctoritatem per verba idonea.

Quò ad Quintum. Pœnitentia solemnis à solo Episcopo imponitur, *d. §. Sunt autem.* Si de publica tractatur, & ipsa imponitur ex Episcopi authoritate. Si de privata agimus à privatis Sacerdotibus, qui tamen ab Episcopis approbantur. *§. Privata, hoc t. c. Si Episcopus, de Pœnit. in 6. §. Si quis, hoc eod. tit.*

Quò ad Sextum. Pœnitentia imponi solet his, quibus displicet peccata commisisse, etiamsi ad ultimum supplicium damnentur. Quibus etiam Eucharistiæ Sacramentum non denegatur. *§. fin. hic, Clement. 1. & cap. Quærenti, de Verb. significat.*

Quò ad Septimum. Remissio nihil aliud est, quàm exoneratio, & relevatio, atque à peccato liberatio. Etenim qui remittit, liberat, *l. 1. Cod. de Remiss. pignor.*

Quò ad Postremum. Episcopi, Sacerdotes, & illi, qui sunt ab Ordinariis approbati, peccata remittere poterunt, quibusdam exceptis, quorum remissio est reservata Summo Pontifici, vel Episcopo, *cap. Ejus, sess. 14.* Ut si pœnitens Clericum læserit enormiter, *cap. Si quis suadente, 17. q. 4.* Aut Ecclesiam combusserit, vel fregerit, quo casu si est denunciatus à solo Pontifice potest absolvi, quamvis ante denunciationem etiam Episcopus possit absolvere, *c. Compuncti, & c. Tua, de Sentent. excomm.* Aut falsum commiserit, *cap. Dura, §. fin. de Crimin. falsi.* Aut Cardinalem, vel Episcopum insequutus fuerit, *c. Felicis, de Pœnit. in 6. c. Si quis, eod. tit. in 6.* Aut cum Moniali rem habuerit, & aliis casibus, de quibus notatur *in c. Si Episcopus, eod. in 6.* Et supra nominati casus referuntur in *§. Illud, loc. tit.* Et nota quod unusquisque semel in anno saltem debet confiteri. *§. Privata, cap. Omnis, de Pœnit. & Remiss.* Et Confessor debet tacere confessionem, aliàs si ipsam revelet, perpetuò detruditur in Monasterium. *§. Sed sive, hoc tit.* Cùm simul & Medici, qui ægrotos ad pœnitentiam non inducunt, ab ingressu Ecclesiæ sunt arcendi. *§. Medicos, hic.* Quamvis hoc non sit observatum; ut per Gloss. *ibi in verb. arcebitur.* Ac tandem unum notare debes, quod in casu necessitatis etiam is consequitur veniam, qui confessus fuerit sua peccata illi, qui non habet auctoritatem absolvendi, & hoc ex desiderio Sacerdotis, & vigore suæ contritionis; non ex eo, quod illa confessio sit Sacramentalis, per regulam, quod necessitas facit reputare affectum pro effectu. *§. Sed etsi, hoc tit.* Sed de hac quæstione, An, absente Sacerdote, sit in casu necessitatis confitendum laico? Vide meas Decisiones *de Sacram. Pœnit.* in quibus *Decis. 18.* de hac plenè disserui; exempla curiosa adduxi, & opinionem negativam ob plures rationes, ac auctoritates tenui. Item & si quis habuerit animum confitendi, sed propter sævitiam morbi non poterit id facere, potest tamen absolvi. *§. penult. hic. cum simul.* Et vide, quæ super hoc traduntur per Conc. Trid. *sess. 14. c. 9. de Pœnit.*

TIT. VI.

De Eucharistia.

ABsoluta tertia specie Sacramentorum, de quarta nunc tractatur; & videbimus:

1. *Quid sit Eucharistiæ Sacramentum?*
2. *E quibus constet?*
3. *Quis ipsum conficiat?*
4. *A quo exhibendum?*
5. *Quibus?*
6. *Qui sint effectus?*

Quò ad Primum: Sacramentum Eucharistiæ pluribus significatur nominibus, quæ quid magnum insinuant, & fuit institutum in ultima Cœna Domini. *In Concil. Tridentin. sess. 13. cap. 1.* Et ibi vide per totam Sessionem de Excellentia hujus Sacramenti; & est Sacramentum quod constat visibili forma, veritate corporis, & virtute spirituali. Et forma visibilis est Panis, & Vinum, quæ conficiuntur Corpus, & Sanguis Domini Nostri Jesu Christi. §. *Constat*, & §. *Veritas, hìc, cap. Panis, cap. Ante, cap. Nos autem*, & plura alia capitula *de Consecrat. d. 2.* Et per Concil. Trident. *sess. 13. cap. 1. & cap. 4.*

Quò ad Secundum. Ut dixi, constat hoc Sacramentum visibili forma, veritate Corporis, & virtute spirituali. Visibilis forma est panis, & vini commixti aqua. Veritas est Carnis, & Sanguinis. Sicut enim ante consecrationem panis est, & vinum, quod natura creavit; ita post consecrationem est vera Christi Caro, & Sanguis. *d. cap. 1. & 4. de Sacr. Eucharist. Sacram sess. 13.*

Quò ad Tertium. Soli Sacerdotes hoc Sacramentum conficere possunt. §. *Sed nec, hìc, c. Perlectis. 25. d.* Undè Conc. Trid. anathematizat eos, qui mentiuntur, omnes Christianos in Sacramentis ministrandis habere parem authoritatem, *can. 10. in tit. de Sacram. in genere, sess. 7.* Quod verum est etiamsi mali sint. Nam ex tunc conficiunt Corpus Domini, quando cum intentione consecrant, sed tamen debent abstinere, & in eo statu consecrantes peccant mortaliter. §. *Imo, hìc, c. fin. de Cleric. excomm. c. fin. & ibi not. de Cohabit. Cler. & Mulier.*

Quò ad Quartum. Hoc Sacramentum à solis Sacerdotibus exhiberi potest. §. *Sed nec, hoc tit. cap. Pervenit, de Consecr. d. 2.* Excepto casu necessitatis, in quo Diaconus, præsente Presbytero, id facere potest. §. *Permisit, hoc tit. cap. Præsente, cap. Diaconus, d. 93.* Sed utrum Sacerdos, qui non potest celebrare, possit Hostiam jam consecratam sumere? Et quid si sit præsens Diaconus? vide meas Decisiones *de Eucharistia*, in quibus *Decis. 29.* affirmativa opinio tenetur; & alia curiosa dubia proponuntur.

Quò ad Quintum. Hoc Sacramentum exhibetur his, qui habent plenitudinem judicii, aut saltem cognitionem boni mali. Illis autem, qui erant Histriones hoc Sacramentum denegabatur, ut est *text. in §. Item, hìc, c. Pro dilectione, de Consecr. d. 2.* Cæterum quilibet fidelis saltem semel in anno hoc Sacramentum suscipere debet, & ei est exhibendum. §. *Et quidem, hoc. tit. cap. Omnis, de Pœnit. & remiss.* §. *Privata, hoc tit.* & Concil. Trident. *can. 9. de Sacram. Euchar. Sacram. sess. 13.* Sacerdotes verò quotidiè, sed semel tantùm, excepto Die Nativitatis Domini. §. *Invaluit, h. t. c. Te referente, de Celebr. Miss.* Sed tamen non puto de Necessitate, ut Sacerdos quotidiè celebret, maximè si habeat causam; sed tamen hic usus maximè commendatur per Conc. Trid. *sess. 22. c. 2.* Excipitur etiam casus necessitatis *d. §. Invaluit*, ut puta si Parochianus infirmum vellet communicare, nec esset reservata Eucharistia in prima Missa: ita exemplificat *ibi Gloss. in verb. necessitas.* Porrò an Parochus non jejunus possit celebrare, & consecrare ad communicandum moribundum? Vide meas Decisiones *de Eucharistia Decis. 3. num. 7.* ubi rationes, & DD. pro utraque opinione

Quò ad Postremum. Virtus hujus Sacramenti est Charitas, & unitas; nam quemadmodum ex multis granis unus fit Panis, & ex pluribus racemis unum Vinum; ita & nos per hoc Charitatis Sacramentum Christo incorporati unum evadimus. §. *Virtus, hoc t. c. Quia passus, & c. Hoc Sacramentum, & c. Corpus, Cum plurib. seqq. de Consecr. d. 2.* Et propterea multi, & uberrimi fructus pro animabus resultant, *ut cap. 5. de Sacr. Euch. Sacramento, sess. 13.* in Tridentin. Concilio,

TIT. VII.

De extrema Unctione.

ACtum est de quarta specie Sacramentorum, nunc de quinta differitur, & pro explicatione videbimus:

1. *Quid sit Sacramentum Extremæ Unctionis?*
2. *Quot species?*
3. *Ex quibus constet?*
4. *A quibus extrema Unctio exhibenda?*
5. *Quibus?*
6. *Ad quid?*

Quò ad Primum. Extremæ Unctionis Sacramentum, quod propriè, vereque Sacramentum existit, à Christo Domino Nostro institutum, & à Beato Jacobo Apostolo promulgatum, *can. 1. de Sacram. Extr. Unct. sess. 14. Conc. Tridentin.* potest in hunc modum describi: *Ut sit illud Sacramentum, quod tunc explicatur, cum in ultimo vitæ discrimine ob adversam valetudinem constituti Oleo Sancto inunguntur, & deliniuntur.* Et dicitur Unctio Extrema, quoniam his solis confertur, qui in ultimo vitæ periculo sunt. §. *Sciendum. §. Hæc, hoc tit. c. Unic. de Sacra Unct.*

Quò ad Secundum. Duæ Unctiones species existunt, *Exterior, & Interior.* Prima materialis, & visibilis existit. Secunda spiritualis est, & invisibilis. Exteriore enim visibiliter corpus ungitur; Interiore invisibiliter cor. §. *Sunt enim, hìc*, concord. *c. Unic. in Princ. de Sacra Unct.*

Quò ad Tertium. Hoc Sacramentum secundùm Tolosanum in hoc tractatu *Syntagm. Jur. lib. 2. cap. 7. num. 3.* Ex forma, & materia consistit. Materia est oleum olivarum, ut per Arch. latè *in Summ. h. t. Vers. Materia*, quod ab Episcopo est benedictum. Forma verò in Verbis consistit, quæ à Ministro exprimuntur, dum officium extremæ Unctionis explicitur, *d. c. 1. sess. 14. Concil. Trid.*

Quò ad Quartum. Hoc Sacramentum à Sacerdotibus, & Presbyteris confertur, prout & dictum est de Sacramento Eucharistiæ. Itaut non possint alii inferiores Clerici hoc Sacramentum conferre, *d. §. Sciendum, cap. 3. d. sess. 14.* De Ministro hujus Sacramenti, & tempore quo dari debet, *c. Quæsivit, De Verb. Signif.*

Quò ad Quintum, Hoc Sacramentum, ut

dixi,

dixi, his confertur, qui sunt infirmi, & in extremo vitæ periodo positi; & si fortè ad sanitatem revocantur, atque iterùm in morbum incidant, iterum unguntur, *ut d. cap.* 3. Non datur autem amentibus, quia intellectu carent, sed datur ægrotis, & Pœnitentibus, non his, qui in peccato perseverant, ut in *d. c.* 3. apertè legitur, *& in c. illud superfluum.* 95. *d.* Quæ partes autem ungantur, vide Gloss. *hic in §. Sciendum. In Verb. partes.*

Quò ad Ultimum. Datur hoc Sacramentum ad confirmandam animam ægroti, ut possit hosti naturæ humanæ resistere. Item ad peccatorum reliquias abstergendas, nec non ad excitandam in ægroto maximam divinæ legis fiduciam, & ad spiritualem medicinam; ut *in d. sess.* 14. *c.* 2. Unde etiam effectus hujus Sacramenti maximus est, cùm ipsum plurimum gratiæ conferat, plurimumque auxilium; ut *in d. c.* 2. *d. sess.* 14. Sed utrùm extet Præceptum de Extrema Unctione recipienda in gravi firmitate? Et an pluries possit recipi in eadem infirmitate? videndæ sunt meæ Decisiones, *de Extrema Unctione Decis.* 81. ubi plurima curiosa Quæsita, & Dubia resolvuntur circa Materiam, Formam, & Effectus hujus Sacramenti.

TIT. VIII.

De Sacramento Ordinis.

QUia Sacramenta alia sunt *Necessaria*, alia *Voluntaria §. Sacramentum, Supra de Sacram.*; cum hucusque tractatum sit de illis Sacramentis, quæ sunt necessitatis, nunc incipit tractare de aliis, quæ dignitatis, & voluntatis sunt, & sic de Ordine; & Matrimonio. Et circa hunc Titulum videbimus:

1. *Quid sit Ordo?*
2. *Quæ in ordine considerentur?*
3. *Ad quid Ordines inventi sint?*

Quò ad Primum: Ordinis Sacramentum; quod verè, & propriè Sacramentum existit, *c.* 3. *de Sacram. Ordin. sess.* 23. *in Concil. Trident. Est Signaculum quoddam Ecclesiæ, propter quod spiritualis potestas traditur ordinato, ut hic.* Quæ quidem potestas secundùm nonnullos in potentia activa consistit, sicut Character, qui in Baptismo imprimitur, & in potentia passiva. Archiepisc. Florent. *In sua Summ. eod. in princ.* Item ex hac definitione colligitur, primam tonsuram non esse Ordinem, cum per eam nulla tonsurato potestas conferatur, sed solùm capacitas ad alios Ordines, & quamvis *in c. Cum contingat, extr. de Ætat. & qualit.* Ordo vocetur; tamen dicendum est ibi Ordinem largè accipi, prout de Regularibus diximus, quòd sunt Ordines S. Francisci, vel S. Dominici.

Quò ad Secundum. In Ordine consideratur. Primò gradus Ordinis. Secundò ipsamet Ordinatio; in qua inspicitur qualitas Ordinandorum, & Ordinantium, ac tandem modus Ordinandi, de quibus supra dictum est.

Quò ad Postremum: Ordines inventi fuerunt ad hoc, ut per ipsos ad Sacerdotium tendatur, ut dignè quis Altissimo possit ministrare, & reliqua Ecclesiæ Sacramenta conficere, *cap.* 2. *sess.* 23. *de Sacram Ordin.* De hoc Sacramento inter meas Decisiones extat integer liber, in quo Decisionibus quadraginta explicantur omnia, quæ à Theologis, & Canonistis de eo disputantur, & plurima Dubia resolvuntur.

TIT. IX.

De Sacramento Matrimonii.

EXplicato tractatu de Sexto Sacramento; nunc differitur de Septimo, nempè de Matrimonio. Et videbimus:

1. *Quid sit Matrimonium?*
2. *Ex quibus constet?*
3. *Qui contrahant Matrimonium?*
4. *Qui sint effectus?*

Quò ad Primum. *Matrimonium est Viri, & Mulieris conjunctio individuam Vitæ consuetudinem continens, cum divini, & humani Juris communicatione: ut hic in princ.* concord. 27. *quæst.* 2. *in princ. c. Illud de Præsumpt. l.* 1. *ff. de Rit. Nupt.* & Instit. *de Pat. potestate, in princ.* Et est Sacramentum verum, & proprium à Christo institutum, quod gratiam confert. *c.* 1. *sess.* 24. *Concil. Trident. de Sacram. Matrimon.* Et duplex est Matrimonium, Carnale, & Spirituale. Per primum fit conjunctio Maris, & Fœminæ; per Secundum Christi cum Ecclesia.

Quò ad Secundum. Matrimonium consistit ex consensu, & copula, quæ eodem tempore cum pluribus esse non potest. *d. sess.* 24. *cap.* 2. *in Concil. Trid.*

Quò ad Tertium. Regula est generalis omnes posse Matrimonium contrahere, qui Christi fideles existunt, & consentire possunt, & sunt habiles ad copulam, ut not. *in c. Ex litteris. de Dispens. Impub.* Et notant omnes *in Rubr. Qui Cler. vel voventes.* Et de aliis, qui non possunt contrahere, *infrà* videbimus.

Quò ad Postremum. Effectus sive Bona Matrimonii sunt *Fides; Proles, Sacramentum.* Fides scilicet conjugalis, quàm sibi nupti ad invicem debent, ne cum aliis adulterentur, fide conjugii violata. Proles propter quam multiplicandam Matrimonium est institutum in Paradiso *c. Cum igitur. in princ.* 35. *q.* 1. *c. Deinde* 26. *d.* licèt quibusdam non volentibus generare Matrimonia sint ad solatium. *c. Nuptor.* 27. *quæst.* 2. Sacramentum, idest inseparabilitas, vel individuitas, quo ad perpetuam servitutem, nisi Religione, vel fornicatione separatio fiat. *c. In plerisq. de Convers. Conjug. c. Dixit.* 33. *quæst.* 1. Insuper in hoc Sacramento gratia confertur. *d. c.* 1. *de Sacramento Matrim. d. sess.* 24. *in Trident. Concil.* Integer autem liber inter meas Decisiones extat de hoc Sacramento: & in eo plenè, & facilè collecta sunt omnia, quæ de Matrimonio scripserunt Canonistæ, ac Theologi, eaque ornata sunt Historiis, & eruditionibus quamplurimis.

TIT. X.

De Sponsalibus.

QUoniam Sponsalia sunt tanquam præludia Matrimonii, de quo suprà dictum est; ob id nunc agitur de Sponsalibus; & videbimus:

1. *Quid sint Sponsalia?*
2. *Unde dicantur?*
3. *Quotuplicia sint?*
4. *Quot modis contrahantur?*
5. *Inter quos contrahi possint?*
5. *Qui sint effectus Sponsalium?*
7. *Quot modis solvantur?*

Quò ad Primum. *Sponsalia sunt mutuæ quædam repromissiones futurarum Nuptiarum.* ut hic in princ. concord. *l.* 1. *& 2. ff. eod. c Nostrates.* 10, *quæst.* 5.

Quò ad Secundum. Sponsalia dicuntur eò quia ad invicem Vir, & Mulier sibi promittunt, & dicuntur à sponsione. *l. 2. ff. eod.* Veteres enim sibi stipulabantur uxores futuras, & hinc Sponsi, & Sponsæ denominatio emanavit. *l. 3. ff. eod.*

Quò ad Tertium. Sponsalium duæ sunt species. Alia de futuro, alia de præsenti. Ita notant omnes *in Rubr. de Sponsalib.* & Goffredus *ibi, num. 4.*

Quò ad Quartum. Sponsalia de futuro contrahuntur simplici sponsione, Verbis, scilicet; quæ verba respiciunt futurum tempus. *c. Si inter eod. §. Verba. hoc tit.* Re, cum Matrimonium contrahitur per nudam subarrhationem, vel annuli immissionem. Abb. & DD. *in c. fin. de Desponſ. Impuber. §. Contrahunt. hoc t.* Dixi per nudam, quia si interveniat consensus de præsenti, tunc dicitur Matrimonium. DD. *dicto loco.* Litteris, quando in scriptura duo absentes sibi invicem promittunt. §. *Litteris hic.* Quod etiam habet locum in Nuncio, & Procuratore ad hoc constituto, ut per eum possint contrahi sponsalia. *d. §. Litteris. c. fin. de Procuratorib. in 6.* Nec in hoc casu Procurator potest alium substituere. §. *Procurator. hoc tit. d. cap. fin. de Procur. in 6. cum concord. ibi allegatis.* Consensu, ut quando qui propter ætatis impedimentum Matrimonium contrahere non possunt, sibi spondent, veluti duo Impuberes, vel si unus sit pubes, nam quamvis verba sonent contractum de præsenti, attamen quia ætas impedit, contrahunt Sponsalia de futuro. *c. Nobis. extr. de Desponſ. Impub. §. Consensu. hic.* Et hoc procedit non vi verborum, sed Juris potestate. Ita Goffred. *in summ. eod. n. 5.* Item Sponsalia contrahuntur, vel simpliciter, & purè, quando sine alia adjectione diei duo sibi promittunt; vel sub conditione, quando duo sibi spondent sub certo futuro casu, vel conditione. Et advertendum est, quod in hoc turpes conditiones rejiciuntur. §. *Hoc tamen, hoc. tit.* Quandoque etiam dies adjicitur in Sponsalibus, ut quando quis intra certum tempus, aliquam se ducturum in uxorem convenit: Et hanc distinctionem habemus *in §. Rursus, cum duobus seq. hic, cum concordan.*

Quò ad Quintum. Sponsalia possunt contrahi inter eos, qui Matrimonium contrahere possunt. Sed nunc qui minorem habet ætatem, si septem annos habeat, potest tam Sponsalia contrahere, quàm jam inita approbare. *cap. Litteras. de Desponſat. Impuber. cap. fin. 3. q. 2. c. 1. in princip. de Desponſ. Impub. in 6. & §. Non tamen. hoc tit.*

Quò ad Sextum. Primus effectus est, ut teneatur promittens servare promissa. *d. §. Rursùs. c. 2. c. Requisivit. ext. eod.* Quamvis quis præcisè non compellatur proprer malos eventus. *d. cap. Requisivit.* Nisi sint Jurata. *c. 2. & c. ex Litteris, eod.*

Alter effectus est, ut inducant impedimentum publicæ honestatis; itaut nullus cognatus sponsi contrahere possit cum sponsa, nec cognatæ sponsæ possint cum sponso contrahere. *c. 2. & c. Sponsam, ext. eod.* Quod extendebatur, etiam ad illum Casum, quo Sponsalia erant nulla. *d. c. 2.* Postea verò inductum est, quod publica honestas impediret usque ad quartum gradum tantùm, *c. Non debet, de Consanguinitate, & Affinitate.* Sed hodie per Concil. Trid. *in c. 3. de Reformat. Matrim. sess. 24.* constitutum est per Sponsalia quacunque ratione invalida non impediri Matrimonium ratione publicæ honestatis, & cùm fuerint valida prohibuit Matrimonium contrahendum inter cognatos sponsorum cum aliquo ex sponsis, solummodo usque ad primum gradum. Et hæc quæ dicta sunt habent locum, quando Sponsalia sunt contracta purè; quod si adjectus sit dies, si per alterum steterit, quominùs sit Matrimonium contractum, tunc alter poterit ad nuptias alterius transire. Sin autem sint facta Sponsalia sub conditione, tunc evanescent deficiente conditione. §. *Dies cum seqq. hoc tit.*

Quò ad Postremum. Duobus præcipuè modis dissolvuntur Sponsalia contracta. Aut ipso Jure, aut facto hominis. §. *Dissolvuntur, hoc tit.* Primo modo, quando Jus ipsum hoc decernit; veluti per ingressum Religionis, vel susceptionem sacrorum Ordinum. §. *Item, hoc tit.* Et quo ad ingressum Religionis dicas hoc procedere etiam in Sponsalibus de præsenti, *c. Ex publico, de Conversſ. Conjug.* Dummodò adsit consensus alterius, ut *ibid. c. Scripsit, cap. Ecce. 27. q. 2. c. Commissum, eod.* Quatenus verò loquimur de susceptione sacrorum Ordinum, habet locum tantummodò in Sponsalibus de futuro, ita not. *in c. 1. de Vot. & Vot. redempt. in 6.* per *Extrav.* Joann. quæ incipit *Altercationis antiquæ, & in c. Ex parte 2. de converſ. Conjug.* Per Matrimonium subsequens, quia majus vinculum minus dissolvit. §. *Si igitur, hic, cap. De illis, extr. eod.* Goffred. *in sua Summ. in Rubr. eod. n. 10.* Facto hominis solvuntur Sponsalia, cùm partes communi consensu ab ipsis Sponsalibus recedere volunt, vel alteriùs tantum dissensu; & id fit ex causa legitima Jure concedente; veluti si intervenerit Membrorum amissio. Absentia. §. *Sed & hoc. tit.* Fornicatio, Incurabilis morbus, ut lepra. §. *fin. hoc tit.* Vel similis causa, *c. Sicut, c. Si inter, c. Is qui, ext. eod. c. 1. & c. fin. extr. de Sponſ. duor. cap. Præterea, eod.* §. *Facto, hoc tit.* Item si impubes contraxerit, & factus Pubes noluerit Matrimonium ratum habere, dissolvuntur Sponsalia. §. *Contrahentes, h. t. d. cap. De illis. De Sponſ. Impub.* Item Affinitas superveniens dirimit Sponsalia. §. *Item, hoc tit. c. 2. de Conſang. & Affinit. & cap. Veniens. 1. & 2. & c. Ex litteris. De eo, qui cogn. conſ. Uxori ſua.* Et, quod dictum est de fornicatione, quod per eam dirimantur Sponsalia, habet locum etiam si fuerint Jurata. §. *Unius, hoc tit.* Idem in fornicatione spirituali, ut si Sponsus, vel Sponsa idolatraverit, vel in hæresim inciderit. §. *Idem, hoc tit. cap. Non solùm, & c. Jam nunc. 28. q. 1.* Quid autem sit in Matrimonio? videbimus infrà *in §. Multum, de Divort.* Et præterea pro totius Tituli expeditione nota, quòd ex quo Sponsalia de futuro non possunt contrahi nisi in septennio, etsi antea contrahantur, non valent, nisi nova voluntas superveniat, ut supra dictum est. Si nexus copulæ in eam, quæ nondum septennis est, intercesserit, tunc inducitur publicæ honestatis Justitia. §. *Si tamen, h. t. c. Juvenis, eod.* Et si impuberes velint dissolvere Sponsalia, non sunt audiendi, sed expectandum est tempus Pubertatis. §. *de Illis, h. t. c. De Illis, & c. A nobis, de Desponſ. Impub.* Quòd si mulier Viri potens contrahat cum impubere, ipsa non potest resilire, sed impubes factus pubes potest hoc facere. §. *Mulier, h. t.* Quod habet locum si spontè cum minore contraxit, alias si coactè non tenetur expectare impuberem. §. *Hæc tamen, hoc. tit.* Et Sponsalia contracta à Parentibus non tenent, nisi filii assentiant. §. *Non absimile, hoc eod. tit.*

TIT.

TIT. XI.

De Nuptiis.

CONtinuatio hujus Tituli ad præcedentes colligitur ex principio tituli nostri; pro cujus expeditione videbimus:

1. *Quid sint Nuptiæ?*
2. *Unde dictæ?*
3. *Quando dicantur contractæ?*
4. *Qui nuptias contrahant?*
5. *Quibus temporibus fiant?*
6. *Quæ matrimonium invalidum reddant?*

Quò ad Primum. Nuptiæ nihil aliud sunt, quàm Matrimonium; quod quidem Matrimonium præsefert communicationem Juris divini, atque humani per conjunctionem maris, & fœminæ, ac inseparabiliter factam. Hoc tamen discrimen videtur esse inter Matrimonium, & Nuptias, quòd propriè Matrimonium præsefert illud totum tempus, quo legitimè est conjunctio contracta, & copula sequuta. Nuptiæ verò referuntur ad Tempus illud, quo per verba de præsenti consensum contrahentes præstant, & illam perpetuam inter se mutuam conjunctionem contrahunt. Ut notant DD. *in Rubr. c. de Sponsal.*

Quò ad Secundum. Nuptiæ dicuntur à nubendo, seu velando, *cap. Nec illud. 30. quæst. 5. c. Nec imago. 33. quæst. 5.* Etenim propter modestiam sponsæ velabantur, ut dictum est in titulo *de Nuptiis in Civil. Institution.*

Quò ad Tertium. Nuptiæ dicuntur tunc contractæ, quando ab illis, qui debent conjuges esse, est consensus præstitus ad Parochi interrogationem, cujus Parochi præsentia est omninò necessaria. Concil. Trid. *in cap. 1. de Reform. Matrim. sess. 24.* Aliàs Matrimonium diceretur clandestinum, nec contrahentes obligaret in foro exteriori, *d. c. 1.*

Quò ad Quartum. Habentes legitimam ætatem, & facultatem consentiendi, Matrimonium possunt contrahere. Legitima verò ætas deprehenditur ex habilitate ad coeundum, *c. 3. de Desponsat. Impub. §. Sed qui, h. t.* Abb. *in cap. De illis, ext. de Sponsalibus.* Est tamen casus in quo impubes potest Matrimonium contrahere si inhabilis sit ad copulam, & est quando de pace ineunda tractatur. §. *Idem si, eod. cap. 2. de Desponsat. Impub, & 29. d. per totam, c. Hoc quippe. 3. quæst. 6.* Et sciendum est, quod ad contrahendum Matrimonium verba omninò sunt necessaria, vel saltem alia signa mentem contrahentium exprimentia, & ex quibus consensus deprehendi possit, *cap. Sufficit. 27. quæst. 2.* Abb. *in c. Tua, de Sponsal. §. Licet autem, hoc tit.* Undè etiam mutus, & surdus per signa contrahere possunt. §. *Multi, hoc. tit.*

Quò ad Quintum. Temporibus statutis tantùm potest contrahi Matrimonium. Quare prohibetur ab Adventu Domini Nostri, usque in diem Epiphaniæ; & à Feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusivè, *c. Ab adventu, de Reform. Matrimon sess. 24. in Concil. Trid.* Et hoc est unum de Præceptis Ecclesiæ. Et si quis dixerit hanc Superstitionem superstitiosam esse anathema sit, *c. 11. de Sacr. Matrim. sess. 24. in eod. Conc.*

Quò ad Postremum. Si quis crediderit personam liberæ conditionis suscipere, quam postea cognoscat esse servilis, Matrimonium est nullum, nisi fuerit renovatus consensus, vel sequuta copula. §. *Si quis tamen, hoc. tit. c. Proposuit, de Conjug. servor.* Qui autem dicantur liberi dicit *text. in §. Liberi autem, h. t.* Item si quis contrahere credat cum una, ac alii subjiciatur per errorem, ob impedimentum consensus Matrimonium invalidum redditur, *cap. 1. 29. quæst. 7.* & Goffred. *in sua Summ. in Rubr. de Sponsal. sub num. 21.* Ubi etiam dicit errorem qualitatis, & fortunæ non impedire Matrimonium, ut si illa, cum qua contrahitur, credatur esse Virgo, & non sit, vel dives, & pauper sit, ut 29. q. 1. *d. c. 1.* De aliis impedientibus dicetur *in sequenti titulo.*

TIT. XII.

Quæ Matrimonium impedire possint.

QUoniam multa impediunt Matrimonium; ob id nunc de hac materia. Et videbimus:

1. *Quæ Matrimonium contractum dirimant, & quæ contrahendum impediant?*
2. *Quot Matrimonii species sint?*

Quò ad Primum. Primo loco *Error* dirimit Matrimonium, ut *hic in princ.* Et quoniam quatuor sunt species Erroris, *Conditionis & Personæ, Fortunæ, & Qualitatis*, sciendum est, quòd postremæ duæ Matrimonium non dirimunt; superiores sic, *ut sup. tit. proximo* dixi, *& c. 1. & per totum 29. quæst. 1. & quæst. 2. §. Solus, hoc tit.* Secundò: *Conditio* apposita contra substantiam Matrimonii, vel dirimit, vel nullum efficit Matrimonium, *c. Super eo, & c. Ad id, de Cond. appos. c. Commissum, de Sponsal. c. de illis. De eo qui duxit in Matrim. quam poll. per Adult.* Nisi sequuta sit Carnalis Copula, quia tunc intelligitur recessum ab omni conditione, vel modo, ut DD. *Jurib.* & per Goffr. *in sua Summ de Sponsal. num. 22.* Tertiò: *Votum solemne, & Sacer Ordo. §. Item Voti, hoc tit. c. Unic. de Constit. in 6. c. Feriatim. 32. d.* Votum autem solemne in proposito est, veluti susceptio Sacri Ordinis, vel professione tacita, vel expressa munitum, *d. c. Unic.* Secùs autem est in Voto simplici. §. *Secùs, hoc tit.* Nam etsi contrahendum impediat, contractum tamen non tollit *arg. c. Quemadmodum, de Jurejur. & l. Patre. De his qui sunt sui, vel alien. Jur.* Quartò: Disparitas fidei, ut si unus sit Christianus, alter Judæus, *ut 28. quæst. 1. per totum.* Quintò: Publicæ honestatis Justitia. 37. *quæst. 2. cap. Si quis Uxorem.* Et non solùm impedit, sed etiam dirimit, *c. Juvenis, hoc tit.* & Goffr. *in Rubr. extr. eod. num. 21. c. Duo pueri, de Desponsat. Impub.* Et hæc Justitia publicæ honestatis descendit ex Sponsalibus; & Matrimonio rato, etiam nulla copula carnali intercedente, *cap. Unic. de Sponsat. in 6 cap. Sponsam, ext. de Sponsal.* Et olim propter hanc Justitiam publicæ honestatis, qui spoponderat cum aliqua, non poterat contrahere cum consanguineis sponsæ, nec sponsa cum consanguineis sponsi usque ad quartum gradum. Ita not. Abb. *in d. c. Sponsam.* Et hoc habebat locum etiam si Sponsalia essent nulla, *cap. Ad audientiam, de Sponsal.* Quod tamen novissimè per Concilium Tridentin. correctum est *de Ref. Matrim. sess. 24. cap. 3.* ubi duo ordinantur. Primum, quod si sponsalia nulla sint, quacunque de causa, non inducant hanc Justitiam publicæ honestatis. Alterum est, quòd quando sunt valida

non

non inducant hoc impedimentum, nisi in primo gradu solo: Unde Vir non potest contrahere cum consanguineis suæ sponsæ in primo gradu tantùm; & sic de sponsa idem dicitur.

Sextò Ligamen impedit, & dirimit Matrimonium, *cap. Si per 3. qu. 1.* Ut si quis per verba de præsenti contrahat cum aliqua; namque hoc casu etiam quòd copula non sit sequuta, tamen uno vivente, alter conjugum non potest contrahere cum alio; & si contrahat, nullum est Matrimonium, licèt consummatum per copulam, & habeat filios, sed debet redire ad primum, *cap. Si inter, de Sponsal.* Sed quomodo in Lege veteri licita esset pluralitas Uxorum; Et Sancti Patriarchæ fuerint Polygami? Vide in meis Decisionibus *de Matrimonio, decis. 29.* in qua plenè agitur de Polygamia, ac de Polyviria; & adducuntur pulcherrimæ Historiæ, ac Exempla circa hoc Ligaminis impedimentum.

Septimò *Crimen* impedit Matrimonium, & dirimit, *cap. Amovere 33. q. 1. & extr. de eo, qui cogn. consang. Uxori suæ, c. 1. & 2.* Sive crimen sit homicidii, sive adulterii; ut si unus conjugum conveniat cum altero, ut occidant alterum conjugem, ut possint inter se contrahere. Vel si unus conjugum occidat alterum per se, vel per alium, ut contrahat cum adultero, *cap. Super eo, extr. De eo qui dux. in Matrimon. quam priùs poll. per adult.* Vel si unus conjugum committat adulterium cum aliquo, & promittat ei, cum quo adulteratur, se contracturum post obitum conjugis, per *d. c. Super eo, cum simili.*

Octavò. Affinitas Matrimonium impedit, & dirimit: Et affinitas nihil aliud est, quàm cognatio quædam ex copula carnali procedens. Et hæc affinitas non solùm ex copula licita Matrimonii, sed etiam ex copula illicita procedit, *c. Discretionem. De eo, qui cogn. consang.* Et per hanc affinitatem consanguinei utriusque conjugis usque ad quartum gradum non possunt contrahere cum altero conjugum, *c Non debet. §. Prohib. extr. de consang. & affinit.* Verùm hodie secundùm constitutionem Concilii Trid. *in sess. 24. c. 4. de Reformat. Matrim.* Impedimentum affinitatis per copulam illicitam non extenditur ultra secundum gradum. Cognatio autem dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum: Undè qui sunt conjuncti, idest consanguinei, si loquamur de collateralibus, non possunt contrahere usque ad quartum gradum inclusivè, *cap. Non debet, de consanguinit. & affinit.* In ascendentibus verò, & descendentibus dicas, quod in infinitum prohibetur Matrimonium; ita est communis sententia, quæ enim personæ locum parentum, & filiorum obtinent, non possunt inter se contrahere. *§. Ergo, Vers. inter eas. Instit. de Nupt. d. cap. Non debet, & cap. unic. extr. de Cogn. legal.* Et si vis habere cognitionem graduum, vide *cap. fin.* cum Gloss. *ibi in Verb. remotior. extr. De consang. & affinit.* & faciliùs in meis Decisionibus *de Matrimonio, decis. 22. à num. 7. seqq.* Vis etiam impedit Matrimonium, *c. Cum locum, extr. de Sponsal. c. 9. sess. 24. de Reform.* Unde reassumas hos modos, & dicas sic:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas.
Si sis Affinis, si fortè coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis desit præsentia Testis;
Ruptave sit Mulier, nec parti reddita tutæ:
Hæc socianda vetant connubia; facta retractant.

Ultra hos modos nota casum furoris, qui Matrimonium impedit, *cap. Neque furiosus. 32. qu. 7.* Item per adulterium Matrimonium separatur, *can. 7. de Sponsal. & Matrim. sess. 24. in Concil. Trid.* Quænam factum tollant? vide Gloss. *in c. Litteras, de Suppl. negl. Pral.*

Quò ad Secundum. Tres species Matrimonii constituuntur. Legitimum, & non ratum. Aliud legitimum, & ratum. Tertium ratum, & non legitimum.

Primum est, quod legali institutione, & Provinciæ moribus contrahitur; hoc inter infideles non est ratum, quia non est firmum, & ideò violabile est conjugium eorum: Dato enim libello repudii, licet eis recedere ad invicem, & alii copulari lege Fori, non lege Poli, quam non sequuntur.

Secundum verò inter fideles ratum conjugium est, quia conjugia semel initiata, & completa inter eos, ulteriùs solvi non possunt. Legitimum quoque est, quia fit servatis solemnitatibus, ut cùm Uxor à Parentibus traditur; à Sponso ditatur, & à Sacerdote benedicitur.

Tertium fit inter eos, qui quidem possunt contrahere, sed tamen non servatis solemnitatibus, sed solo affectu contrahitur; hoc enim est ratum, itaut non dirimatur, sed non est legitimum, eo quia non est contractum secundùm Juris formam, quæ, ut vulgo dici solet, rem in esse ponit, *l. Julianus, §. Si quis rem, ff. Ad exhiben.* Et hæc distinctio habetur *in §. Ex his, hoc tit. & in cap. fin. 28. q. 1.* Cætera, quæ in titulo sunt, vide per te ipsum. Sed in quacunque difficultate Matrimoniali ne deseras recurrere ad meas Decisiones *De Sacram. Matrim.* in quibus maximo studio collecta sunt, quæ de eo possunt disputari.

TIT. XIII.

De Triplici Cognatione.

QUoniam inter cætera, quæ Matrimonium impediunt, Cognatio existit, quæ in variis est distincta speciebus, ob id nunc de ea tractatur, & videbimus:

1. *Quid sit Cognatio?*
2. *Quot sint ejus species?*
3. *Quæ Cognatio consideretur?*
4. *Inter quas personas, & usque ad quem gradum Matrimonium impediat?*

Quò ad Primum. Cognatio est Jus quoddam inter certas personas, vel legis fictione institutum, quo fit ut personæ ipsæ inter se conjunctæ videantur. Et propriè Cognati dicuntur, quasi cum aliquo nati, *l. 1. ff. Unde Cognat.* Et sciendum est, quod hoc nomen est nomen genericum, & specificum. Primo modo significat quosdam attinentes, Secundo modo ad eos refertur, qui sunt conjuncti per lineam fœmininam, *l. Jureconsultus, ff. de Grad. affinit.*

Quò ad Secundum. Tres sunt Cognationis species. *Naturalis*, quæ medio consanguinitatis, vel affinitatis contracta reperitur. *§. Naturalis, hoc tit.* Est autem consanguinitas attinentia personarum ex eo proveniens, quòd una provenit ab altera, vel ambæ ab eadem. Vel alio modo est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum. Et dicitur consanguinitas, quasi sanguinis unitas; quia scilicet consanguinei de communi sanguine descendunt,

dunt, *d. §. Naturalis.* Et de hoc est Gloss. *in* 35. *q. 5. in arb. aff.* Et per Hostien. *in Summ. de Consang. & affinit.* *Civilis*, quæ etiam *Legalis* vocatur; estque communio, seu attinentia proveniens à Juris, non naturæ ministerio, *l.* 4. §. 1. *ff. de Grad. affinit.* Vel est proximitas per adoptionem proveniens. §. *Legalis.* 1. *hoc tit.* Quæ quotuplex sit, vide Gloss. *in c. unic. de Cogn. legali. Spiritualis*, quæ est attinentia quædam proveniens ex Sacramenti collatione, vel detentione ad Sacramentum, ut *hìc in princ.* Et eandem definitionem ponit Gloss. *in cap.* 1. *de Cognat. Spirit. in* 6. ubi Abbas.

Quò ad Tertium. Regula est generalis; Quamcunque attendi Cognationem si de Matrimonio contrahendo tractatur. Si verò tractatur de Matrimonio jam contracto. Naturalis est illa, quæ Matrimonium non solùm impedit, sed dirimit usque ad quartum gradum. §. *Vir, hoc tit. cap. Non debet, De consang. & affinit.* Nisi obtineatur dispensatio. Spiritualis verò non simpliciter; & ideò si pater ad sacrum fontem levaverit filium, non ob id Matrimonium dissolvitur. §. *Diximus, hoc tit.* & not. *in cap.* 2. *extr. de Cogn. Spir.* Illud etiam sciendum est, quòd legitima cognatio impedit solùm usquequò durat. Exemplum est in §. *Legalis, hoc tit. c. un. De leg. cogn. & cap. Per adoptionem, & c. Ita diligere.* 30. *qu.* 3. *& l. Per adoptionem, ff. De rit. nupt.* quandoque perpetuò, *ut infrà.*

Quò ad Postremum: Si de Cognatione spirituali tractatur hæc impedimentum præbet inter levantem, & lavatum, nec non & ipsius Parentes, & Baptizantem, & Baptizatum, & illius Parentes secundùm Concil. Trid. *in c.* 2. *de Reform. Matrim. sess.* 24. quamvis hoc impedimentum latiùs pateret olim, ut §. *Non solum, hoc tit. d. c.* 1. *de Cognat. Spir.* Et quod dictum est de Baptismo, habet etiam locum in Confirmatione, *d. c.* 2. Undè ex datione aliorum Sacramentorum non oritur impedimentum hujusmodi, quod Matrimonium impediat. §. *Eisdem, hoc tit.* De ratione differentiæ videas in Gloss. *in Verb. Sacram. in princ.* Item per Catechismum Matrimonium contrahendum impeditur, quamvis contractum non dirimatur. §. *per Catechismum, hoc tit. cap.* 2. *de Cognat. Spirit. in* 6. *cap. Contract. ext. eod. de Cognat. Spirit.* Et Catechismus est illa instructio, quæ fit ante Baptismum super articulos fidei, & habet locum maximè in adultis, & capacibus, *cap. Ante vigesimum, de Consecr. d.* 4. Et hodiè fit ante fores Ecclesiæ, & in infantibus antequàm baptizentur, ut per Abb. *in Rubr. de Cogn. Spirit. in* 6. Si verò agamus de Cognatione legali, hæc impedit quandoque in perpetuum, quandoque verò ad tempus. §. *Legalis, hoc tit. cap. Cum, de Legali cognat. & cap. Per adoptionem, & d. c. Ita diligere.* 30. *q.* 3. *& d. l. Per adoptionem, ff. de Rit. Nupt.* §. *Perpetuam, hìc,* §. *Ergò non omnes. Vers. & hæc. Inst. Civilib. de Nupt.* Perpetua causa impedimenti est inter adoptantem, & adoptatum, & inter Uxorem adoptantis, quia etiam dissoluta adoptione non removetur impedimentum. Quod si aliqua per adoptionem tibi soror esse cœperit, dissoluta ipsa adoptione removetur impedimentum, ut *in Jurib. supr. alleg.* & est Gloss. *in d. cap. Un. de Cognat. Spirit. &* §. *Sed si qua, Institut. Civil. de Nupt.*

Si de Naturali loquimur, hæc inducit impedimentum usque ad quartum gradum inclusivè, *c. Non debet, de Consang. & affin.* quod intelligitur de transversalibus; namque inter ascendentes, & descendentes in perpetuò prohibentur Nuptiæ. Quamvis Goffred. teneat contrarium *in Rubr. de Consang. & affin.* per generalitatem, *d. c. Non debet.* Quod tamen non est verum. Ut per Jo. Andr. Host. & Abb. *in d. c. Non debet.* Et de hoc est *text. in l. Nuptiæ, ff. de Rit. Nupt. In* §. *Ergò. Instit. Civil. de Nupt.* ubi etiam Gloss. *in Verb. in infinitum*, dicit, quod si Adam viveret uxorem non inveniret. Vide in meis Decisionibus *de Matrimonio. Decis.* 22. *num.* 12. ubi DD. attestantes nunquàm in Ecclesia Catholica fuisse dispensatum, ut Matrimonium fieret inter Ascendentes, & Descendentes. Hujus rei ratio esse potest, quia in nuptiis copulandis honestas inspicitur, *l. Semper, ff. de Rit. Nupt.* Quod procedit etiam quò ad eas personas, quæ propè stipitem sunt, cùm & ipsæ loco parentum habeantur; & eas, quæ descendunt ex stipite, ut quæ loco filiorum sunt. §. *Inter amittam. Instit. Civil. de Nupt.* Quod etiam de Jure Canonico receptum est, ut per Host. *in tit. de Consang. & affinit. Vers. usque ad quartum gradum.* Et quod dicitur de cognatione naturali habet locum etiam in affinitate, *d. cap. Non debet.* Dummodò affinitas sit contracta ex licito coitu; namque si copula sequatur illegitima, tunc impedimentum non excedit secundum gradum, ut per *Conc. Trid. sess.* 24. *in Decret. super Reform. Matrim. c.* 4. Et notandum est, quod is, qui cognovit consanguineam uxoris suæ non potest petere debitum, licèt reddere teneatur; sed per hoc non dissolvitur Matrimonium, & post mortem uxoris non potest cum alia Matrimonium contrahere. §. *Si quis, hoc tit. c.* 1. *De eo qui Cogn. consang. Uxori suæ.* Et vide Gloss. *hìc in Verb. petere*, quæ proponit duos casus, & se remittit ad dicta *in c. Discretionem, eod. tit.* Verùm Uxor in hoc casu admonenda, ut à commixtione viri abstineat, & in continentia maneat, donec vir viam universæ carnis fuerit ingressus. §. *Uxor, hoc tit.* Sed tamen non tenetur monitionibus parere. §. *Quod si fortè, hoc tit. d. c.* 1. *& cap. fin. De eo qui cogn.* &c. Undè apparet quod affinitas subsequens non dirimit Matrimonium, sed ea, quæ præcessit, si legitimè probetur.

TIT. XIV.

De Clandestina Desponsatione.

QUoniam Matrimonia quandoque palam, quandoque verò occultè contrahuntur, idcirco post titulos præcedentes, in quibus de Matrimoniis palam contractis actum est, tractat Auctor de Matrimonio clandestino, quod occultum dicitur: & videbimus

1. *Quid sit clandestina desponsatio?*
2. *Qui sint effectus clandestini Matrimonii?*
3. *Quæ solemnitates debeant observari in Matrimoniis clandestinis?*

Quò ad Primum. Clandestina desponsatio dicitur Matrimonium illud, quod inter aliquos etiam copula interveniente contrahitur, non servatis omnibus solemnitatibus, *c.* 2. *ext. eod. c. Aliter.* 30. *q.* 1. *c. fin. ext. eod.* & secundùm id, quod hodiernis temporibus est statutum *à Conc. Trid.* est Matrimonium illud, quod non est contractum cum præsentia proprii Parochi, & duobus, vel testibus, *c.* 1. *in Decret. de Reform. Matrim. sess.* 24. Et licèt antiquitùs matrimonia ista valida, & firma essent, *c. Si quis.* §. *Ista.* 30. *q.* 8. *d. c. Aliter.* Attamen hodie per Concilium Tridentinum statutum

est, ut nulla prorsùs sint, *d. c. 1. sess. 24.* Et hoc ea ratione statutum fuit, quia eveniebat plerumque, ut aliquis cum una contraheret clam, quâ demissa aliam duceret, cum qua perpetuò in adulterio viveret. Unde cùm non posset primum Matrimonium probari, eveniebat quod Ecclesia non posset eum cogere, ut ad primum redderet, *c. 2. ext. eod. & hic in princ.*

Quò ad Secundum. Effectus præcipuus est iste, ut filii nati ex hujusmodi Matrimoniis, illegitimi judicentur, licèt parentum ignorantia Matrimonium contractum fuerit clandestinum, *c. Fin. §. Si quis, ext. eod. §. Quicunque, hoc tit.* Licet alioquin si ignoranter in facie Ecclesiæ contraxerit, & postea lata fuerit sententia divortii propter consanguinitatem, filii jam nati dicuntur legitimi, *c. Cum inter*, & ibi not. *extr. Qui Filii sint legit.* Immò etsi unus tantùm ignorat, *c. Ex tenore, eod. tit.* & est Gloss. *in c. Cum in captivitate, 33. q. 1.* Et contrahentes tale Matrimonium, peccant, *d. cap. Aliter*; & puniuntur, *d. c. fin. in fine.* Et Sacerdotes, qui hujusmodi conjunctiones prohibere contempserint, ab officio suspenduntur, & gravius etiam sunt puniendi, si hoc culpæ qualitas postulaverit, *cap. fin. hoc tit. cum concord. d. cap. 1. sess. 24.* Concil. Trident.

Quò ad Ultimum. Hæc sunt ad contrahenda Matrimonia necessaria. Primò, ut fiant tres denunciationes in celebratione Missarum tribus diebus festivis; licèt interdum etiam hæ denunciationes remittantur ex causa. Secundò, ut his factis coram duobus, vel tribus testibus Sacerdos consensum eliciat, conjugesque conjungat, dicens: *Ego conjungo vos in Matrimonium in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; & nomen ipsorum in libro ponat. Id etiam observatur, ut non habitent simul conjuges ante benedictionem Sacerdotis; itaut proprius Parochus benedicat, non alius, nisi fortè obtenta licentia ab Ordinario; & si fortè obveniat, ut aliquod impedimentum adducatur, suspenditur Matrimonii contractus. §. *Cujus, hic*, usquequo de impedimento judicetur, *c. Præterea, de Sponsa. c. Cum in tua, & c. Super eo, de consanguin. & affinit.* per *d. c. 1. sess. 24. de Ref. Matrim.*

TIT. XV.

Qui Matrimonium accusare possint, vel contra illud testificari.

CUm Matrimonium, ut supra dictum est *in §. 1. tituli proximi*, debeat fieri præmissis denunciationibus, & post eas possint comparere, qui illud accusent, ob id de his in hoc titulo tractatur, & de his etiam, qui impedimentis propositis super ea possint testificari, Et ad Tituli declarationem examinabimus:

1. *Quid sit Matrimonium accusare?*
2. *Qui possint Matrimonium accusare?*
3. *Quando accusatio sit facienda?*
4. *Qui possint esse testes?*
5. *Quæ in testibus requirantur?*

Quò ad Primum. Matrimonium accusare nihil aliud est, quàm delatio causæ, propter quam Matrimonium debet dissolvi, vel contrahendum non fieri. Et habet accusatio ista naturam quandam mixtam inter Civilem, & Criminalem causam, *cap. Tuæ, de Procur. c. Consanguineos. 35. q. 6.*

Quò ad Secundum. In hoc capite talis est adhibenda distinctio; Seu duo sunt casus constituendi. Primus est, quando tractatur de deferendo impedimento ejus naturæ, quo probetur Matrimonium esse non posse sine peccato; & in hoc casu unusquisque admittitur ad accusandum. §. *Quod si delictum, hoc tit. c. Tua, de Cogn. Spir. c. Cum in tua, de Sponsa. cap. Videtur, extr. eod.* Et in hoc præferuntur consanguinei, & parentes volentes accusare, quia præsumuntur meliùs scire suam genealogiam, quàm extranei, *d. c. Videtur*, & Goffr. *in Rubric. hoc tit. c. Videtur. 35. q. 6. §. Adeò, hic, d. §. Quod si delictum.* Quòd si consanguinei non extent, tunc antiquiores, & honestiores admittuntur. §. *Quod si progenies, hoc tit. d. c. Consanguineos.* Secundus casus est, quando agitur de aliquo perpetuo impedimento, quod peccato subjectum non est, & tunc admittuntur ii soli, quorum interest. §. *Sed nec, hic, cùm concord.* Veluti si agatur de errore conditionis, de impotentia ad coeundum, aut de simili impedimento. Goffr. *in Summa hujus tit. num. 2.* Hanc eandem distinctionem post Innoc. notat Abbas *in Rubr. eod.* Et Hostiens. *in Summ. Quis adm. ad accus. Matrim.* Ubi videndum, & advertendum est, quod ab accusatione repelluntur ii, qui præsumuntur calumniosè accusare; ut *hic in princ. cap. fin. extr. eod. cap. Pastoralis, de Except.* Unde si quis tempore denunciationis fuisset in Diœcesi, & silverit, postea non admittitur, nisi juret de calumnia, *ut hic in princ.* Et insuper quis propter turpitudinem quæstus repellitur, *cap. Significante, ext. eod.*

Quò ad Tertium. Si tractatur de Matrimonio contrahendo debent impedimenta proponi tempore denunciationum, quæ publicè fiunt. Si Matrimonium jam est sequutum, tunc impedimenta pro Matrimonio dissolvendo jam contracto, est necessarium, ut ille, qui vult accusare, juret se ignoravisse tempore denunciationum illa impedimenta, sed ea postea didicisse, *hic in princ. & d. c. Cum in tua.* Verùm si justa causa intercesserit, ut verisimiliter potuerit ignorare impedimenta, vel propter infirmitatem, vel propter ætatem teneram, vel etiam si erat extra diœcesim tunc temporis, itaut ad ejus notitiam non potuerint pervenire denunciationes; tali casu etiam sine Juramento admittitur. §. *Idem; hoc tit. d. c. Cum in tua.*

Quò ad Quartum. Regula est generalis: omnes posse esse testes, etiamsi sint consanguinei, vel affines, quinimmò & proprii Parentes. §. *Quod autem, hoc tit. cap. Super eo, extr. de Testib.* Id tamen verum est, quod si Matrimonium contrahatur inter dispares, tunc non de facili creditur illi consanguineo, cujus videtur interesse Matrimonium illud contrahi, vel non, *d. c. Super eo, in princ. & in §. Ubi, infr. hoc tit.* Illud etiam prætereundum non est, quod si tractatur de consanguinitate probanda ad Matrimonium dissolvendum, duo, vel tres saltem debent testes recipi, *c. 1. cap. 2. q. 3.*

Quò ad Postremum. In testibus hæc omnia exiguntur. Primò ut bona fides adsit, *ut sup.* Ut sint honestis moribus præditi. Ut quando opus est, Juramentum præstetur de calumnia, & de veritate dicenda. Item in depositione testium hæc debent contineri, Ut jurent se non privato odio, nec amicitia, nec alicujus proprii commodi intuitu ad hoc jurandum inductos esse; sicut

sicut etiam deponere debent, se illud, quod dicunt à majoribus accepisse, & se credere ita esse. §. *Testium, hoc. tit. cap. Licet, de Test. & cap. Litteris. de Præsumpt. & cap. Quoties, extr. de Test.* His autem concurrentibus, & impedimento probato, standum est hujusmodi probationi. §. *fin. hoc. tit. c. Juravit. de Probat.*

TIT. XVI.

De Divortiis.

QUoniam ob causas, de quibus suprà est actum, evenit sæpè, ut sequatur divortium, ob id de divortio nunc tractatur. Circa quod videbimus:

1. *Quid sit Divortium?*
2. *Ex quibus causis fiat?*
3. *Quando?*
4. *Quot modis Uxor repetatur?*
5. *Qui sint effectus?*

Quò ad Primum, Divortium est dissolutio Matrimonii, quæ utroque vivente conjuge contingit. *c. Divortium. de Pœnit. d.* 1. Vel est simplex separatio thori. *c. Interveniente.* 32. *quæst.* 7. & per Abb. *in Rubr. eod.* Et dicitur divortium vel à *divertendo*, quoniam qui separantur in diversas partes vadunt, vel *à diversitate mentium. l.* 1. *ff. de Divortiis. l. Inter divortium. ff. de Verb. signific.*

Quò ad Secundum. Illud sciendum est, quòd regulariter legitimum Matrimonium contractum dissolvi non potest. §. 2. *hoc tit. c. Quos Deus,* 33. *q.* 2. & *l. Ejus.* & *l. Nihil. ff. de Reg. Jur.* Tamen interdum ex causa fit Divortium.

Primò: Ingrediendo Religionem non sequuta copula, itaut liceat ei, qui in sæculo remansit, alii se conjungere. §. *Si tamen. hoc. tit, c. Ex parte* 1. *de Convers. conjug. cum simill.* Et postquàm alter conjugum Religionem est ingressus, si postea alleget se falsa causa deductum, religiosum habitum sumpsisse, non per hoc vitiatur ipsa ingressio, §. *Nec causari. h. t. d. c. Ex parte.* Et dicenti se velle ingredi Monasterium, terminus præfigitur intra quem debet deliberare, vel ad conjugem redire, vel ad Monasterium se transferre. §. *Ei autem, hoc tit. cap. Ex publico. de Convers. conjug.* Nota nihilominùs, quòd etiam isto termino transacto, si copula non fuerit sequuta, licebit ei Religionem ingredi, ita not. *in d. c. Ex publico.* Et iste terminus non solùm datur ad ingrediendum, sed etiam ad profitendum; ut per Abb. *in d. c. Ex publico.* Aliàs enim non esset sufficienter provisum alteri Sponso, cùm non posset ad secundas nuptias transire, nisi altero profitente. Ratio autem, quare non sequuta copula per ingressum Religionis Matrimonium dissolvitur, ea est, quia cùm nondum una caro effecti sint, satis probabiliter uno ad Deum transeunte, alter in sæculo remanere poterit. §. *Neque minùs. hoc tit. c. Ex publico. de Convers. conjug.* Diversum tamen statuitur in eo, qui post contractum Matrimonium Ordines suscepit, quia etiam Matrimonio non consummato non permittitur Divortium; sed iste sic ordinatus per censuram Ecclesiasticam cogendus est, ut Matrimonium consummat. §. *Diversum. hoc tit.* Et est casus *in Extravag. Joann.* 22. *antiquæ.* Ubi etiam de hoc sunt Glossæ pulcherrimæ. Verùm etiam in hoc casu character imprimitur, quamvis impediatur Ordinis executio, ut *in d. Extravag.* Qui casus videtur mirabilis, nam Sacerdos etiam apud Latinos potest habere uxorem, quod etiam procederet in eo casu, quando Matrimonium est consummatum, quia etiam eo casu imprimeretur character; ut not. Innoc. & Abb. *in cap. placet, de Convers. conjug. & in c.* 2. *eod.* Verùm circa infideles diversum statuitur: etenim si alter, qui in infidelitate permansit, velit à fideli disjungi, vel cum eo commorari cum contumelia Creatoris, tunc licebit Christiano cum alio se conjungere. §. *Sed etsi inter. hoc tit. cap. Quanto. & c. Gaudemus. de Divort.*

Alia causa est impotentia coeundi. §. *Item si quis ignarus. hoc. tit.* Ubi si quis ignoranter cum impotente contraxerit, Matrimonium separatur, & qui est potens poterit cum alio contrahere. Impotentia tamen debet esse talis, quæ ope medicorum tolli non possit, nisi cum mortis periculo. *c. Fraternitatis. de Frigid. & malefic.* & not. *in cap. Ex litteris. eod.* Modicam autem vexationem, & molestiam debent conjuges substinere, ut Matrimonium sortiatur effectum, ut habetur *in dictis locis.* Quòd si quis putatus fuerit impotens, & post separationem aliam cognoverit; Aut ea, quæ arcta putabatur, aliquem invenerit, qui sibi seras resesaret, utroque casu post peractam pœnitentiam, ad prima conjugia reddere compellendi sunt. §. *Si quis. hoc tit. d. cap. Fraternitatis. de Frigid. & malef.* Quod intellige quando esset primò cognoscibilis, nam si primus esset adeò mentulosus, & instrumentum genitale haberet ita crassum, quod nunquàm posset deflorare mulierem sine periculo mortis, secundus ob suam gracilitatem posset eam cognoscere, tunc non esset restituenda primo, licet per frequentem usum cum secundo habitum, sit apta reddita. Abbas *in d. c. Fraternit.* ubi de hac materia, & *in c. Quod sedem. & in d. cap. Ex litteris. eod.* Ratio autem, quare compellendi sunt ad Matrimonium, ea redditur, quia cognita ab uno censetur cognoscibilis ab altero. DD. *in d. c. Fraternitatis.* Quòd si quis scientes impotentem duxit, vel retinuit, eam habebit nisi ut uxorem, saltem & sororem. §. *Planè hoc. tit. cap. Omninò.* 31. *d.* Porrò de hac conjugum impotentia omninò videas meas Decisiones *de Matrimon. Decis.* 32. in qua plenè de ea disseritur; & Juribus ac exemplis declaratur: & ostenditur, decem esse personas, quæ possunt hoc affici impedimento.

Item per carnalem, vel spiritualem fornicationem fit separatio thori tantùm, §. *Sæpius hoc tit.* Ratio est, quia vinculum conjugii semel contractum, & habitum, nunquam amittitur viventibus conjugibus. *cap.* 2. & 3. 32. *quæst.* 2. Verùm hæc est differentia inter fornicationem carnalem, & spiritualem; namque per fornicationem carnalem, distracto Matrimonio, si sequatur emendatio, non coguntur conjuges se reassumere. Secùs per Spiritualem. Namque si infidelis resipiscat, alter tenetur eum recipere, nisi velit Monasterium ingredi. §. *Multùm. hoc. tit. d. cap. Quanto. & cap. Gaudemus. de Divortiis.* De aliis differentiis inter carnalem, & spiritualem fornicationem, vide Anton. de Rub. *in cap. Fin. de Conjug. convers.* facit *cap. Proposito; & quod ibi not.* 27. *quæst.* 1. Præter istos casus alter conjugum, altero in sæculo permanente, nec ad Sacros Ordines, nec ad Regularem suscipiendus est observantiam, nisi remanens ejus sit ætatis, ut sine suspicione incontinentiæ possit in sæculo permanere, aut verè continenter ipsam vovere voluerit;

rit; alioquin etiamsi de Uxoris licentia quis Religionem sit ingressus, & professionem fecerit, uxor non poterit ad continentiam cogi; sed vir ad uxoris thorum evocari poterit, nisi uxor postea fornicata fuerit, vel se invicem continentiam promittendo absolverint. §. *His exceptis, cum concord.* Verùm quia hæc materia est admodùm intricata, nolui ejus tractationem hùc inserere: sed de ea latè videas per Abb. *in cap. 1. de Convers. Conjug. & in cap. Tua nos. 2. de Jurejur.* Et in meis Decisionib. de Matrim. *Decis. 39.* in qua copiosè disputatur de omnibus causis separationis conjugum.

Quid verò dicendum est de eo, qui invita uxore ingressus est Monasterium, qui postea ad eam redire est coactus, an ea mortua cogendus sit ad Monasterium reverti, an verò possit aliam Uxorem ducere? Et respondetur nec cogendum esse ad Monasterium reverti, nec posse aliam habere Uxorem. §. *Quæsitum, hoc tit.* cum *simili.* Quòd si Uxore non contradicente quis ingreditur Monasterium, ea mortua non potest exire. §. *Quod si quis, hoc tit.* Et si Matrimonium de facto contraxerit, illud dirimitur. *ut ibi. c. Consuluit. de Convers. Conjug. c. Ex parte. 1. de Convers. Conjug.* Quod multò magis debet habere locum in eo, qui consentiente Uxore professus fuerit. §. *Quod in eo. hoc tit.* Item & in ea, quæ continentiam vovit, si tamen fuerit certiorata de Juris communis dispositione, secundùm Abb. *in d. cap. 1. de Convers. Conjug.* & notatur *in d. cap. Ex parte. 1.* ubi etiam Abb. Quòd si Mulier credens Maritum esse mortuum, Religionem professa sit, si eo reverso de Monasterio educta sit, eo postea verè mortuo, non potest cogi de novo in Monasterium ingredi. §. *Quid statuemus, hoc tit.* facit *cap. Placet. de Convers. Conjug.* unde ex jam dictis colligitur, quòd conjugibus non permittitur Religionis votum assumere altero invito, quod secùs est in voto peregrinationis. §. *Licet autem. hoc tit c. Ex multa. §. In tanta. extr. de Vot. & Vot. redempt.* Quod etiam hodie procedit, & si in hoc casu mulier dubitet de morte viri, tamen non potest contrahere, nisi sit de hoc certiorata, vel saltem credat eum verè apud se mortuum esse. §. *Et quamvis. hoc tit.* concord. *cap. In præsentia. de Sponsalibus. & cap. Dominus. de secundis nuptiis.* Secùs tamen est in Sponsalibus. *cap. De illis. de Sponsal.*

Quò ad Tertium. Divortium fit tunc demùm, si causa fuerit probata, non ante, etsi fuerit sententia sequuta. §. *Sed & separatio. hoc tit.* & Modestin. *in l. Transacta. ff. de Verb. signif.* Semper enim in dubio pro Matrimonio respondendum est; nec debet de facili conjugibus credi. *c. Consanguinei. extr. de Sent. & re judic.*

Quò ad Quartum. Duobus modis agitur, vel Petitorio. vel Possessorio. §. 1. *hoc tit.* Sed si petitorio agatur, & aliqua exceptio legitima, ut puta consanguinitatis, proposita fuerit, prius cognoscendum est de exceptione tanquam peremptoria. *c. 1.* & ibi dicitur *de Ordin. Cogn.* Sin autem possessorio Judicio agatur, antequam discutiatur de consanguinitate, plenaria erit facienda restitutio, *cap. Ex consang. de Restitut. spoliat.* Nisi is, qui convenitur, & de calumnia juret, & super exceptiones habeat promptas probationes; nam hoc casu excepta carnali copula, ad cætera fit restitutio, *d. §. Ergò. cap. Litteras, de Restit. Spoliat.* Verum tamen est, quòd hoc casu si mulier restituenda timeat sævitiam Viri, debet ab eò cautio præstari, quam si ipse non præstet, dum causa plenè cognoscitur, uxor deponitur in loco honesto, & tuto, §. *Præstanda, hoc. tit.* facit, *d. c. Litteras, & c. Ex transmissa, eod. de Restit. Spoliat.* Quod habet locum etiamsi Uxor culpa sua recesserit à Marito, ut quia publicè sit adulterata, ut per Abb. *in d. c. Litteras, c. Significasti, de Divortiis.* Et hæc omnia procedunt, tunc demùm si Matrimonium sit sequutum, & per copulam consummatum, ut notat. *in d. c. Ex transmissa.* Cæterùm si nullis præcedentibus Sponsalibus, vel nullo præcedente legitimo consensu mulier fuerit ad Viri domum transducta, si postea abscesserit, nulla facienda erit restitutio, sed poterit alii nubere. §. *Et hæc, hoc tit.* Et ratio est, quia petens restitutionem debet probare possessionem, *cap. Consultationibus, de Jur. Patron. c. Olim. de Restit. spoliat.* Sed ista traductio non operatur aliquam possessionem, *c. Ex parte,* ubi latè, *de Restit. spoliat.* Et colligitur, quòd si is, qui vult repetere suam Uxorem, fornicationem commiserit, non potest hoc facere. §. *Fornicationis, hoc tit.* Quinimmò ob eam causam sequuta separatione, si vivente adhuc separata Vir aliam hujus rei consciam duxerit, etiamsi ex ea filios habuerit, non valet hujusmodi Matrimonium, sed etiamsi mortua sit adultera, sunt nihilominùs separandi, *c. 1. cap. Veniens, & cap. Ex litterarum, ext. de eo, qui duxit in Matrim. quam per adult. poll.* Quod ampliatur etiamsi prima carnaliter non fuisset cognita, *cap. 2. extr. de eo, qui duxit in Matrim. quam, &c.* Undè si ista Mulier ignoret istum virum conjugatum, secùs est, quia si velit, potest eum retinere post mortem primæ. §. *hoc tamen, h. t. d. c. 1. c. 2. de Adult.*

Ex quibus Juribus collige hoc notabile. Quòd est in arbitrio mulieris hoc casu petere divortium; ad petitionem tamen viri non sunt separandi, *d. §. Hoc tamen. d. c. Veniens.* Et hoc adeò verum est, ut etiam filii de tali Matrimonio nati legitimi dicantur, *cap. Ex tenore, & c. Cum inter. Qui filii sint legit.* Et hoc propter bonam mulieris fidem. Undè illud etiam percipitur, quòd si quis aliquam cognoverit non sub specie Matrimonii, defuncta Uxore, potest cum ea Matrimonium contrahere, dummodò neuter ipsorum machinatus sit mortem Uxoris prædefunctæ, nec fidem de contrahendo sibi invicem dederint, §. *Cum ea, hoc tit.* concord. *c. Significasti, & cap. Super eo, de eo, qui dixit, &c.* Et quod hic dicitur de machinatione intelligatur cum effectu, scilicet sequuta morte; & de hoc vide Gloss. *in §. Prædefuncta, in verb. Machinari.* Quòd si fidem sibi invicem dederint, non tamen sequuta fuerit copula nec antè, nec post, legitima conjuge superstite, tunc si Matrimonium postea contrahatur, valet, nec dissolvitur per aliam præcedentem copulam. §. *Sed etsi, h. t. 1. c. fin. de Sponsal.* Et quod ii, qui machinati sunt mortem contra uxorem defunctam, vel contra maritum defunctum, non possint inter se contrahere, hoc adeò verum est, ut etiamsi indè aliquod sequatur bonum, tamen impeditur Matrimonium; undè si infidelis cum Christiana communicato consilio, ejusdem Christianæ maritum de medio sustulerit, non tamen cum ea justas nuptias potest contrahere. §. *Usque, h. t.* facit *c. Quod ait,* & quod ibi notatur *dist. 14.* cum *simili.* Ratio ea est, quia non committitur delictum propter bonum spirituale, quod indè sequitur,

quitur, *cap. Cum magno. Ne Cler. vel Mon. cap. Si dicat. 33. q. 5.* Quare colligas, quòd si desit animus, & propositum secùs est. *§. Diversa, h. t. cum simill.* Et e contra si adsit animus, licet non sequatur effectus, iste animus punitur: & per hoc si insidiatur alteri conjugi, & supervixerit is, ad secundas nuptias nunquàm poterit convolare, quod procedit etiam in incestuosis, *cap. 1. & per tot. de Eo, qui cogn. consang.* Verumtamen si isti contrahant, valet Matrimonium, *cap. Transmissa, d. 1.* Hoc idem in Interfectoribus Sacerdotum, qui nunquam possunt contrahere Matrimonium, *cap. 2. de Pœnit.* Et hæc est decisio. *§. Sedenti machinationem, hoc tit.* Sunt & alii casus similes, qui not: *in d. c. 2. de Pœnit.* & explicantur in dictis meis Decisionibus *de Matrim. Decis. 25.* in qua de criminibus dirimentibus Matrimonium exactè tractatur.

Pro corollario nota: Quòd de Jure Canonico absque timore infamiæ, si nulla alia causa impediat, licitum est transire ad secundas nuptias intra annum luctus, contra Leges Civiles *in l. Consensu, §. Si verò, C. de Repud. l. Liberorum. §. 1. ff. De his, qui not. infam.* Et hoc deciditur *in §. Illud, hoc tit. cap. penult. & fin. de Secund. Nupt.* Qui *tex.* secundùm Joannem Andream, & Abbatem *in d. cap. fin.* corrigunt omnes Leges Civiles, quæ ex aliqua causa impediunt Matrimonium, ut est titulus *Cod. de Prohibit. Matrim. in pupill. &c. & C. Si Rector Provinciæ:* & de hoc vide Gloss. *hic in Verb. abolita.*

In fine nota, quòd his, qui transit ad Bigamiam, non debet à Presbytero benedici, quod procedit etiam si consuetudo loci sit in contrarium; ut per Gloss. *in Verbo iterari.*

Quò ad Ultimum. Divortii effectus potest esse simplex separatio thori, ut scilicet ambo conjuges possint vivere sine peccato. Alter est effectus, quòd illud Matrimonium, quod de facto processit, cùm constitere de Jure non possit, nullum reddatur, & conjuges solutos pronunciet. Ita not. *in Rubr. extr. eod.* Alius effectus est, quòd si Matrimonium separetur propter unam ex illis causis, quæ perpetuò impediunt, conjuges possunt ad nova conjugia transire; ut in supradictis colligitur.

TIT. XVII.

De Rebus Sanctis, Sacris, & Religiosis.

IN principio hujus secundi Libri in Titulo *de Rerum divisione* diximus inter res spirituales, quæ corporales existunt, connumerati Sacramenta, Res Sacras, Sanctas, & Religiosas. Hucusque egimus de Sacramentis, nunc differendum est *de Rebus Sanctis, Sacris, & Religiosis.* Et pro hujus tituli expeditione videbimus:

1. *Quæ dicantur Res Sanctæ?*
2. *Quæ Sacræ?*
3. *Quæ Religiosæ?*
4. *Quibus subjiciantur hæ omnes Res?*

Quò ad Primum. Res Sanctæ secundùm proprietatem verborum à Juris Civilis dispositione dicuntur illæ, quæ immunes esse debent à quacunque hominum facultate, & quocunque commercio, ob pœnam Sanctionis contra violantes. *§. Sanctæ. Instit. de Rerum divis.*

Quò ad Secundum: Res illæ Sacræ appellantur, quæ sunt ad divinum cultum ritè consecratæ, & Altissimo per habentem auctoritatem dicatæ: *§. Sacræ. Instit. de rer. divis.* Cujusmodi sunt Ecclesiæ, Altaria, Calices, & hujusmodi alia. Verùm quamvis ista verba inspecta origine inter se valdè diversa sint, nihilominùs sæpissimè aliud pro alio sumitur, ut in locis allegatis, & allegandis.

Quò ad Tertium. Per idem Jus antiquum Res Religiosæ illæ dicebantur, quæ humana corpora continebant, dictæ Religiosæ à relegando, vel relinquendo. *§. Religiosum, Instit. de Rer. divis.* Hodie verò res Religiosæ possunt dici illæ, quæ ad pios cultus, ad pias causas destinatæ videntur, & personis religiosis inserviunt, ut sunt Domus religiosæ, Xenodochia, Cœmeteria, & Sepulturæ, Orphanotophia, & alia hujusmodi, *c. 1. cap. 2. extr. de Relig. Domib.*

Quò ad Postremum. Omnia bona ista sunt ejus naturæ, ut in nullius bonis existant. *§. Nullius. Instit. de Rerum divis.* Et hinc est, quòd alienari non possunt, nisi quibusdam adhibitis solemnitatibus, cum causæ cognitione; scilicèt ut Prælatus Superior expendat, num alienatio expediat Ecclesiæ, nec ne? Deindè Decretum Prælati; tertiò consensum totius Cleri, seu Capituli, *c. Tuum. 12. qu. 2.* Abb. *in cap. Statuimus, de Transact.* & quando Sacræ esse desierint. Attamen quò ad administrationem subjiciuntur potestati, & regimini Ecclesiasticarum personarum, & præcipuè subjiciuntur Summi Pontificis administrationi, in regione cujusque loci. *cap. 1. 2. & 3. ext. de Relig. Domib.*

TIT. XVIII.

De Construendis, Consecrandis, & Reparandis Ecclesiis, vel Altaribus.

CUm inter ea, quæ Sacra existunt, Ecclesiæ, vel Altaria primum sibi vindicent locum, idcircò de his nunc disseritur; & pro tituli enucleatione videbimus:

1. *Quid Ecclesiæ nomen hìc significet?*
2. *Quid nomine Altaris contineatur?*
3. *Quid sit Ecclesiam construere?*
4. *Quid reficere?*
5. *Qui possint Ecclesias construere, reficere, vel consecrare?*
6. *Ex quibus causis Ecclesiæ construi possint?*
7. *Quæ sint servanda in Ecclesiis construendis?*
8. *Quo tempore Ecclesiæ sint consecrandæ, & quo Altaria?*
9. *Quibus ex causis non sit consecranda Ecclesia?*

Quò ad Primum: Ecclesiæ nomen Æquivocum est, ut *hic in princ.* & per Gloss. *hic in Verb. Templum Dei.* Accipitur enim pro Christianorum multitudine, fideliumque congregatione: sed in nostro Titulo Ecclesiæ nomen præsefert locum, in quo Sacrificia celebrantur, & sacra Deo peraguntur. *tex. est hic in princ.* & in *c. Ecclesia, de Consecr. d. 1.*

Quò ad Secundum. Altaris nomine significatur locus ille in Ecclesia eminentior, in quo Altissimo Sacrificia offeruntur, & sacra peraguntur. Ita notatur *in Rubr. extr. eod. de Consecr. Ecclesiæ, vel Altaris.*

Quò ad Tertium. Ecclesiam construere nihil aliud est, quàm Templum à fundamentis erigere, quod ante non fuit, *c. 2. ext. de Eccl. ædific.*

Quò ad Quartum. Reficere Ecclesiam nihil est aliud, nisi Ecclesiam collapsam ad pristinum statum restituere, vel collabentem emendare, *c. 1. de Eccles. ædifican.* & notatur *in Rubr. ejusd. Tit.*

Quò ad Quintum. Illud indubitabile est, Episcopum posse Ecclesiam consecrare, *c. 1. de Consecrat. d. 1. §. Etsi dubitetur, hoc tit.* Sacerdotes autem non possunt nec Consecrationes, nec Ecclesiarum reconciliationes facere, *cap. Aqua, de Consecr. Eccles. §. Consici, hoc tit.* Construere autem Ecclesiam quilibet etiam privatus, etiam fœmina potest, dummodò concurrat Ordinarii assensus, *cap. Unicuique, c. Clericos, c. Si quis, de Consecr. d. 1. c. 18. q. 2. c. Religiosam. 12. q. 2. §. Quamcunque hoc tit.*

Quò ad Sextum. Non debent Ecclesiæ in præjudicium antiquæ de novo construi, nisi ex quatuor causis. Ob incrementum populi. Commoditatem plebium. Vel certæ Universitatis intuitu. Aut ob Pastoralis dignitatis obsequium.

Ob incrementum populi tunc nova construenda est Ecclesia, cùm certis in Regionibus adeò multitudo fidelium excrevit; ut illorum curæ una sit impar Ecclesia. *§. Ob incrementum, h. tit. cap. Præcipimus, & cap. Multis. 16. q. 2.* Qua de causa etiam Ecclesiæ possunt dividi. *§. Sicut, hoc t. d. c. Præcipimus.* Et hìc nota, quod plures Baptismales Ecclesiæ sub eadem terminatione non possunt construi, idest quod intra eosdem terminos sint duæ Ecclesiæ Baptismales, in quibus promiscuè populus baptizari possit. *§. Plures, h. t.* facit, *cap. In apibus. 7. q. 1. & c. Quoniam, de Offic. Ordin.* Et si de terminatione duarum Matricium Ecclesiarum contentio fuerit, plebes utrarumque discernent, *d. §. Plures.* In hoc tamen est necessaria Superioris auctoritas, *c. de Cætero, & c. Statuimus, de Transactione, c. Per tuas, de Arbitr.* Laicus enim non posset esse Judex in hoc casu, cùm agatur de Re Spirituali, *c. Decernimus, cum seqq. de Judic.* Quod si non convenerint, sorte dividatur, *d. §. Plures, in fin.* Sortibus enim Dei voluntas ostenditur, *cap. Sors. 26. q. 2.*

Ob plebis commoditatem tunc dicitur construi nova Ecclesia, cum Parochianorum pars adeò distat à veteri, ut certis temporibus, non sine magna difficultate, & periculo illam adire, & ibi congruis temporibus divinis interesse, & Sacramenta percipere possint, *c. Ad audientiam, §. Plebium, h. t.* Et hoc quidem casu nova Ecclesia subjicitur Matrici Ecclesiæ, idest, Ecclesiæ baptismali, per *c. Ex transmissa, de Renunciat.* vel Cathedrali, ut per Abb. *in c. Fin. de Offic. Archipresbyt.* vel illi Ecclesiæ, à qua novæ subministrantur necessaria, cùm verba sint intelligenda secundùm subjectam materiam. Abb. *in c. Venerabili, de Verb. signif.* & debet honorem competentem exhibere, *d. §. Plebium, in fin.* vide Concil. Trid. *sess. 21. c 4. de Reform.* & meas Discordias *de Benefic. Disc. 89.* ubi de requisitis necessariis pro nova Parochiali erigenda.

Universitatis intuitu construitur Ecclesia, veluti cùm plures simul leprosi sub communi vita congregati fuerint, nam his potest nova Ecclesia ædificari. *§. Universitatis, h. t. c. Unico, 10. q. 2.* Dummodò velint eam dotare, arg. *c. Nemo, de Consecr. d. 1.* Qui tamen non debent esse injuriosi veteribus Ecclesiis. *§. Cavebunt, hoc tit.*

Ob Pastoralis dignitatis obsequium, & privilegium dicitur construi Ecclesia, quando Episcopus pro sepultura propria Ecclesiam ædificat in sua Parochia. *§. Episcopo, h. t.* Et de hoc plenè habetur *in c. pen. de Donat. & c. Bona. 12. q. 2.*

Quò ad Septimum. Hæc requiruntur in Ecclesia ædificanda. Primò, ut Episcopus consentiat. Secundò, ut ipse locum videat. Tertiò, ut Crucem figat. Quartò, ut publicè atrium designet. *§. Quacunque, c. Nemo, de Consecr. d. 1.* Et tanta debet esse Dos, quæ sufficiat ad luminaria, & ad vitam Ministrorum, *cap. Piæ mentis. 16. q. 7.* & in *præd. c. Nemo.* Et Ministri debent esse duo, vel tres, *c. Proposuit. ext. de Fil. Presbyter. c. Hoc quoque, de Consecr. d. 1.* Sed hoc quod dictum est de Dote, non habet locum in eo casu, quando ex necessitate construeretur. Gloss. *in d. §. Quacunque, in verb. Valeat.* Et circa auctoritatem Superioris, nota, quod id adeò verum est, ut si quis præter Episcopi consensum Ecclesiam construxerit, privatur Jure Patronatus. *§. Diversum, hoc t. c. Cum olim:* ubi Abbas *de Privileg.* Item & ultimo requiritur, quod construens Ecclesiam non inferat damnum Tertio; namque hoc casu poterit ei nunciare novum opus; & si post nunciationem ædificaverit, tunc quod ædificatum erit, suis expensis erit destruendum. *§. Sed si quis, h. t. cap. 1. & 2. de Novi oper. Nunciat.*

Quò ad Octavum. Quolibet die potest fieri consecratio, & ædificatio, *cap. Tua, de Consecr. Eccles. vel Altar. d. §. Consici.* Et dies Consecrationis, & dedicationis singulis annis est celebrandus. *§. Solemnitates, h. t. c. Solemnitates, de Consecr. d. 1.* Altaria autem quæ consecranda sunt, debent esse lapidea, *c. Altaria, de Consecr. d. 1.* Nec obstat locus Exodi, ubi Dominus præcepit fieri Altaria in lignis Setim *c. 38.* quæ incorruptibilia sunt. Et Salomon fecit Altare aureum, nam illa facta sunt in figura. Item Altaria dedicanda, seu consecranda non sunt sine reliquiis, *c. Placuit, de Consecr. d. 1.* Et hìc nota, quod diruto Altare, vel aliquo modo confracto, seu diminuto, Ecclesia non est iterùm consecranda, sed Altare tantùm. *§. De eo, h. t. c. 1. Quod in dubiis, c. Ligneis, eodem.*

Quò ad Ultimum. Ecclesia consecrari non debet, ubi Paganus sepultus est, antè extractionem ipsius, *c. Ecclesia, de Consecr. d. 1.* Item statuitur in Hæretico, & Judæo. *ead. d. c. In aliis. c. Ecclesiam.* Idem intellige de Excommunicato. *§. Sed si Ecclesiam, h. t. c. Consuluisti. De Consecrat. Eccl. vel Altar.* Verùm si ossa infidelium non possunt discerni ab ossibus fidelium, neutra sunt ejicienda, *cap. Sacris, sup. de Sepult.* Et quando infideles ejiciuntur, tunc in consecratione Parietes, & Signa debent radi: Et ejectio corporum fit auctoritate Episcopi, vel Principis, *l. Ossa, ff. de Relig. c. Corpora, de Consecr. d. 1. §. Illud, hoc tit.*

Sed quid dicendum de muliere prægnante? Circa quam dicas, quod secundùm quosdam potest sepeliri, quia fœtus est pars viscerum, *l. 1. §. 1. ff. de Ventr. Inspic.* Attamen consuevit sepeliri, & fœtus extrahi, & seorsum sepeliri, *d. cap. Sacris,* & notatur *in d. c. Ecclesia, de Consecr. d. 1.* Item quando Ecclesia est semel consecrata, non debet ampliùs consecrari. *§. Ecclesiæ, hoc tit.* Sicut infans ritè baptizatus, non debet iterùm baptizari, *c. Sicut. d. 68. c. Quemadmodum. 32. q. 8. c. Ecclesiis, de Consecr. d. 1.*

Verùm quia Ecclesiæ quandoque reconciliantur. *§. Sed si, inf. h. t.* videamus in quibus casibus fiat reconciliatio? Et sex siquidem assignantur. Primus, cùm dubitatur an Ecclesia sit consecrata; nam tunc potest consecrari, & hæc dicitur reconciliatio. *§. Planè, h. t. d. c. Solemnitates, de Consecr. d. 1.* Secundus casus est, cùm movetur

Altare

Altare Majus. Tertium cùm Ecclesia est exusta. Quartus cùm parietes sunt de novo fundatus reparati. Quintus propter adulterium. Sextus propter homicidium, *c. Si motum, de Consecr. d. 1. & c. de Fabric. ead. d.*

Adde alium casum, quando est humatum corpus excommunicati. §. *Sed si Ecclesia:* ubi etiam alii casus enumerantur, *hoc t. d. cap. Consuluisti, de Consecr. Eccl. vel. Alt.* Undè ex jam dictis colligas, quòd non est licitum celebrare, nisi in Templis sic consecratis, *cap. Tabernaculum, & c. Missarum, de Consecr. d. 1.*

Quod limita in eo loco, qui est de proximò Consecrandus. *c. Ecclesiæ, de Immunitate Ecclesiar.* Item hoc non procedit, quando ex privilegio aliud est concessum, & etiam in Casu necessitatis; nam tunc in capellis cum sacra tabula celebrari poterit. Ut est in Oratoriis non consecratis; ut notatur *in cap. Concedimus, de Consecr. d. 1.* in quibus sine permissione Episcopi non potest celebrari, *c. Unicuique & c. Missar. d. ead. 1.* Item in itinere constitutus poterit celebrare olim subdiu, sivè in Tentoriis; si tamen tabula Altaris, cæteraque sacra ministeria adfuerint. §. *In itinere, hoc tit.* Et notatur *in d. c. Concedimus, de Consecrat. d. 1.* Hodiè autem per Concilium Tridentinum *sess. 22. in Decreto de Celebrat. Missar.* prohibitum est omnibus tam sæcularibus, quàm Regularibus celebrare extra Ecclesiam: ut egò probavi in meis Decisionibus *De Sacrificio Missæ. Decis. 12. à num.* 53. *& seqq.* usque ad *num. 66.* ubi disputatur, an dentur Casus, in quibus Episcopus possit concedere licentiam, ut Missa extra Ecclesiam celebretur? Et referuntur septem curiosi casus ibi à studioso videndi.

In fine nota, quòd quando agitur de reparanda Ecclesia, id oneris procul dubio ad eum spectat, qui possidet Beneficium, *c. 1.* ubi Abb. *eod. cap. fin. De his, quæ fiunt à major. part. Capit.* Et Episcopus pro tertia parte concurrere debet, *cap. Priscis. 10. quæst. 3. cum seqq.* Sed de Consuetudine aliud attenditur secundùm Innoc. *in d. c. fin.* & Abb. *in d. cap. 1.* Et sic absolutus sit iste titulus. Porrò, ut bene scias, qui sint obligati ad dictam reparationem? Vide meas Discordias Forenses *De Beneficiis. Discord. 44. n. 2. & seqq. & Discord. 99. per totam.*

TIT. XIX.

De Unionibus Ecclesiarum.

Quoniam sæpè evenit, ut Ecclesiæ, quæ sunt constructæ, & consecratæ infimul conjungantur; ob id nunc de ipsarum Unione disseritur: Et pro tituli expeditione videbimus:

1. *Quid sit Unio?*
2. *Quot Unionum species?*
3. *Ex quibus causis fiat?*
4. *Qui possint unire?*
5. *Quæ requirantur?*
6. *Qui sint effectus?*
7. *Quando unio solvatur?*

Quòad Primum. Unio, secundùm materiam tituli nostri, *est duarum, vel plurium Ecclesiarum facta connexio.* Et dicitur *Unio* ab uniendo; ex eo, quia plures Ecclesiæ in unum conjunguntur, ut *hic in princ.*

Quò ad Secundum. Duæ sunt Unionum species. Alia Temporalis, alia Perpetua. *Perpetua* est illa, quæ fit, ut sine præfinitione temporis perduret. *Temporalis*, quæ ad certum tempus; ut si ad alicujus vitam instituatur. §. *Unionum, hoc tit.* facit *cap. 1. Ne Sede Vacan. & c. Quoniam*, ubi Abb. *de Off. deleg.*

Quò ad Tertium. Duæ sunt causæ unionis; ut *in* §. *Velut. hoc. tit.* scilicet: Urgens Necessitas, & Evidens Utilitas, *c. Exposuisti; de Præben. c. 2. de Relig Domib. cap. Et temporis. 16. q. 1. cap. Fin. 2. q. ult.*

Necessitas; ut si duæ Ecclesiæ sint adeò pauperes, ut impossibile sit, earum proventus ad victum duorum Sacerdotum sufficere: Aut etiam si alia Ecclesia sit ab hostibus dissoluta, *d. c. Exposuisti, & c. 1. Ne Sed. Vac.*

Utilitas, ut cùm locorum opportunitas id exposcit; vel temporis qualitas; puta quia in illo loco nunc dicatur imminutus Christianorum numerus. Vel ob fructuum tenuitatem non perindè idonei Sacerdotes ad procurandum Beneficium inveniantur, *cap. Et qualitas, & c. Postquam. 16. q. 1. c. Unio. 10. q. 3. Clem. 1. §. Adhæc, de Stat. Monach.* Et notatur *in Auth. præterea, C. Undè Vir, & Uxor.* Et de hoc novissimè vide quæ statuit Concil. Trident. *sess. 24. cap. 13. de Reformat.*

Quò ad Quartum. Unire Episcopatus ad Pontificem spectat. §. *Non tamen, hoc tit. cap. Præcipimus. 16. q. 1. & c. Temporis.* Minores verò Ecclesiæ possunt uniri ab Episcopis in suis Diœcesibus. *d. §. Non tamen.* Et Concil. Trid *sess. 21. cap. 5. de Reform.* Undè inferiores ab Episcopis non possunt facere hujusmodi unionem, *c. Sicut unire, De excessib. Prælator.*

Quò ad Quintum. Si Episcopus velit unire duas Ecclesias, debet habere consensum Capituli. §. *Usque adeò, hoc tit. cap. Pastoralis, de Donat. & Clem. fin. De Rebus Eccles. non alien.* Quod secus est in unione facienda à Papa; ut habetur in *c. Sicut unire, de Excessibus Prælator. d. c. Præcipimus, & cap. Temporis.* Quòd si Episcopus velit unire propriæ mensæ Ecclesiam, hoc ei non permittitur, etiamsi Capitulum consentiat: Unientium enim utilitas probabilem non rectæ factæ unionis suspicionem ingerit; ita loquitur *text. in §. Aliud, h. t.* facit, *cap. Hic usus. 10. quæst. 2. c. Fin. de Instit.* Insuper requiritur consensus eorum, qui lædi possent. §. *Nec solùm, hoc tit.* Undè si aut Collegiata, aut Patronata collegiata, aut alicujus suffraganei Ecclesia sit unienda; Collegii Patroni, aut ipsius suffraganei consensum intervenire oportebit: facit *c. Rationis, & c. Monasterium. 16. q. 1.* Et hìc nota, quòd si Ecclesiæ unitæ sint diversarum Diœcesum, tunc Jus alterutrius Episcopi inviolatum remanet. §. *Sed quæri poterit, hoc tit. c. Cum olim. de Consuetud. c. Ex tuor. de Auctor. & usu pal. c. Licet, de Off. Ord. l. 2. §. Si quis à Principe, ff. Ne quid in loco publ.*

Quò ad Sextum. Effectus Præcipuus est, ut, sequuta unione legitimè facta, ille, cujus Ecclesiæ sit unio, eandem habeat potestatem, & æquale Jus in unita Ecclesia; ac habeat in prima: & eadem privilegia competunt unitæ, quæ priori competebant Ecclesiæ. §. *Sequuta, hoc tit.* & Abb. *in c. 2. de Relig. Domib.* apud quem de hoc videndum est. Et per Caccialup. *in suo tractatu de Unionib. octavo Artic.* Id tamen est verum, quòd in quantum dictum est, unionem fieri de Ecclesiis diversarum Diœcesum, hoc hodiè non habet locum per Concil. Trid, *sess. 14. c. 9. In Decret. Reformation.*

Quò

Quò ad Postremum. Solvitur Unio temporis lapsu, si ad tempus est facta; vel cessantibus causis, ob quas facta fuit. Item etiam poterit dissolvi ab iis, quorum auctoritate fuerit instituta. §. *Dissolvetur, hoc tit.* facit *Clement. Ne in agro.* §. *Adhæc, de Stat. Monachorum.* Ita quoque dissolvetur, si cedat in grave præjudicium Ecclesiæ. *c. 1. Ne Sede Vacan.* Cæterùm per Concil. Trid. *sess. 7. cap. 6. de Reformat.* constituitur; quòd uniones perpetuò factæ à quadraginta annis ante ipsum Concilium examinentur; & si inveniantur per subreptionem obtentæ, irritæ sint. Aliæ verò quæ faciendæ sunt ex legitimis causis coram loci Ordinario vocatis, quorum interest, fiant; aliàs per subreptionem obtentæ præsumantur: ita deciditur *in d. cap. 6.* Plura de Unionibus beneficiorum scitu reperies in meis Discordiis Forensibus *De Beneficiis*, ut in Indice *Verb. Unio.*

TIT. XX.

De Immunitate Ecclesiarum, & Subjectione.

QUoniam Ecclesiis constitutis multa competunt Privilegia, & Immunitates; ob id de hac materia tractatur, & videbimus:

1. *Quid sit Immunitas Ecclesiarum?*
2. *Quot Immunitatum species?*
3. *Quid Subjectionis nomen præseferat?*
4. *In quibus Subjectio consistat?*
5. *Quæ Ecclesiis competant Privilegia?*
6. *Quibus eadem Privilegia competant?*

Quò ad Primum. Immunitas præsefert exemptionem indultam à muneribus. Dicitur *Immunitas* quasi extra munia, vel munera. Hinc Civitates immunes dicuntur, quæ nullum vectigal impendere tenentur. *l. fin. ff. de Censib.* Cæterùm hìc Immunitatis nomen præsefert Privilegium, favorem, seu indulgentiam Ecclesiis factam; qua remissione, seu Indulgentia efficitur, ut liberatio contingat à publicis functionibus.

Quò ad Secundum, Triplex est Immunitas Ecclesiæ; *Localis*, *Personalis*, & *Realis.* Prima est concessio facta ipsis Ecclesiis: quemadmodùm est, ut in iis profana non exerceantur; cùm Ecclesia sit domus Orationis. §. *Est autem. hoc tit. cap. Cum Ecclesia, eod. c. Per Simoniam. d. 41. & c. Decet.* §. *Nullus, eod in 6.* Unde sæculares Judices non possunt ferre sententias in Ecclesiis. §. *Sæculares hoc tit.* Quòd secus est in Judice Ecclesiastico; ipse enim licitè Judicium exercet in Ecclesia. *c. Præceptum. 2. q. 2. & c. Quafronte*, ubi traditur, *de Appellat.* Item nec processus possunt in Ecclesiis formari. §. *Processus, hoc tit.* Sed quærit Glossa, Quid Juris in contractibus initis, & celebratis in Ecclesia? Et dic, quòd licèt fieri non debeant, tamen facti tenent; nam cùm hìc simus in pœnalibus, non debet fieri extensio; ut notatur *in cap. 2. eod. in 6.* Item Concilia publica, Nundinæ, & negotia sæcularia non debent tractari in Ecclesiis; nec profana sunt facienda negotia, sive colloquia. §. *Publicè. hoc tit.* facit *cap. Ext. multis. 1. q. 1. & c. Ejiciens. d. 88.* Dominus enim negotiatores ejecit è templo; & mensas nummulariorum evertit. Et quod dictum est de colloquiis, facit contra Circulantes, qui publicè conclusiones de Rebus profanis, easque in propriis Ecclesiis disputant. De quo extat Decretum Concil. Trident. *De observ. & evit. in celebr. Missar.* Item convivia non debent fieri in Ecclesiis, nisi ex necessitate; ut si transeuntes ob Hospitiorum necessitatem illìc reficiantur. *cap. 1. eod. cap. Nulli, cum seq. d. 42.* Quod habet locum etiam in Oratoriis. *cap. Pen. cap. Fin. d. 42.* Item ne quis ab Ecclesiis possit invitus abstrahi. §. *Sacrorum, hoc t. cap. Eos. d. 87. c. Reum. 17. q. 4.* Sæculares enim Leges ab omni violentia vindicant eos, qui ad Statuam Principis se proripiunt; ut *C. de his, qui ad stat. conf. per totum. &* §. *fin. per totum. Instit. de his, qui sunt sui, vel alien. Juris.* Quærit Gloss. An hoc habeat locum in Judæo? & solve ut in ea. Et circa hanc Quæstionem vide quæ notat Abb. *in c. Fin. de Jurejur. & in c. Inter alia, eod.* & Felin. hanc quæstionem tractat *in c. Judæi, il primo, de Judæis;* ubi tenet, quod sic: Et ultrà illa, quæ dicit ipse, soleo dicere ego; quòd quamvis non sint oves Christi, tamen sunt de ovibus Christi; licèt sint oves errantes; unde quia potest esse; ut ad Ecclesiam veniant, dicendum est, quòd sint tuti in eadem. Et si quis per vim aliquem ab Ecclesia abstraxerit, excommunicatur; & quasi sacrilegus punitur. *d. §. Sacrorum. cap. Definivit. 18. q. 4. c. Frater, c. Sicut, c. Constituimus. & cap. Si quis contumax. & per tot. 17. q. 4.* Et de hac materia videnda sunt tradita per Abb. *in c. Inter alia eod.* Quod ampliatur; ut quis non possit extrahi ab Ecclesiæ circuitu intra triginta passus ab ostio. §. *Nec. h. t. c. Quisquis inventus. 17. q. 7.* Item nec à domo Episcopi possunt extrahi, *d. §. Nec.* Sed non omnibus hoc concessum est: namque latronibus, vel nocturnis agrorum populatoribus, viarumque obsessoribus hoc non conceditur. §. *Hoc autem, h. t.* Ita quoque Raptores Virginum, Adulteri, & Homicidæ possunt extrahi. §. *Quod si delinquentes. Auth. de Mand. Princip.* quæ *Auth.* procedit etiam de Jure Canonico per Abb. *in d. c. Inter alia.* Item & is, qui homicidium, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis commisit; vel in ipsarum cœmeteriis. Frustrà enim invocat Legis auxilium, qui in ipsam Legem deliquit. *c. Quia frustrà. de Usur.* & *de Sent. Excommun. c. In audientia. l. Auxilium. ff. de Minor.* Item in hoc distinguendum est inter liberum hominem, & servum: Nam liber homo non debet, nec potest ab Ecclesia violenter extrahi, nisi impetrata vita, & membrorum incolumitate. §. *Hæc tamen, hoc tit. cum simili.* Quòd si servus fuerit, Dominus præstito Juramento Clericis de Impunitate, potest servum etiam invitum secum ab Ecclesia abducere. §. *Quod si servus. hoc tit. c. Fin. eod. c. Metuentes. c. Id constituimus. 17. q. 4.* Cæterùm quæ hucusque dicta sunt de Immunitate Ecclesiarum, procedunt de Jure veteri, & deserviunt quoad Theoriam. Sed quò ad Praxim attendendum est Jus novum, nempè Bulla Gregorii XIV. incipien. *Cum alias nonnulli. de Anno 1591.* de qua plurima scitu digna habentur in meis *Decisionibus Miscellaneis. Decis. 13.* & ejus plenam explicationem faciunt mea *Erotemata, cap. 32. ubi DD.* qui advertunt, attendendam esse Regnorum consuetudinem ob varias concessiones, & declarationes à Sede Apostolica factas circa qualitates delinquentium, & delictorum. Secunda species Immunitatis est illa, quam Personalem dicimus; & dicitur Personalis, quia personis Ecclesiasticis indulgetur: cùm enim in Clericorum ministerio constituti, non nisi Altari, & Sacrificiis deservire debeant;

debeant; rectissimè constitutum est, ut Deo dicati ab omnibus personalibus muneribus reddantur immunes. Unde generaliter Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, Monachique Immunitate omnis tutelæ, & curæ ipso Jure gaudent. §. *Personalis, hoc tit.* & est *tit. extr. Ne Cleric. vel Monach.* Verùm hoc limita; quando Clerici suscipiunt curam Viduarum, vel Orfanorum; à qua non solùm non prohibentur, sed immò jubentur. §. *Viduarum, hoc tit.* Ita quoque possunt tractare Ecclesiæ suæ causam. *cap. 1. extr. de Postulando.* Verùm in tempore necessitatis etiam Clerici tenentur ad custodiam murorum, & ad refectionem pontium. §. *Excipitur. c. Non minùs. De Immunit. Eccl.* Et de hoc satis diffusè tractatum est suprà *in tit. de Constitutionibus.* Tertia species Immunitatis est Realis; quæ scilicet bonis, & Rebus Ecclesiarum concessa est. Res etenim illæ, vel bona à censu, vel collectis Potestatum sæcularium libera redduntur: & si quis habens sæcularem potestatem Tributa, Collectas, seu quascunque exactiones sub quovis titulo, aut colore voluerit imponere: si est particularis Persona excommunicatur; si est Universitas interdicitur. §. *Realis, hoc tit.* concordat. *cap. In qualibet. & cap. Secundum. 22. q. 1. cap. Non minùs. cap. Adversùs. eod. & c. Clericis. c. Quamquàm. eod. in 6.* Et novissimè per Concil. Trident. *sess. 25. cap. 20.* Et sunt etiam, qui teneant, hanc immunitatem extendi ad bona Patrimonialia Clericorum, ut *in c. Si diligenti. De Præscript. & in c. Ecclesia S. Mariæ de Constit.* Verùm etiam de hoc dixi suprà *in tit. de Constit.* In casu tamen Necessitatis, & Utilitatis; ut quando agitur de Utilitate communi tàm Clericorum, quàm Laicorum, Clerici consulto Pontifice, omni penitùs cessante coactione, poterunt aliquid in commune conferre. §. *Si tanta, hoc tit.* facit *d. c. Non minùs. & d. cap. Adversùs;* juxtà Regionis inveteratum usum.

Quò ad Tertium. Subjectionis nomen præsefert Jus quoddam, quod habet Episcopus, vel Rector in Ecclesia, quinimmò Jurisdictionem in ipsa Ecclesia; ut *toto tit. de Off. Ordin.*

Quò ad Quartum. Consistit in hoc subjectio; ut ab Ecclesiis, vel earum Rectoribus ipsi Episcopo, vel Prælato debeatur; & quò ad Personas Ecclesiasticas ipsi debetur canonica obedientia, subjectio, reverentia. Ad Ipsum spectat Institutio, Destitutio, Correctio, Reformatio; & causarum omnium ad Forum Ecclesiasticum de Jure spectantium Jurisdictio; sicuti etiam Ecclesiasticarum censurarum promulgatio, de quibus est titulus infrà *de Ecclesiasticis Censur.* Et Sacramentorum exhibitio. Si res Ecclesiasticas spectamus, ipsi Cathedraticum, sive Synodaticum debetur; de qua re Abb. tractat *in c. Conquerente. de Off. Ordin.* & est *tex. in c. 1. 10. q. 4.* & infrà videbimus. Ipsi Procuratio annua, de qua dicemus infrà titulo proximo. Ipsi mortuariorum, & decimarum quarta. Mortuaria autem sunt ea, quæ Ecclesiis relinquuntur occasione funerum. Abb. *in d. c. Conquerente.* & *ibi* Glossa. Et de hac, & de quarta decimarum est titulus *de Canon. Port.* Quæ omnia habentur *in §. Quemadmodum, hoc tit.* Et tandem in tribus capitibus consideratur hæc Pastoralis Potestas: Etenim quædam ad Episcopum spectant Jure ordinis: ut ordinatio Clericorum, Virginum Benedictio, Altarium, & Ecclesiarum Consecratio. Quædam Lege Jurisdictionis, ut Corrigendi, Conferendi, Excommunicandi, & Instituendi potestas: Quædam Lege Diœcesana, ut Jus census, & Cathedraticum exigendi, Jus hospitii inducendi; & his similia: & de hoc est tex. *in c. fin. hoc nostro tit.* Et quia hæc distinctio, nullibi habetur in aliquo textu; ideò vide latè de ea per Abbatem *in c. Dilectus. de Off. Ordinar.*

Quò ad Quintum. Multa sunt concessa Privilegia Ecclesiis, sed hoc præcipuè, ut non possit sæcularis Judex in ipsis, vel ipsarum Cœmeteriis processus formare. Item ut nulla fiant in eis negotia sæcularia, & alia, de quibus suprà vidimus.

Quò ad Ultimum. Privilegia concessa Ecclesiis competunt etiam Episcopis, Domui, Cœmeteriis, & reliquis locis consecratis. Quinimmò Privilegia concessa Ecclesiis extenduntur ad Personas Ecclesiasticas; & de hoc etiam dictum est satis abundè.

TIT. XXI.

De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.

QUoniam inter cætera, subjectionis nomine competunt Census, & Exactiones; ob id de his hic differitur, & videbimus:

1. *Quid sit Census?*
2. *Quid Exactio?*
3. *Quid Procuratio?*
4. *Qui possint Censum imponere?*
5. *Quibus ex causis?*
6. *Quibus Temporibus?*

Quò ad Primum. Census Appellatio est generalis, ut *hìc in princ.* Et sumitur pro omni Pensione, quæ Prælatis de Ecclesiasticis proventibus singulis annis in signum subjectionis, vel alterius Juris præstatur: & hinc dicunt Doctores, quod Census præstatio non probat evidenter subjectionem; ut *hìc in Verb. alter. Jur. cap. Quanto,* & ibi Abb. *eod.* & per Felin. *in c. Ad audientiam, de Rescript.* post Abb. *in c. In causa, de causa possess. & propriet.* Verùm si strictè sumatur, est id, quod Episcopo ab Ecclesiis in argumentum subjectionis tribuitur; & *Cathedraticum* appellatur, eò quòd ad honorem Cathedræ persolvatur, ut *hìc in princ.* Et pro intellectu scias, Cathedraticum, sive Synodaticum esse pensionem duorum solidorum aureorum, sive argenteorum, secundùm loci consuetudinem, quæ datur Episcopo à qualibet Ecclesia, ut Abb. declarat *in c. Conquerente, de Off. Ordin. & d. c. 1. 10. q. 4.*

Quò ad Secundum. Exactionis nomen id præsefert, quod Petitio, & dicitur respectu eorum, qui ab eo, cui debetur census, ad ipsum Censum recolligendum, præponuntur. *Arg. l. 1. C. de Exact. Tribut. lib. 10.*

Quò ad Tertium. Procuratio est sumptuum necessariorum exhibitio, quæ Episcopi fit, quotiescunque ipsi visitant Ecclesias; nam tunc Episcopus debet sumptus necessarios recipere. §. *Ulterius. h. t.* facit *c. Cum secundum, de Præbend. cap. Inter cætera. De Off. Ordin. cap. Si Episcopus. De Offic. Ordin. in 6. cap. Cum voluntate, de Sent. excommunic.* Et hinc est, quod Episcopus, qui remittit servitia alicujus Ecclesiæ, non tamen intelligitur remittere Procurationem. §. *Et adeò, h. t.* & not. *in cap. Eleuterius. 18. q. 2. & in c. Servitium, & in c. Venerabile, eod.* Item nec contra eum currit Præscriptio. *d. §. Et adeò, c. Venerabili, & c. Cum Instantia, eod. & c. Cum ex Officiis. De Præscript.* Quod si

cupis scire, qui possint visitare, hoc colligas *ex* §. *Visitandi. h. t.* ubi dicitur, quòd Episcopus, Archiepiscopus, Patriarcha, Sedis Apostolicæ Legatus, Nuncius; Archidiaconus, & Decanus potest visitare: facit *c. Cum Apostolus, & c. Procurationes, de Censib. cap.* 1. *eodem tit. in* 6. Et quod dicitur de Archiepiscopo, habet etiam locum in eum casum, quando Suffraganei non possunt argui de negligentia. §. *Quod autem, h. t. c. Fin. eod. in* 6. Hoc tamen scias, Procurationem non exigi ab Oratoriis privatis: & si fortè aliqua subest necessitas; tunc potest Episcopus charitativum subsidium exigere. §. *fin. h. t.* Pro primo facit *c. Fin. eod.* Pro secundo facit *d. c. Cum Apostolus.* §. 1. *c.* De hoc subsidio Charitativo habes amplum tractatum per Ranth. Bellentinum, ad quem recurras. Et quoniam ille Autor est satis antiquus, vide inter modernos Jo: Carol. Antonellum *De Juribus Clericor. lib.* 2. *part.* 6. *cap.* 17. in quo plenè, ac doctè tractat de Canonica portione, de Cathedratico, de Subsidio charitativo, de Procuratione, & aliis juribus Episcopalibus, & allegat plurimos Canonistas recentiores.

Quò ad Quartum. Jus Census imponendi pertinet sine difficultate ad Sedem Apostolicam. §. *Sedes quoque, hoc tit.* quoties aliquam Ecclesiam sub sua Protectione recipit, ut *ibi.* Deindè hoc idem conceditur Episcopis, & Ordinariis locorum, si Ecclesias piis locis ritè concesserint, vel exemptas fecerint, nam sibi nomine Pensionis aliquid reservant. §. *Sed nec, h. t. c. Constitutus, de Relig. domib.* Simplices autem Sacerdotes non possunt Ecclesias censuales facere §. *Simplices, h. t.* Et nota, quòd nec Episcopus potest præter Cathedraticum novum censum imponere, vel veterem augere. §. *Sed nec Episcopus, hoc tit. cap. Scienter, c. Prohibemus, c. Significavit, & c. Gravis, eodem tit.*

Quò ad Quintum. Census imponi potest ex causa legitima; ut est causa Fundationis, & Donationis, vel Immunitatis indultæ. §. *Constituitur, h. t.* & Hostiens. *in Suum eod.* §. *Si quis census.* Undè Patrono fundanti Ecclesiam potest constitui Census, ut est text. *in* §. *Sed, & h. t. c. Præterea, ext. de Jure Patr.* Et iste Census constituitur de consensu Episcopi, *d.* §. *Sed & Et cap. cum dilectus, de Consuetud.* & per Innocent. *in cap. Quoniam. Ne Prælat. Vires suas.*

Quò ad Postremum. Census potest constitui; aut Tempore Fundationis, aut Consecrationis, aut Donationis, aut Tempore Immunitatis indultæ. §. *Constituitur, h. t. d. cap. Eleuterius.* 18. *quæst.* 2. & per Hostiens. *in sua Summa* §. *Si quis Census, eodem tit.* Præter hæc tempora Census non constituitur, nec vetus augetur, nisi magna ex causa; ut *in cap. Præterea, de Transact.*

TIT. XXII.

De Capellis Monachorum.

Quoniam ad Titulum de subjectione Ecclesiarum iste quoque pertinere videtur; & quia Monachorum Capellæ subjectæ sunt Ordinariis; ob id nunc de hac materia tractatur? & videbimus:

1. *Quid contineatur sub nomine Capellæ?*
2. *Cui subsint Capellæ Monachorum?*

Quò ad Primum. Ut omittamus varias hujus nominis significationes, dicendum est breviter, quòd tametsi propriè Capella parvum locum præseferre videatur, in quo sacra peraguntur. *c. Conceditur, de Consecr. d.* 1. seu locum, aut Oratorium non consecratum, ut monet Gloss. *in d. c. Concedimus*; nihilominùs nomen Capellæ in hoc titulo id significat, quod nomen Basilicæ, seu Ecclesiæ: vel designat Ecclesiam illam, cujus habitatio ad Monachos pertinet, *cap.* 1. *ext. eod. tit.*

Quò ad Secundum. Licet Monachi habeant Jus præsentandi in his Ecclesiis, quibus animarum cura est connexa, *cap. Sicut, De suppl. negl. Prælat.* Attamen ipsamet Ecclesia Episcopo subesse intelligitur, nec debet à Monasterio regi; ut *hic in princ. & in d. c.* 1. In tantùm ut possit Episcopus, si fortè Monachus aliquis prætextu regendi Ecclesiam solus degat, eum ad Monasterium repetendum compellere, vel alios associare, *cap. Fin. extr. eod.* Et debet Ecclesiæ ipsi eligendo Capellanum providere, qui curam gerat, & regat Ecclesiam: & hic à Jurisdictione Episcopi dependeat, ut *hic, & d. cap.* 1. Quinimmò & Monasteria ipsa; si exempta non sunt, ipsimet Ordinariis locorum subesse intelliguntur. §. *Fin. h. t.* Et notatur *in cap. Quod nuper. De major. & obed.* Ubi Gloss. dicit, per hoc Abbates cogi venire ad Synodum. Id tamen est verum, quòd si sint Capellæ à Monachis fundatæ, quemadmodum habet Episcopus in ipsis spiritualia; ita Abbas Monasterii temporalia; eo excepto casu, si fortè Episcopus suum Jus cessisset, quia tunc Monachi Spiritualia, & Temporalia habent. *c. Visis.* 16. *quæst.* 2. & ita Goffr. *in sua Summ. eod.* Nota tamen, quod de Consuetudine, quæ secundùm Abbatem valet, Monachus potest habere curam illius Monasterii, in quo habitat; annuente Gloss. *hic.* Hodie verò Monachus potest exercere Curam animarum in Ecclesia, quæ sit de Mensa Monasterii, dummodò sit approbatus ab Episcopo, cui in omnibus, & per omnia remanet subjectus in concernentibus ipsam Curam animarum; ut scripsi in meis Discordiis Forensibus *De Regularib. Discord.* 20. *num.* 3. ubi DD. & ulteriùs Monachus Curatus non potest pro famula habere secum mulierem; sed est obligandus tenere secum socium alium Monachum ex Decretis Sacræ Congregat. quæ retuli in *Discord.* 46. *de Regularib.*

TIT. XXIII.

De Religiosis Domibus.

Post Titulum præcedentem, in quo actum est de Capellis Monachorum, quæ sunt loca Religiosa particulariter; nunc subnectit Autor hunc titulum, in quo in genere tractat de Religiosis Domibus. Et videbimus:

1. *Quid nomine Domus religiosæ significetur?*
2. *Cui Domus Religiosæ subsint?*
3. *Cujus Auctoritate sint construendæ?*
4. *Ad quæ locorum Rectores teneantur?*

Quò ad Primum. Appellatione Domus Religiosæ continentur omnia loca destinata ad pios usus, quocunque nomine censeantur. *c. Xeno-*

Xenodochüs, ext. eod. & C. de Episc. & Cler. l. Orphanotrophos, & l. Omnia. Cujusmodi sunt *Xenodochia,* in quibus pauperes Peregrini recipiuntur. *Orphanotrophia,* ubi parentibus orbati nutriuntur. *Bethotrophia,* ubi aluntur infantes pauperum. *Nosocomia,* ubi ægroti curantur. *Gerontocomia,* ubi senes aluntur, & similia, ut habetur *hic in Princip.* Et de significatione harum vocum vide Hostiens. *in Summa, eod.* & notatur *in c. In qualibet.* 24. *q.* 8. *& in d. l. Omnia,* generaliterque omnia ista Hospitalia vocantur. Item Oratoria, quæ aliqui ex devotione in propriis domibus auctoritate Episcopi constituerint, loca religiosa sunt, *c. Oratorium.* 42. *d. cap. Quidam.* 19. *q.* 2.

Quò ad Secundum. Domus Religiosæ construendæ sunt Auctoritate Episcopali, *cap. Quicunque.* 16. *q.* 1. Et cum solemnitate, de qua *in c. Nemo Ecclesiam. De Consecr. d.* 1. & in *Auth. de Eccles. Tit. §. Si quis autem voluerit, collat.* 9. De qua dictum est supra *in tit. de Constr. & repar. Eccl.*

Quò ad Tertium. Loca ista, & ædificia pia subsunt Episcopis, & debent regi, ac dirigi ad illos usus, ad quos fidelium suadente pietate, gratia, & eorum causa sunt ordinata. Nec postquàm hujusmodi loca ad hospitalitatis usum, & pauperum provisionem sunt deputata, ad profanos usus converti poterunt; ut *hic in princ. cap. Nulli liceat.* 12. *q.* 2. *cap. Nulli, eod. caus. qu.* 1. *cap. Municipia. De rer. permut.* cum similibus. Quòd si ad alium usum convertantur, debet intervenire auctoritas Summi Pontificis, cùm hic sit unus casus reservatus Papæ, *c. Quod Translationem. De Off. leg.* Vel Ordinariorum, ut *sess. 22. de Reformat. c.* 6. *in Conc. Trid.* Cùm in hoc habeantur pro ipsius Sedis Apostolicæ Legatis. Sed tamen verum est, quòd si sunt ordinata, & constructa à Laicis sine Episcopi auctoritate, à Laicis etiam reguntur, *cap.* 18. *sess. 22. De Reform.* Verùm si Laici in administrando forte sunt negligentes, hoc casu Episcopus tanquàm executor à Lege ordinatus, providere debet, ut talia loca rectè gubernentur. *d. cap.* 8. *& cap. Irrefragabile, de Offic. Ordin.* Advertendum tamen est, quòd ea, quæ hucusque dicta sunt, non habent locum in Hospitalibus Religiosorum, aut militarium Ordinum, quia in his certæ Regulæ, & Constitutiones sunt traditæ, quæ ad unguem ab illis sunt servandæ. *§. Prædicta, h. t. Clem. in §. Præmissa, eod.* Cæterùm si aliquod Hospitale sit, vel Altare habens cœmeterium, & Presbyterum celebrantem, & Sacramenta ministrantem, tunc antiqua consuetudo est observanda. *§. fin. h. t.* concordat. 24. *qu.* 1. *cap. Pudenda, & Clem.* 1. *de Privil. in fin.*

Quò ad Postremum. Loca illa, quæ fortè sunt constructa sine Episcopi auctoritate, sunt viris providis, & ejus ordinis, quos bona prædicta in alios usus convertere præsumptio non existat, committenda. *§. ult. h. tit. Clem.* 2. §. 1. *eod.* Qui postquàm sunt electi ad hujusmodi regimen, debent ad similitudinem Tutorum, & Curatorum juramentum subire de utilibus faciendis, & inutilibus omittendis. Ac insuper debent inventarium conficere de bonis ipsorum locorum; ac demum singulis annis debent rationem reddere de administratione. *§. Ut autem. h. t. §. Oeconomos. in Auth. de Sanct. Episc.* & in *d. Clem.* 2. §. 1. *eod.*

TIT. XXIV.

De Sepulturis.

SUperiori titulo dictum est de Religiosis Domibus, verùm quia etiam Sepultura dicitur locus Religiosus, ob id post titulum præcedentem sequitur iste, in quo videbimus:

1. *Quid significet Sepultura?*
2. *Quibus in locis constitui debeat?*
3. *A quibus possit constitui, & eligi?*
4. *Qui possint Sepulturæ tradi?*

Quò ad Primum. Sepulturæ verbum dupliciter capitur: in primis significat locum, in quo corpora mortuorum collocantur; secundo modo officium sepeliendi præfefert. Sed in hoc titulo accipitur pro loco illo, in quo Cadavera sunt deposita, vel deponenda; ut per Gloss. *hic in princ. & in c. pen. eod.* Et nota, quòd quatenùs dicitur officium, quod impenditur sepeliendis, non potest vendi. *c. Non satis, de Simon. c. Præcipiendum.* 13. *q.* 2. Idem est si accipiamus Sepulturam pro terra, in qua corpora sepeliuntur, namque si sit de cœmeterio, non potest vendi. *l. Quæ religiosis, ff. de Rei vendit.* Quando verò accipitur pro tumba marmorea, vel lapidea, tunc si pura sit, potest vendi, secùs verò si sit aliquis in ea sepultus, quia per hoc facta est locus religiosus, *l.* 2. *ff. de Relig. & sumpt. funer. c. Postquam.* 13. *q.* 2.

Quò ad Secundum. Antiquitus quocunque in loco Sepulturæ erigebantur. *§. Religiosum. Inst. de Rerum divis.* Sed postquam floruit Christiana Religio, Sepulturæ eriguntur in locis religiosis, *ut hic in princip.* Hujus autem Rei tres redduntur rationes. Prima est, quia Defunctorum corpora minùs vexantur à spiritibus immundis; in Sepulturis etenim dicitur esse requies mortuorum. *c. Avum.* 12. *q.* 2. Secunda ratio est, quia mortui dicuntur muniti patrocinio illius Sancti, cujus nomini dicata, & consecrata est illa Ecclesia, in qua corpora conquiescunt. *c. Non æstimemus, in fin.* 13. *q.* 2. Tertia est, ut fideles viventes faciliùs mortuorum recordentur, & sic pro eis pias fundant preces. *§. Accedit. h. t. c. Cum gravi.* 23. *qu.* 2. Et hinc est, quod Sepulturæ antiquitùs collocabantur, ubi frequentes erant conventus; ut est textus apertus *in c. Fraterni, ext. eod.*

Quò ad Tertium. Regula est generalis, posse quemlibet sibi Sepulturam eligere, dummodo absit contemptus. *§. Regulariter. hoc t. c. Contemptus.* 13. *q.* 2. Ab hac regula excipiuntur nonnulli.

Primò excipitur Religiosus, quia in hoc voluntatem non habet, sed debet humari apud proprium Monasterium. *§. Impuberi. h. t. c. fin. eodem. lib.* 6. nisi Religiosus moriatur in aliquo loco remoto, itaut non possit commodè ad proprium Monasterium deferri. *d. §. Impuberi.* Hoc enim casu poterit, secundùm magis communem, Sepulturam sibi eligere, & ita substinetur opinio Hostiensis *in c. Nimis, il primo, de Excessibus Prælat.* & Abb. *ibid. & in cap. Ut Privilegia, de Privileg.*

Secundò excipitur Impubes cum Furioso, qui consensu carent. *cap. Licet, eod. in* 6. Impuberi enim si consuetudo id patiatur, Pater eligit sepulturam, alias in Parochiali Ecclesia cum suis majoribus sepeliendus est. *§. De filiofam. hoc tit. d. c. Licet.* & de hoc vide pulchram decisionem in meis Discordiis *de Jurisdictione, Discord.* 28. Cæterùm si quis non electa Sepultura decesserit, sepelitur in Ecclesia Parochiali, vel ubi sunt ejus majores. *d. §. Regulariter. c. Placuit.* 13. *q.* 2. *& c.* 1. *c. tit. cap. Licet.* Quod observatur etiam si quis extra Urbem decesserit. *§. Illud, hoc t.* concord. *cap. fin. in* 6.

Quò ad Ultimum. Regula itidem est generalis, omnes posse Sepulturæ tradi, nisi speciali ratione quis prohibeatur: Prohibentur verò, primò Excommunicati, Hæretici, Pagani, Judæi, Usurarius, & qui sibi ipsi mortem conscivere. *c. Is cui, de Sent. excommun. in 6. d. c. Eos. eod. c. Ecclesia, cum seq. de Consecrat. d. 4. c. Quia in omnibus, de Usur. cap. Placuit, 23. quæst. 8. & c. Ex parte, eod.* Nota nihilominus, quòd si per Excommunicatum non steterit, quo minùs ad Ecclesiam reversus sit, Sepulturæ traditur; ipseque post mortem absolvitur. *c. Qui recedunt. 26. quæst. 6.* Prohibentur præterea, qui violentas manus Ecclesiasticis personis injecerunt, Homicidæ, Incendiarii, aut Ecclesiarum Violatores, Incæstuosi. *c. fin. eod.* Item Blasphemi *c. Statuimus, de Maled.* Et denique prohibentur hi omnes, qui pro manifestis criminibus sunt condemnati. *d. c. fin.* nisi resipuerint, fuerintque reconciliati. Abb. *in d. c. fin. &c. Ex tenore, de Sent. excommunic. §. Sed hæc, hoc tit.* Quòd adeò verum est, ut hujusmodi personæ non debeant sepeliri in loco religioso, & si qui fuerint sepulti, si dignoscantur eorum ossa ab aliorum corporibus, debeant exhumari, proculque jactari à Sepultura. *§. Et si contigerit, h. t.* & Abb. *in cap. Sacris, in fine, ext. eod.* Et qui in contemptum Ecclesiæ hujusmodi personas in cœmeterio Ecclesiastico sepelierit, excommunicatur §. *Si quis autem hoc tit. Clem. 1. eod.* Ex jam dictis colligas, corpora punitorum, pœnitentium tamen, posse Sepulturæ tradi. §. *Ex his. hoc tit.* Deus enim non judicat bis idipsum; facit *Clem. 1. de Pœnit. & Remiss.* Quinimmò & si quis deprehensus sit in crimine, & fuerit vulneratus, dummodò confiteatur, si iisdem vulneribus mortuus fuerit, non privatur Sepultura. §. *Quin etiam hoc nostro tit. cap. Fures, cum seq. 13. quæst. 2.* Quamvis statuatur aliud in eo, qui se defendit, & interfectus est in crimine. *c. Ex parte. il 2. eod. c. de Occidendis 23. quæst. 9. cap. 2. de Furt.* Et in fine notandum est, quòd pro Sepultura Clerici nihil excipere possunt. *§. fin. h. t. c. Abolendæ. ext. eod. & c. Quando. & cap. Dilectus. & c. Apostolicam. & c. Non satis, de Simon.* Porrò Intorticia, & alia emolumenta Funeralia dantur Parochis in sepeliendis Defunctis, circa quæ servatur loci consuetudo, ut dixi in iisdem Discordiis Forensibus *de Jurisdictione, Discord. 18. in fin.* Et cum his finis sit huic Titul.

TIT. XXV.

De Canonica Portione.

QUoniam sæpissimè evenit, ut quis aliam eligat Ecclesiam, quàm Parochialem, quo casu Parochialis Ecclesia quartam detrahit de relictis illi Ecclesiæ, in qua quis Sepulturam elegit, ob id de hac Quarta in hoc titulo tractatur, quæ Canonica dicitur Portio: circa quam vidébimus:

1. *Quid sit Canonica Portio?*
2. *Quotuplex?*
3. *Ex quibus rebus debeatur?*
4. *Cui debeatur?*
5. *A quibus?*

Quò ad Primum. Sic describitur Canonica Portio *hic in princ.* ut sit illa pars, quæ de relictis, & proventibus Ecclesiæ obvenientibus detrahitur, & Prælatis debetur. Et in definitione adest Verbum *obvenientibus*, ut comprehendatur etiam illud, quod alia via, quàm ultimæ voluntatis in Ecclesiam confertur. *c. De his. De Sepult.* Hæc autem Canonica Portio, quandoque est dimidia. *c. Antiquos. 10. quæst. 1. & c. 2. de Sepult.* Quandoque Quarta, *ut hic. & c. Cum supr. de Sepult. 12. quæst. 1. c. Vulterana. & c. Conquerente, de Offic. Ordin.* Et hoc magis communiter tenetur; ut per Abb. *in c. Requisivisti, d. Testam.* Verùm hoc determinatur per consuetudinem locorum, quæ vel auget, vel minuit hanc portionem. *c. Certificari. de Sepult.* & in *§. 2. in fin. hoc tit.*

Quò ad Secundum. Duplex est hæc portio, *Parochialis, & Episcopalis.* Prima est illa, quæ debetur Parochiali Ecclesiæ, vel ipsius Rectori, aut Curato: Etenim decretum est, ut cùm quis sibi eligit Sepulturam in alia Ecclesia, quàm in Parochiali, in qua audit divina Officia, & accipit Sacramenta, ne Curatus quasi fraudetur debitis subsidiis, debetur illi Quarta pars eorum, quæ à Defuncto relinquuntur illi Ecclesiæ, in qua Sepulturam eligit. Vel forte minor, vel etiam major portio debetur secundùm consuetudinem loci. *d. c. Cum super.* & *c. Certificari. §. Sciendum. h. n. t. d.* Et non debetur hæc Portio tantùm pro Sepultura, & sic ex causa ultimæ voluntatis; verùm etiam si dederit, dum erat infirmus, vel infirmus Religionem est ingressus, dummodò is de tali ægritudine decesserit. *§. Sed etsi. h. tit. c. De his. de Sepult.* Secùs verò est si sanus hoc fecerit. *d. c. De his. Episcopalis Portio* est illa pars, quæ de relictis alicui Ecclesiæ pro anima, ab Episcopo deducitur. §. *Canonica, hoc eodem*, nisi quadragenaria præscriptio obstet. *c. De quarta. de Præscript.* Et nota differentiam inter Parochialem portionem, & Episcopalem: quia illa detrahitur tantùm in illo casu, quando aliis Ecclesiis aliquid à defuncto relictum est, ut dixi; Hæc verò detrahitur de relictis cuilibet Ecclesiæ. d. §. *Canonica.*

Quò ad Tertium. Regula est generalis ex omnibus rebus eam deduci, nisi aliquid pro fabrica, pro luminariis, pro anniversario, pro equis, vel Armis contra infideles exercendis, vel aliàs ad perpetuum cultum divinum, vel particulari personæ legatur. Hæc enim omnia non subjacent canonicæ Portioni, nisi hac machinatione factum fuerit, ut Parochialis Ecclesia fraudetur. §. *Sunt tamen hoc tit. c. In nostra de Sepult.* Ultra quæ sunt alia, quæ in hanc non veniunt Portionem, de quibus loquitur *text. in c. fin. ext. de Testamentis.* Et hoc procedit tam in Parochiali, quàm in Episcopali Portione. §. *fin. hoc tit.* Et hæc æquiparatio colligitur *ex d. c. fin. de Testam.*

Quò ad Quartum. Uti ex jam dictis apparet, debetur Portio Parochiali Ecclesiæ, in qua quis divina percipit. §. *Dubitari h. c.* Quòd si quis duo haberet domicilia sub duabus Parochiis, & in tertia elegerit sepeliri, Quarta est æqualiter dividenda. *§. Quod si is, h. t. cap. 2. de Sepult. in 6.* Abb. *in cap. 1. de Sepult.*

Verùm quia in §. *Sed istud*, dicitur; quòd Minores, & Prædicatores de omnibus obvenientibus quacunque ex causa tenentur solvere Portionem Parochialem, sciendum est, eam esse illius decisionis rationem, quia Ecclesiæ Parochiales sustinent magna damna propter Privilegia concessa ipsis Fratribus, ut *in Clem. 2. §. Verum de Sepult* Et per Abb. *in d. cap. fin. in fin. de Testament.* ubi dicitur, quòd hoc hodie est prorogatum

tum ad Fratres Sancti Augustini, & Carmelitanos. Deinde debetur de relictis Ecclesiæ Episcopo, & Ecclesiæ de relictis Episcopo. *d. §. Canonica. cum sep. hoc tit.* Quamvis hoc hodie non servetur de facto secundùm Abb. *in d. cap. fin.* Est autem differentia inter primum, & secundum Casum: Quia in primo casu Testator non potest prohibere detractionem canonicæ Portionis. *d. §. Canonica. & c. Requisisti de Testament.* In secundo verò casu potest. §. *Item. hoc tit. d. c. Requisisti.* Ratio autem differentiæ est, quia quando relinquitur Ecclesiæ, quamvis apponatur taxativa tantùm, nihilominùs Episcopus non excluditur, quia in relicto continetur, cùm ipse sit caput Ecclesiæ. *cap. Novit. de his, quæ fiunt à Præl. sine consensu Capit.* At cùm relinquitur tantùm Episcopo, quia intuitu personæ, non dignitatis intelligitur relictum, ideò non magis Ecclesiæ Portio aliqua debebitur, quàm si cuilibet privato fuisset aliquid relictum: Et ita notatur *in d. cap. Requisisti.* ubi vide, cùm sit pulcher *tex.* In dubio autem sic proceditur, quòd si à conjuncto fuerit Episcopo relictum aliquid, canonica Portio non debetur Ecclesiæ, secùs verò est si ab extraneo. §. *Sed in hoc h. n t. d. cap. Requisisti, de Testam. c. 1, 12. quæst. 2.* Quòd si conjunctim Episcopo, & Ecclesiæ relinquatur, fit divisio. Si verò Ecclesiæ una res, & Episcopo alia sit relicta, tunc etiam æqualis fit divisio, nisi in hoc secundo Casu ambo relictis sint contenti. §. *Quod si, h. t. d. c. Requisisti. 13. q. 2. c. fin.* hoc tamen non intelligitur de Ecclesiis inferioribus, ut videbimus.

Quò ad Postremum. Ex jam dictis patet, Portionem istam deberi ab Ecclesia Ecclesiæ, & ab Episcopo Ecclesiæ; & ab Ecclesia Episcopo. Est tamen sciendum; quòd ista Portio Canonica non debetur ab Episcopo Ecclesiis inferioribus: Unde si legetur Episcopo, & Capellis, vel Monasteriis, aut aliis piis locis, hoc casu, quòd Episcopo legatur, ejus præcipuum est cùm Cathedrali Ecclesia, & de illis, quæ aliis locis legantur, portionem Canonicam nihilominùs obtinebit: Quod ideò constituitur, quia non est tanta communio inter Monasteria, & Capellas, quanta inter Cathedralem, & Episcopum. §. *Secus autem, hoc tit.* Sed an hoc procedat in Parochialibus? tractat Imol. *in Clem. dudum, de Sepult.* & Abb. *in c. Officii, de Testam.* qui tenet pro negativa, apud quem vide; & hoc quod supra dictum est, habet locum, nisi testator in hac dispositione dixerit, quòd Episcopus relictis debeat esse contentus, quia hoc casu dispositio testatoris attenditur, nisi fraus, vel dolus fuerit commissus. §. *autem, cum seq. h. t.* Et tandem nota, quòd si alicui, puta Canonico alicujus Ecclesiæ aliquid relictum sit, sivè à propinquo, sive ab extraneo, non intuitu Ecclesiæ, sed personæ intelligitur esse relictum, nisi contrarium probetur; & ideò hoc casu Episcopo non debetur portio, ea ratione, quia nec prælationem, nec administrationem Ecclesiæ habet. §. *Illud etiam, h. t. d. c. Requisisti, h. t.* De hac materia tractat Petr. de Perus. *in suo tractatu de Canonica Episcopali, & Parochiali, in 2. part, c. Quoniam autem, & c. Venio ad quintum,* & Petr. de Ubald. *in suo tract. de Canonica Parochiali, c. 5.*

TIT. XXVI.

De Decimis,

QUoniam Ecclesiis non solùm debetur Canonica Portio, sed etiam Decimæ; idcircò nunc de Decimis tractatur: & ex principio hujus tituli nota, quòd Decimæ mediam quandam naturam obtinent inter spirituales res, & temporales. Et circa tituli explicationem videbimus:

1. *Quid sit Decima?*
2. *Quo Jure Decimæ sint introductæ?*
3. *Quot Decimarum species?*
4. *Quarum Rerum Decimæ debeantur?*
5. *Qui Decimas solvere debeant?*
6. *Quibus Decimæ sint solvendæ?*
7. *Quomodo solvendæ sint?*
8. *Ad quid non solvens Decimas teneatur?*

Quò ad primum. Decima, si vim verbi inspiciamus, nihil aliud est, quàm illa Portio, quæ prima post nonum numerum succedit; sed secundùm Tituli nostri materiam Decima potest describi, ut sit *Portio bonorum Mobilium Deo tam Divina, quàm humana constitutione debita. §. Decima h. t. c. 1. & c. Parochianos. 16. q. 1. c. Tua, il secundo, ext. eod.* Vel potest dici *Omnium bonorum legitimè quæsitorum quota pars Deo divina Constitutione debita.* Tholos. *in suo Tractat. Syntagm. Jur. lib. 2. cap. 22. num. 1.* Et dicitur Quota simpliciter ex eo, quia in ea constituenda attenditur loci consuetudo. *cap. Ad Apostolicæ, & cap. In aliquibus, ext. eod.*

Quò ad Secundum. Ecclesiasticæ Decimæ, de quibus nunc loquimur, sine aliqua difficultate sunt Jure divino introductæ; & varia sunt in sacris paginis loca, quæ id probant, & hinc dicitur in descriptione hic tradita *Divina Institutione* Decimas deberi, *d. cap. Parochianos, extr. eod.* & si adjicitur etiam *humana*, Verbum illud respicit necessitatem hominibus impositam eas solvendi, non autem principium, aut originem, quoniam hæc est Juris Divini. Hinc in Exodo *cap. 22. Primitias tuas, & Decimas tuas non tardabis reddere; & in c. 27. Levitici: Omnes Decimæ terræ sive de Frugibus, sive de Pomis arborum Domini sunt, & illi sanctificantur.*

Quò ad Tertium. Duæ præcipuæ sunt species constituendæ; Enim verò Decimæ vel *Profanæ*, vel *Ecclesiasticæ* existunt. *Profanæ* sunt species quædam tributi à legibus impositi, de quibus loquitur *textus in l. 3. C. de Metalar. lib. 11. Ecclesiasticæ* autem ratione religionis sunt debitæ, & propter Ecclesias, atque Ecclesiasticas personas, & de his nunc agitur, quæ adhuc in duas species dividuntur; Quoniam aliquæ Personis laicis debentur ex fructibus Ecclesiasticis, uti sunt illæ, quæ conceduntur per Summos Pontifices Christianis Principibus, ut impendant pro Christianæ Religionis utilitate contra infideles; & de his, quando Pensionarii teneantur contribuere sex pro centenario, non obstante exemptione à Decimis suarum Pensionum, vide meas Discordias Forenses *de Jurisdictione. Discord. 1.* ubi plenè de obligatione Pensionariorum solvendi Decimas per Papam concessas Serenissimæ Reipublicæ Venetæ. Aliæ verò sunt illæ; quæ debentur Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis, & de his propriè nunc tractatur. Istæ autem rursùs dividuntur in tres species, quoniam aliæ sunt *Prædiales*, aliæ *Personales*, aliæ *Mixtæ*.

Prædiales sunt illæ, quæ ex fructibus Prædiorum debentur, ut de vino, tritico, frumento, & his similibus. §. *Decimarum, hoc nostro tit. c. In aliquibus, & c. Ad Apostolicæ, eod,*

Personales sunt, quæ solvuntur ex his proventibus, qui ex propria cuique solertia, & industria obveniunt, ut puta de negotiatione, artificio, & militia. *cap, Pastoralis, extr. eod. d. §. Decimarum, & c. Decimæ. 16. q. 1.* & in Deuteronom. *cap. 12.* inquit *tex. Decimas, & Primitias manuum vestrarum, & vota, atque donaria, & primogenita bovum, & ovium offeretis.*

Mixtæ sunt, quæ debentur habita ratione eorum, quæ ex prædiis partim proveniunt, partim ex industria personarum; ut sunt Decimæ debitæ ex animalibus in eo loco, ubi pascuntur, ex quo alimenta percipiunt ex loco, & à personis custodiuntur; & hoc tenet Hostiens. *in Summ. eod. §. Quot sint ejus species, per cap. Commissum, eodem.* Glos. tamen *hic in verbo similib.* videtur tenere, quod sint mere prædiales; & idem tenet Gofred. *in Summ. eod. tit. num. 3.* per multas rationes, & hoc mihi probatur.

Quò ad Quartum. Hìc regula generalis est constituenda, Decimas solvendas esse de omnibus Rebus; De vino, grano, Arborum fructibus, de Pecoribus, de Venationibus, Negotiationibus, ac denique de omnibus rebus, quæ justè adquiruntur. §. *Eadem ratione, h. t. c. Pervenit, c. Nuncios, c. Tua, c. Ex parte, cap. Ex transmissa, eod. c. Decimæ, 16. q. 1.* An autem etiam de illicitè acquisitis debeant solvi Decimæ? tractat Glossa. 14. *qu. 5. in principio,* & Gloss. etiam *in d. cap. Decimæ.* Sed utrùm Decimæ sint recolligendæ in Campis, vel accipiendæ ex horreis Dominorum? Et an Decima sit habenda ex campis sativis, si redigantur prativi? Vide *d. Discordias Forenses, de Jurisdict. Discord. 47.* ubi etiam de fructibus hortorum.

Quò ad Quintum. Hìc alia Regula est constituenda, omnes teneri, nisi speciali Privilegio quis sit exemptus. §. *Illud etiam, hoc tit.* etiamsi Rex sit, secundùm Abbatem *in c. Omnes, de Major. & obed.* Nulla obstante temporis Præscriptione, *c. Causam quæ, de Præscriptionib.* facit *c. A nobis, eod.* Christiani autem ad prædiales, & personales tenentur. §. *Inter eos, hoc tit.* Judæi autem, qui & ipsi Decimas solvunt, tenentur solummodò ad Prædiales. *d. §. Inter eos, cap. De terris, eod.* Et idem procedit in Monachis, & communiter viventibus, qui ad Prædiales tantùm tenentur. §, *de Monachis, hoc eod. c. Decimæ. 16. q. 1. d. c. Commissum, & c. penult. eod. & c. Cunctis. §. 1. 16. q. 1.* Et has Prædiales solvunt etiam de prædio novali. Novale autem prædium est, quod nunc primùm præcisum, & nuper ad culturam redactum est. *c. 1. de Verb. signific. §. Est autem, hoc tit. d. c. Commissum, & d. c. penult. c. 1. & cap. Per novale, de Verb. signific. & c. fin. de Privileg.* Item hoc procedit etiam in his prædiis, quæ Monachi de novo acquisiverunt, & propriis manibus excolunt. §. *Sed etsi, hoc tit.* Nisi speciali Jure in iis sint exempti, *c. 1. §. Caterùm, & §. fin. eod. in 6.* facit *Clem. 1. eod.* Huic tamen Privilegio præjudicatur per Sententiam, vel per Præscriptionem Quadragenariam. §. *Sed nec, hoc tit. c. Accedentibus, de Privileg cap de Quarta, de Præscript.* Et nota, quod isti Privilegiati solvunt Decimas in prædiis conductis. §. *Super Decimis, hoc tit. c. Dilecti, eod.*

Et quantum spectat ad Privilegium concedendum super Decimis non solvendis scias, hujusmodi Privilegium non posse concedi à laicis, etiam ab Imperatore, sed solummodò à Summo Pontifice. §. *Generaliter, h. tit. c. Tua, il primo, cap. Dudum, & c. Prohibemus, eod.* Quinimmò qui de manu laicorum decimas retinere præsumpserit, Sacrilegii crimen incurrit. *d. §. Generaliter, d. cap. Dudum.*

Sed si Decimæ tributum sunt animarum egentium, & eas in signum universalis Dominii sibi Deus retinuit. *d. c. Decimæ, & cap. Tua nobis, eod.* & constitutione divina debentur, *ut supra;* quomodo potest Papa concedere Privilegium de non solvendis Decimis contra præceptum Divinæ Legis, contra quam dispensare non potest, immò eam usque ad animam, & sanguinem, debet defendere? *c. Sunt quidem. 25. q. 1. & dist. 5. in princ. & cap. Quæ contra, d. 4.*

Respondetur, quod Papa non dat alicui Privilegium de non solvendis Decimis, sed concedit alicui administrationem decimaram, ut indè suscipiat sustentationem, & alimenta; residuumque convertat in usus Pauperum.

Quò ad Sextum. Personales Decimæ illi Ecclesiæ solvuntur, in qua percipiuntur Sacramenta. §. *Inter Personales, h. t. c. 2. de Sepultur. in 6. c. fin. de Paroch.* Prædiales verò solvi debent illi Ecclesiæ, in cujus territorio prædia sita sunt. *d. §. Inter Personales, d. c. fin. de Paroch. & in c. Ad Apostolicæ, eod.* & ubique notatur. Glossa *in c. Omnes Principes, de Major. & obed.* Nisi contrarium per Consuetudinem sit introductum, *d. c. Ad Apostolicæ, c. Cum sint, eod.* Et percipiuntur Decimæ ab Ecclesiis, vel Sacerdotibus, *cap. Revertimini, c. Quicunque. 16. q. 1.* Undè collige, quod Laici Decimarum non sunt capaces, quinimmò si de manu Clericorum etiam decimas recipiunt, excommunicantur, & privantur sepultura; & Clericus concedens deponitur. §. *Ex contrario, h. t. cap. Quamvis, eod.* Nisi id Laici obtinuerint ex Privilegio à Summo Pontifice, qui Laicum potest reddere capacem Juris spiritualis, *c. 2.* & ibi not. *de Jud.* & hoc notatur *in d. c. A nobis ext. eod.* Quinimmò illum textum aliqui ita intelligunt, ut supra dixi. Reditus tamen Decimarum potest locari etiam Laico, cùm Ecclesiæ conditionem meliorem possit facere. §. *Si quis tamen, h. t. c. 2. de Locat.* Nec tamen intelligas, quod Jus ipsum percipiendi possit locari Laicis; nam hoc falsum est, ut per Abb. *in c. 2. de Juram. calumn. & cap. Pervenit. de Arbitr.* Et quod supra dictum est, intellige, dummodo hujusmodi locatio ad feudum, vel alienationem non videatur extendi. *d. §. Si quis, & d. c. 2.* Et diffusè notatur *in c. Quamvis, eod.* per Gloss. quam *ibi* Abb. refert ab omnibus approbatam. Illud autem sciendum est, quod quemadmodum debentur Decimæ Parochialibus Ecclesiis; ita Pars Decimarum à Rectoribus Episcopo debetur, nisi Præscriptio obsit. §. *fin. hoc tit. cap. Conquerente,* ubi traditur *de Offic. Ordin.* & per Abb. *in cap. Cum contingat, extr. hoc nostro tit.* ubi diffusè tractat, ad quem de Jure communi Decimæ pertineant.

Quò ad Septimum. Decimæ Personales solvuntur deductis priùs expensis. Prædiales absque deductione expensarum. §. *Item, cum seq. hoc tit. cap. Pastoralis, ext. eod.* Et hoc adeò verum est, ut nec impensæ seminis, cujus forte aliàs Decima soluta fuit, deducantur *locis supra allegatis.*

Nec

Nec Decima admittit compensationem; undè impensæ factæ pro restauranda re, de qua Decima solvitur, non compensatur. §. *Expensæ, hoc tit.* & hoc procedit, tam in reali, quàm in personali Decima, *cap. Non est in potestate, cap. Tua nobis, c. Cum homines, extr. eod.* Quinimmò nec census deducitur ante Decimam. *cap. Cum non sit, eod. §. Sed Census, eod.*

Quò ad Postremum. Qui Decimas non solvunt, quæ Deo debitæ dicuntur, *d. §. Sed census,* & supra dictum est, præterquam quod conveniuntur in sæculari Foro, & adstringuntur ad solutionem; tanquam rerum alienarum invasores excommunicantur, nec oleo deliniuntur, nisi priùs facta solutione, *c. Non sunt. 12. sess. 25. de Reformatione in Conc. Trident.* Hucusque dicta ex antiquis Doctoribus collecta sunt. At plurima à modernis Auctoribus tradita de Decimis referunt mea *Erotemata Ecclesiastica in cap. 113.* jucunda, & scitu digna; prout etiam meæ *Decisiones Miscellaniæ. Decis. 16. à num. 10. & seqq.* ubi docentur media à Parochis adhibenda, ut populi fideliter Decimas solvant.

TIT. XXVII.

De Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.

CUm suprà titulis superioribus visum sit de Rebus Ecclesiasticis merè spiritualibus, ut sunt Sacramenta; Itemque de Rebus Ecclesiasticis, quæ quodam respectu sunt spirituales, quodam alio respectu sunt temporales, nunc de Rebus Ecclesiasticis merè temporalibus videndum est: Et quoniam est maxima difficultas circa ipsarum Rerum alienationem; ob id nunc de hac materia tractatur, Et pro tituli expeditione videbimus:

1. *Quid verbo alienationis contineatur?*
2. *Quando possint Res Ecclesiasticæ alienari?*
3. *Quæ requirantur in earum alienatione?*

Quò ad Primum. Lata est significatio ista, cum alienationis verbo comprehendatur Venditio, Locatio ad longum tempus, Emphyteusis, Hyppotheca, Donatio, & omnis actus, per quem dominium transfertur. *c. Nulli, ext. eod. & in Extravag. Pauli 2. Ambitiosæ, & l. 1. C. de fund. Dotal. & l. Alienationis. ff. de Verb. signif.*

Quò ad Secundum. Regula est generalis, de Jure Civili, & Canonico non posse Res Ecclesiasticas vendi, nec alio modo alienari, si immobiles existant: Si verò Res mobiles sint, ut sunt fructus, & redditus, possunt ad tempus modicum concedi. *Clem. 1. in fine, eod. §. Idem Juris, hoc nostro tit.* Undè si rei immobilis Ecclesiasticæ alienatio fiat, erit nulla, *c. Sine exceptione. 12. quæst. 2. cap. Hoc jus porrectum. 10. quæst. 2. l. Jubemus, c. de Sacros. Eccles. & 12. q. 2. per totam.*

Excipiuntur tamen hi casus: Primus est casus necessitatis pro debitis solvendis. *§. Sed nec, cum seq. hoc tit. d. cap. Hoc Jus porrectum.* Secundus si Clericus se obligaverit pro Ecclesiæ utilitate, *c. penult. & ibi* Abb. *de Fidejuss. §. Debita: in fine, tit. eod. nostro.* Tertius si existente consuetudine aliquid parvi momenti in Beneficium erit collatum; nam tenet hoc casu alienatio. *§. Excipiuntur, hoc tit.* Abb. *in cap. cæterùm, de Donat. cap. fin. de Pecul. Cleric.* Quartus est Casus si locus conceditur pro construenda Ecclesia. *§. Multò magis, hoc tit. cap. In venditionibus. 17. quæst. 4.* Quintus si tractabitur de concedendo in Emphyteusim illud, quod Ecclesiæ non affert utilitatem. *cap. Si quos. 12. quæst. 2. c. Terrulas, vad. caus.* & ibi notata, *§. Terrulas. h. t.* Unde eadem ratione potest Episcopus alienare servos fugitivos, qui retineri non possunt. *§. Simili. h. t. c. Fugitivos 12. quæst. 11.* Item si Feudum à Vassallo alienatum fuerit, nec Episcopus posset de facili illud recuperare, potest alteri sub conditione recuperandi concedere. *§. Sed & h. t. c. 2. de Feud.* Vel etiam in hoc casu poterit Episcopus alienatis Filium, vel consanguineum, vel ejusdem Feudi Consortem investire. *§. Quinimmò. h. t.* & not. *in d. c. 2. de Feud.* facit *c. Per tuas. de Donat.* Septimus casus est, si Prælatus aliquid Ecclesiæ reliquerit, vel acquisierit; nam hoc casu pro modo relicti, vel adquisiti poterit aliquem de familia manumittere. *§. Illud h. t. c. Consensus. eod.* Octavus si Princeps ex causa permutare voluerit rem vel majorem, vel æqualem cum re Ecclesiastica. *§. Sed & Princeps. h. t. c. 1. de Rerum permut.* Præter hos casus est alius etiam, quando scilicet ex causa pietatis pro redemptione captivorum, vel alendis Pauperibus fit alienatio. *cap. Sacrorum. 12. quæst. 2.* ubi etiam enumerantur aliæ causæ. Præter itaque has, & similes causas alienatio interdicta est, nisi quis rem Ecclesiasticam justo titulo, & bona fide per tempora sacris Canonibus constituta præscripserit. *§. Præterea. h. t.* Excipiuntur tamen Decimæ, & Oblationes *§. fin. hoc tit. c. Ad aures. c. Vigilanti, de Præscript. c. Placuit. §. Sic etiam 16. quæst. 3.*

Quò ad Postremum. Hæc requiruntur: Primò, ut interveniat consensus Prælati, & Capituli. *§. 2. sup. eod. c. Nullus res. 17. quæst. 4. c. Nullis eod.* Secundò, ut agatur de Ecclesiæ utilitate. *d. §. 2. cap. Sine. 12 quæst. 2.* Tertiò, ut interveniat auctoritas Summi Pontificis. *d. §. 2. cap. 2. eod. in 6.* Et hæc omnia fiant cum causæ cognitione. *d. c. 2. & d. Extravag. Ambitiosæ,* pro cujus vera intelligentia lege mea *Erotemata Ecclesiastica. c. 33. à num. 10. & seqq.* ubi plures difficultates circa illam declarantur. Cætera vide *hic* per Gloss. & per Goffr. *in Summ. eod.*

TIT. XXVIII.

De Peculio Clericorum, Relictis, & Successionibus eorum.

ACtum est suprà de Rebus temporalibus Ecclesiæ, nunc tractatur de Rebus Temporalibus Clericorum: Et videbimus ad tituli explicationem

1. *Quid Peculii nomine contineatur?*
2. *Quid verbum relicti significet?*
3. *Quid Successio?*
4. *Cui quæsita à Clerico acquiri intelligantur?*
5. *De quibus possit Clericus disponere?*
6. *Ecclesiæ nomine quid comprehendatur?*

Quò ad Primum. Peculium propriè est Patrimonium illud, quod habet Filius, vel servus separatum à rationibus Dominicis, vel Paternis. *l. Depositi. ff. de Pecul.* cujus quatuor sunt species: *Castrense*, quod à Parentibus, vel cognatis, aut etiam aliis penitùs extraneis occasione militiæ filio familias donatum est; vel quod Filius in Militia acquisivit; de quo est titulus in Pandectis *de Castrensi Peculio*; & in hoc filius habet plenum dominium. *l. 1. §. Nec Castrense ff. de Castrens. Pecul. Quasi Castrense* est secundum, quod scilicet acqui-

acquirit Filius ex Artium liberalium professione; ex publico munere, aut functione aliqua, ex Sacerdotiorum proventibus, ex causarum Patrociniis. *l. Cum oportet, C. de bon. quæ lib.* & Gloss. *in §. Igitur liberi. Instit. Civil. per quas Pers. nob. acquir.* Et de his habet locum, quod dictum est etiam de Pecul. Castrensi. *d. l. Cum oportet.* Tertium est *Adventitium*, quod Filiusfamilias aliunde quàm ex re Patris, vel propter Patrem consequitur; quodque ipsi à Matre, genereque Materno advenit, aut ab aliis quibuscunque causis, quæ ex prospera fortuna ad eum perveniunt. *d. l. Cum oportet.* Vel si quid filio donatum fuerit sui ipsius contemplatione. *arg. l. Socium. §. Socius. ff. pro Socio*; nam & hoc est *Adventitium*; & in tali peculio Pater habet usumfructum, Filius autem proprietatem. *d. l. Cum oportet. d. §. Igitur liberi, Instit. Civil. Per quas personas.* Quod si filius Principali Aulæ serviens, vel ex parsimonia propria aliquid acquisiverit, vel ex Principis liberalitate fuerit aliquid consequutus; in his casibus dicetur Peculium *quasi Castrense. l. Cum multa. C. de bonis, quæ liber.* Quartum est Peculium *Profectitium*, quod scilicet ex re Patris, ejusve occasione ad Filium proficiscitur. Gloss. *in d. l. Cum oportet.* Et in hoc Peculio nihil habet Filius. *l. Pater. de acquir. hæredit. d. l. Cum oportet. d. §. Igitur liberi.* At in materia tituli nostri erit illud Patrimonium, quod habebit Clericus extra res Ecclesiæ; ut Gloss. *hic, in Verbo de Peculio.*

Quò ad Secundum. *Relicti* verbum comprehendit id omne, quod ex quavis ultima voluntate quis consequitur. *l. Si quid relictum. ff. de Legat. primo.*

Quò ad Tertium. Successio præsefert quemcunque modum, quo quis succedit in id, quod alterius erat.

Quò ad Quartum. Illud sciendum est, quod inter bona Ecclesiastica connumerantur ea non solùm quæ sunt acquisita, sed illa, quæ quis intuitu Ecclesiæ acquirit. *cap. Relatum. de Testam. §. Generale. hoc tit.* Unde si aliquid emat de redditibus, vel oblationibus Ecclesiæ, debet conficere Instrumentum nomine ipsius Ecclesiæ; aliàs si alieno emat nomine, sacrilegium committit. *§. Cum igitur. h. t. c. 2. eod. c. Inquirendum, eod.* Non tamen hæc est Præsumptio Juris, & de Jure, sed admittit probationem in contrarium: hæres enim Clerici poterit probare, quod licèt non habuerit Patrimonium, lucratus tamen fuit ex aliquo licito artificio, & ex industria; quo casu non acquirit Ecclesiæ. *cap. Quia nos, de Testam.* & Abb. *in c. 1. eod. & in c. 3.* Et simile est in uxore, quæ licèt in dubio præsumatur quæsiviſse de bonis mariti. *l. Quibus. ff. de Donat. inter Vir. & Uxor. l. Etiam. 2. eod.* Ista tamen præsumptio recipit probationem in contrarium, ut per Abb. *in d. c. 1.* Et per Hervir. *in Sylva Nupt. lib. 4.* & per Alex. *de Præsumpt. reg. 3.* Nota tamen, quod & hoc casu res emptâ acquiritur Ecclesiæ, de quo est *tex. in c. 1. extr. eod. & in c. 1. de Testament.* Quod si Clericus acquirit ex proprio Patrimonio, vel ex propria Persona, ut puta à consanguineis, sibi ipsi acquirit; & de hujusmodi acquisitis disponere potest. *§. De his, h. t.* Abb. *in cap. Quia nos, de Testam. c. 1. extr. de Succeſſ. ab intest.*

Quò ad Quintum. Clericus disponere potest de his, quæ quæsivit ex alia occasione, quam ab Ecclesia, ut dudum dictum est. De quæsitis autem ipsi Ecclesiæ potest, accedente justa causa, disponere per viam eleemosynæ in benemerentes. *§. Licet. h. t.* Abb. *in cap. Ad hæc, de Testam.* Accedat, quod Clericus potest tantum legare de bonis Ecclesiasticis, quantum ipse Ecclesiæ contulerit. *§. Item. hoc tit. c. Si quis qualibet. 12. qu. 2.* Quod si Clerici decesserint intestati, tunc deficientibus Successoribus legitimis, succedit in totum Ecclesia. *§. Quod si, hoc tit. c. fin. 12. q. 5. c. 1. de Succeſſ. ab intest.* & *in §. Si quis Episc. in Auth. de Eccles. tit.* Et de hac materia, an Clerici de redditibus Ecclesiarum possint testari, disputat egregiè Covarruvias *in c. Cum in officiis, de Testament.* Cæterùm, quæ hucusque dicta sunt de Peculio Clericorum procedunt ex tenore antiquorum Canonum: sed nostris temporibus, attenta generali consuetudine Franciæ, Hispaniæ, & Italiæ, licitum est Clericis testamentum facere, & disponere de bonis Ecclesiasticis per eos ex beneficiis acquisitis, ut testantur Cevall. *Commun. contra Commun. part. 1. q. 388. n. 38.* Tondut. *Resol. benefic. lib. 1. cap. 95. num. 24.* & Nicolius *Lucubr. Civil. lib. 3. tit. 1. à n. 68. & seqq.* ubi excipit totum Statum Romanæ Sedis, & Regnum Neapolis, in quibus viget Jus Spolii in bonis Clericorum, qui possederunt beneficia, vel Pensiones excedentes Summam Ducatorum triginta Auri de Camera. Hoc autem Jus Spolii est triplex. *Unum* ob dicta beneficia, vel Pensiones. *Alterum* ob negotiationes, seu mercaturas, quas fecisse Clericum constaret. Et *Tertium* circa bona, quæ aliquis Regularis haberet tempore mortis; & de his latè ego, egi in meis *Discordiis Forensib. part. 4. de Regularib. Discord. 35.* ubi videas.

Quò ad Postremum. Ecclesiæ nomine non Episcopus, nec Successor in eadem Ecclesia, quam defunctus habuit, significatur; sed communis Congregatio intelligitur in Ecclesiis Collegiatis: quod si in locum Defuncti unus tantùm substituendus erit, is bonorum illius Ecclesiæ erit administrator. *§. Nomine. h. t.* Abbas *in d. c. Relatum.* Et vide *c. Querelam. Ne Prel. Vices suas, &c.*

Institutionum Juris Canonici Libri Secundi Finis.

IN-

INSTITUTIONUM JURIS CANONICI.

LIBER TERTIUS.

TIT. I.

De Judiciis, & illorum divisione.

DIctum est suprà de Personarum, & Rerum divisione, & Jure, nunc juxta ea, quæ præmissa sunt *in §. fin. supr. de Eccles. Constitut.* videndum est de Judiciis. Et pro tituli explicatione videbimus:

1. *Quid sit Judicium?*
2. *Quot sint Judiciorum species?*
3. *Quot eorum sint partes?*
4. *Quæ ad Judicium constituendum sint necessaria?*
5. *Quis Judex dicatur?*
6. *Quot Judicum species?*
7. *Qui possint esse Judices?*
8. *Qui possint Judices dare?*
9. *Qui possint esse in Judicio activè, & passivè?*
10. *Quis ordo in Judiciis servetur?*
11. *De quibus rebus Judicium consistat?*
12. *Quomodo Judicium solvatur?*

Quò ad Primum. Illud primò loco monendi sumus, *Judicii* nomen æquivocum esse; etenim significat actionem; ut Judicium familiæ herciscundæ, communi dividundo. *l. In Judicio. ff. Fam. herciscund.* Item animi destitutionem. *§. 2. Instit. Quibus non est perm. fac. testamentum*; interdùm sententiam Judicis. *l. 1. ff. de Legat. præst.* Sed cæteris omissis Judicium significat causæ, ac litis ordinationem; & in hoc sensu hìc capitur, & *in tit. ext. eod.* & *in tit. C. & ff. eod.* Et potest describi, ut sit *Discussio causæ, quæ ritè sit in Foro coràm Judice*, ut *hìc in princ.* Vel dicamus, ut sit *Actus legitimus trium personarum, Actoris nempè, Judicis, & Rei*, ita Doctores *in Rubr. extr. eod.* ubi vide de pluribus aliis definitionibus.

Quò ad Secundum. Judiciorum præcipua divisio est, ut alia dicantur Judicia Divina, ut sunt illa, quæ Deus Omnipotens sine hominis ministerio in hoc, vel in futuro sæculo constituit. Tholosan. *in suo Tractat. Syntagmat. Juris lib. 47. cap. 4. num. 1.* Alia verò judicia Humana appellantur, ut sunt illa, de quibus hìc intelligimus, & per homines exercentur. Ista verò dividuntur in Sæcularia, & Ecclesiastica. Sæcularia sunt ea, quæ coràm Judice Laico inter personas sæculares exercentur. Marant. *in Specul. p. 4. d. 11. §. Summa divisio. hoc tit.* Ecclesiastica verò illa dicuntur, quæ coràm Judice Ecclesiastico agitantur inter personas Ecclesiasticas. *c. Cum non ab homine. ext. eod.* & *c. At si Clerici, d. §. Summa divisio.* Hæc autem Ecclesiastica vel sunt temporalia, vel spiritualia: Spiritualia sunt illa, in quibus tractatur de Re ad animam pertinente. Temporalia, in quibus agitur de Re, quæ ad sæculum spectat. Hanc distinctionem tractat Maranta *in Speculo. in 13. d. p. 4.* Rursùs Judicia vel sunt publica, vel privata. Publica sunt, quæ à quocunque possunt institui ratione publicæ utilitatis, ut *tot. tit. Instit. Civil. de Publ. Judic.* Privata, quæ privatæ rei gratia intentantur, *l. 1. & tot. tit. de Privat. Delict.* Accedat, Alia esse Judicia Universalia, in quibus Jus universum alicujus postulatur, alia Generalia, ut tutelæ, pro socio, & similia, nempè quia comprehendunt plura capitula. Maran. *d. p. 4. dist. 4. num. 2.* Alia particularia, in quibus Res una tantùm singularis petitur; ut est Judicium Rei Vindicationis, *l. 1. ff. de Rei Vind.* Marant. *in Specul. d. p. 4. dist. 4.* Vel petitionis hæreditatis, *l. 1. ff. de Pet. Hæred.* Addamus Judicia alia esse Ordinaria, alia Extraordinaria. Judicia Ordinaria sunt, quæ Jure Ordinario, Jurisdictione, & consueto ordine explicantur; & coram Ordinario; eoscilicet, qui suo Jure; vel Superioris beneficio universalem Jurisdictionem exercere potest; ut Episcopus, Archiepiscopus, Legatus, & similes. *§. Est & alia, hoc tit.* Host. *in sua Summ. de Off. Ordin. §. 1.* Et Speculator *eod. tit. in princ.* Extraordinaria, quæ extra ordinem Jurisdictione concessa, seu delegata explicantur. *§. Extraordinariam, h. t. c. Quoniam contra de Probat. 3. q. 3. §. Spatium. Vers. ei autem.* Et Felin. *in Rubr. de Off. Deleg. num. 3.*

Attamen ordinaria Judicia appellantur ea, quibus opponuntur Judicia Summaria, quæ sunt ea, in quibus proceditur absque subtili observatione Ordinis Judiciarii; & ut vulgò dici solet, proceditur sine strepitu Judicii. *§. Rursùs, hoc tit. Clement. Dispendiosam, de Judic. cap. Litteras, de Juram. Calumn. c. 1. de Dolo, & Contum. cap. Sæpè, de Restitut. Spoliat.* cum *simill.* Ordinaria verò ideò vocantur, quia in iis exquisitè servatur Juris ordo, & omnes solemnitates. *§. fin. hoc tit.* Illud postremum addendum est, quòd Judiciorum, alia sunt Civilia, in quibus tractatur de Rei interesse tantùm: Quædam Criminalia, in quibus differitur de crimine puniendo, & de pœna delinquenti infligenda, ut refert Tholos. *in loco supra cit.*

Quò ad Tertium. Quatuor existunt Judiciorum partes, quæ essentiales dici possunt, & sine quibus Judicium non propriè consistit. Litis contestatio, quæ est ejus rei, de qua apud Judicem disceptatur, ab utraque parte facta narratio. Secunda est Publicatio processus, etenim lite contestata, quæ ut plurimùm negativè contestari solet, Actor probat suam intentionem, Reus suam exceptionem, examinantur testes, quibus omnibus peractis probata fiunt manifesta; & sic processus

cessus publici fiunt, ideſt aperiuntur, & ostenduntur dicta testium. Tertia pars est Conclusio in causa: apertis enim probationibus, partes Jura sua adducunt, & illa producunt, quæ necessaria judicant ad propriam probandam intentionem; & postquàm utraque Pars Judicem bene instructum opinatur, concludit pro sua intentione. Quarta pars tandem est ipsius litis Decisio, quæ fit per Judicis Sententiam; quandoquidem plenè causa instructa, postquàm in causa ipsa est conclusum, Judex suam profert sententiam, & controversiam decidit secundum ea, quæ in Judicio sunt deducta, & probata, *l. Illicitas. §. Veritas, ff. de Offic. Præsid.*

Quò ad Quartum. Ad judicium constituendum sunt illæ omnes partes necessariæ, quæ superiùs fuere relatæ, sed præter eas nonnulla alia exiguntur. Et Primùm In jus vocatio; quæ est Interpretatio illa, quæ fit experiundi causa, *l. 1. ff. de in Jus vocan.* Ab hac enim parte incipit actionis propositio; quinimmò secundum nonnullos, & ipsum Judicium exordium sumit. §. *fin. Institut. Civil. De pœna temerè litigantium.* Insuper exigitur actionis editio, quæ est exhibitio petitionis ab actore facta; & fit ab hoc, ut Reus possit deliberare, an velit cedere, vel contendere. *Auth. Offeratur, C. de lit. contest.* Tertiò est necessarium, ut adsit Actor, Reus & Judex: istæ enim tres personæ propriè judicium instituunt, *c. Forus, ext. de Verb. Signif. l. Inter litigantes, l. Julianus, ff. eod.* Ac tandem necessarium est, ut acta conscribantur, *c. Quoniam contra. de Probation.* Et hoc fit ab hoc ut Judex plenè instructo negotio, plenèque discusso, possit quamprimùm causam determinare, *c. Jurgantium, de Sent. & Rejudic.* Plura apud Marant. *p. 6. per totum.*

Quò ad Quintum. Judex (qui quasi jus populo dicens vocatur) ille est, qui Jurisdictione propria, aut sibi delegata, aut commissa jus habet, & facultatem inter litigantes cognoscendi, & controversias, seu litigia terminandi, *l. Penult. ff. eod.*

Quò ad Sextum. Variæ sunt Judicum species. Etenim Alii sunt *Ordinarii*, & sunt illi, qui suo Jure, vel Superioris beneficio habent Jurisdictionem universalem, & possunt cognoscere de causis inter subditos propriæ Jurisdictionis, ut est Archiepiscopus, Episcopus, & similes, ut supra dixi. §. *Igitur, h. t.* arg. *c. Novit. de Legat. Officio.* Qui textus loquitur de Legato, *c. Ut. litigantes, de Offic. Ordinar. in 6.* Alii dicuntur *Extraordinarii*, seu *Delegati*, & sunt illi, qui ex Jurisdictione demandata in causa particulari cognoscunt, ut notatur *in l. A. Judice, C. eod.* §. *Extraordinarium, hoc tit.* Legistæ *in Rubr. ff. de Offic. ejus,* & Canonistæ *in Rubr. de Offic. delegat.* post. Host. *in sua Summ. eod.* Secunda divisio est, ut alii dicantur *Competentes*, & sunt illi, qui propriè Judices existunt, & propriè Jurisdictionem habent; Alii verò dicuntur *Incompetentes*; & sunt illi, qui è contra Jurisdictionem inter litigantes non habent. Quidam adhuc dicuntur *Judices à quibus*; & sunt illi, qui cùm sint minores Judices sententiam tulerunt, à qua est appellatum, qui nominantur etiam *Judices primarii.* Nonnulli verò dicuntur *ad Quos*; & sunt illi, qui in causa appellationis cognoscunt, & majores sunt, & appellationis Judices nuncupantur, *l. 1, ff. Quis, & à quo.* Accedat, alios dici Judices *Criminales*, qui de criminibus cognoscunt, quosdam *Civiles*, qui in causis pecuniariis jus dicunt. Ac tandem nonnulli appellantur *Judices Civiles*, quia causas ad Cives pertinentes decidunt; quidam verò *Militares* dicuntur, qui inter Milites cognoscunt; ut *in Rubr. C. Ut omn. Jud. tam Civil. quam Milit.*

Quò ad Septimum. Regula est generalis affirmativa constituenda, Omnes posse Judices esse, nisi speciali ratione aliquis prohibeatur. Verùm nonnulli moribus prohibentur, quidam natura, & quidam lege. Moribus ut Servi, & Mulieres, quia sic usu est receptum, *l. 2. l. Quod attinet, de Regul. Jur.* Natura, qui Judicio pleno manifestè carent, veluti Furiosus, pupillus, surdus, & mutus, quinimmò & minor non habens decimum octavum annum prohibetur, nisi vel Partes illum eligant, vel Princeps det, *l. Cum Prator. de Jud.* ubi Gloss. *l. Quidam de Re Jud.* Ille autem prohibetur lege, qui ob sui turpitudinem Senatu privatus est, *l. Cassius, ff. de Senat.* His exceptis omnes possunt esse Judices, licèt ex speciali causa quis tanquàm suspectus in causa particulari recusetur: notatur *in l. Apertissimi* per illum tex. *C. de Jud.*

Quò ad Octavum. Dare Judices possunt illi, quibus hoc conceditur vel à Lege; vel Senatusconsulto. De Jure Canonico dant Judices illi, qui sunt Ordinarii, item etiam Delegatus à Principe (intellige de Principe non recognoscente superiorem saltem in temporalibus, ut per Abb. *in cap. Pastoralis, de Offic. delegat.*) potest alteri subdelegare; nisi in ipsius electa sit Industria, §. *Possunt autem, h. t. cap. Significasti, &c. fin. de Offic. delegat. l. Inter artifices, ff. de Solut.* Attamen circa hoc distingue secundùm Abbatem *in d. cap. Significasti.* Aut Delegatus à Principe vult delegare ex causa, & non est dubium, *c. Si pro debilitate, de Off. deleg.* Aut nulla justa causa subest; & tunc, aut non facit in fraudem alicujus, sed non vult se implicare litigiis, & potest subdelegare, ac compellere subdelegatum ad acceptandam subdelegationem, *cap. Pastoralis, de Offic. deleg.* Aut malitiosè vult subdelegare, & in fraudem alicujus; & tunc licèt valeat subdelegatio, tamen non potest compellere renitentem, *d. c. Pastoralis,* secundùm intellectum Abbatis. In dubio tamen non præsumitur in fraudem subdelegare, nisi saltem probetur ex conjecturis, ut notatur *in d. c. Pastoralis.* Verùm; quamvis tanta sit auctoritas Delegati à Principe, attamen non potest in Civili Judicio partem compellere, ut personaliter coram se compareat, nisi ad hoc speciale mandatum habeat; vel nisi pro veritate dicenda; vel pro Juramento calumniæ exhibendo velit compellere, vel alia Juris necessitas hoc requirat. §. *Non tamen. h. t. c. 1. eod. in 6.* Item etiam non potest subdelegare, nisi certis personis, scilicet Dignitate præditis, atque Personatum obtinentibus, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonicis. §. *Sed nec, h. t. cap. Statutum. §. In nullo, de Rescript. in 6.*

Insuper nota, quòd non solùm unus, sed etiam plures dari possunt Judices, qui in eadem causa judicent §. *Item, h. tit. c. Scisciatus, de Rescript. c. Causam, & c. Cum causa, & cap. Quamvis, de Off. deleg.* Et quando causa sic pluribus est delegata, id hunc habet effectum, quòd

quòd nisi sit apposita clausula, quòd si omnes interesse nequiverint, vel noluerint, reliqui exequantur; tunc simul omnes conjunctim procedere debent; aliàs Processus non valebit, *d. §. Item, d. c. Causam, de Offic. Delegat.* Et talis clausula id operatur, quod impediat subdelegationem; nec enim qui non sunt impediti, sunt cogendi admittere subdelegatos collegarum suorum; sed quod ipsi agunt probandum est: Quod secùs est, quando hujusmodi clausula non est apposita. §. *Planè, cum seq. h. t. d. c. Coram.* Et ibi traditur per Doctores *de Offic. Delegat.* Verum tamen est, quòd clausula operatur solummodò in casu, quando aliqui non possunt, vel legitimè nolunt interesse. §. *Hoc tamen, hoc tit.* Et de hac re latè tractatur *in c. Prudentiam, in princ. de Offic. Delegat. & in d. c. Scisitatus.* Et nota, quòd quando pluribus sic negotium commissum est; tunc uno eorum inchoante, alii ulteriùs non poterunt se intromittere, nisi ex causa; ut puta si infirmitate, vel alio justo motivo, illum, qui causam tractare cœperit, contingeret impediri, vel dolo malo in ea procedere recusaret. §. *Porrò, hoc tit. c. Gratum, c. Licet*, & *c. Quamvis, de Offic. Deleg.* & *cap. Si à Subdelegato, eodem tit. in 6.* Et Jurisdictio perpetuata per unum vivo mandatore dicitur perpetuata quo ad omnes condelegatos. §. *Jurisdictione, h. t. cap. Cum plures, de Off. deleg. in 6.* Illud nihilominùs generaliter notandum est, quòd sive uni, sive pluribus, sive à Principe, sive ab alio mandata fuerit Jurisdictio, mandati forma diligenter custodienda est; ita ut nihil contra quam sibi commissum est, delegatus tentare præsumat. §. *Sed sive, hoc tit. cap. Venerabili, de Offic. Delegat. & cap. Cum dilecta, de Rescript. l. Si Procurator, C. de Procurator, l. Diligenter, ff. Mandati.* Hoc tamen declaratur multis modis: Namque si quis impediat Jurisdictionem delegati, vel noluerit in Judicium venire, hoc casu delegatus à Principe Ecclesiastica districtione poterit eum coercere, quamvis id litteræ commissionis non contineant: vel etiam pro delicti, & causæ qualitate secundum Arbitrium suum mulctare, si certa pœna non exprimatur: Cui enim commissa est Jurisdictio, eidem dicitur id omne commissum, sine quo ille suam Jurisdictionem exercere non potest. §. *Planè, hoc tit. c. 1. de Offic. delegat.* ubi de hoc: & facit *cap. Præterea, c. Significasti, c. Prudentiam, in fine, c. Suspitionis 1. resp. de Offic. delegat. c. Tam litteris, de Testib.* Secundò poterit admittere honestas exceptiones, & à Juris æquitate non aberrantes, licèt id expresè mandato non comprehendatur. §. *Rationabiles, hoc tit. cap. Ex parte, il 2. de Offic. deleg.* & Abb. *ibi:* & Legistæ *in l. Placuit, de Judic.* Tertiò si rescriptum sit impetratum adversùs aliquem, qui Judicii mutandi causa possessionem, super qua erat controversia, alienavit, Judex delegatus poterit cogere eum, in quem est facta alienatio, ut coràm se Juris pareat æquitati, non obstante quod rescriptum sit impetratum adversùs alium, §. *Sed etsi, hoc tit. c. 1. de Alien. Judic. mut. causa fact.* In hoc tamen requiritur dolus ex parte alienantis, & etiam ex parte ejus, in quem est facta alienatio. Abb. *in d. c. 1.* Unde etiam ex hac littera aliud notare debes, quod hìc specialiter fit prorogatio de persona ad personam contra *cap. P. & G. de Offic. deleg.* Et de hoc vide per Abb. *in cap. Quia, eod.* Quartò, & ultimo declaratur, ut non habeat locum, quod supra diximus, quando alicui mandatur Inquisitio, vel quid aliud expediri certo loco; nam si ob illius potentiam, contra quem inquiri, vel procedi mandatur, vel fautorum ejus, eo loco securè mandatum executioni mandari nequeat, locum securum, & idoneum eligere valet; quod etiam faciet, quoties id justa, & rationabilis causa suaserit. §. *Simili, hoc tit.* Quod habet locum in delegato à Sede Apostolica. *c. Statutum. de Offic. deleg. in 6.*

Quò ad Nonum. Regulariter omnes possunt esse in Judicio tam active, quàm passivè, nisi quis speciali ratione prohibeatur, ut Servus, qui regulariter nec convenit, nec convenitur. *l. Servus, C. de Judiciis*; nonnullis exceptis Casibus favore libertatis, utilitatisque publicæ. *l. Cum certis, ff. eod.* Deinde prohibentur Monachi. *Auth. Ingressi, C. de Sacrosanct. Eccles.* Pupillus, Furiosus, Prodigus, Mutus, Surdus sine Tutore, vel Curatore. *l. 1. & tot. tit. C. Qui legit. pers.* Accedat Excommunicatum in Judicio esse non posse. *c. Intelleximus. ext. eod.* Non omittam, nec Magistratum posse conveniri, dum tempus Magistratus durat. *l. Pars litterarum, ff. eod.* Nec illegitimam personam posse per se comparere. *l. fin. C. de Procurat.* exceptis quibusdam personis, de quibus *in l. 1, in fine. ff. de Postul.*

Quò ad Decimum. Duæ recensentur Ordinis species, *Accidentalis, & Substantialis*; ita notatur *in l. 1. ff. de Appellat. & in l. Prolatam. C. de Sent. & interloc. omn. Jud.* Prima potest omitti. Secunda haudquaquam. Ordinis autem subsantialis erit, ut cognoscat Judex competens, hinc Laicus inter Clericos non judicat. §. *Pari ratione. hoc tit. cap. Si diligenti. de Foro compet.* ubi latissimè de hoc *cap. Inolita. 11. q. 1.* Nec huic privilegio fori Clericus potest renunciare. *d. c. Si diligenti.* Si tamen Clericus reconveniatur, tunc Judex Laicus hoc casu potest esse Judex. *c. Cujus in agendo. 3. q. 5. c. 1. & 2. de Mut. petit.* Vel nisi de Feudo agatur. *c. Verùm. de Foro compet.* Hujus occasione dubitatur, si captus sit Clericus à Judice sæculari, qui inficietur illum Clericum esse, quæritur quis debeat de hoc cognoscere? Et respondetur, Judicem Ecclesiasticum debere super hoc decidere, vocato tamen Judice sæculari, vel alio, cujus interest. §. *Dubitari, h. t. c. Si Judex. de Sentent. excommun. in 6.* Unde si notorium fuerit, vel fama publica extiterit, illum esse Clericum, debet Judici Ecclesiastico restitui. §. *Sed si. hoc tit. c. Cum olim. de Verb. signif.* & not. *in d. c. Si Judex. de Sent. excommun. in 6.* ex quo nota, quod is Clericus debet esse talis, qui privilegio Fori gaudere debeat; Unde Clericus buffo, vel goliardus, qui artem ludricam per annum exerceat, & tertiò admonitus non destitit; vel etiam Clericus uxoratus non incedens cum habitu; vel Bigamus, vel Degradatus non remittetur: ita notatur *in d. c. Si Judex.* Hoc idem dicitur de eo, qui ante deprehensionem publicè pro Laico se gerebat, & quasi Laicus communiter habebatur; nam quamvis deprehensionis tempore in habitu Clericali repertus fuerit, non ante restituendus erit, quàm de Clericali titulo fidem fecerit. §. *Aliud. h. tit. d. c. Si Judex, de Sent. excommunic. in 6. c. Ut inquisitionis. §. penult. de Hæret. in 6.* Unde si ante deprehensionem pro Clerico publicè se gerens, tonsuram, & Clericales vestes deferens deprehensus fuerit,

pro Clerico præsumetur, donec contrarium constiterit. §. *Idem. h. tit. d. cap. Si Judex* & per Abb. *in cap. Ex parte, il 3, & in c. Contingit. de Sent. excommun.* Verùm ficut Clericus convenitur in suo foro, ita quoque Laicus debet conveniri coràm suo Judice. §. *Quod si. hoc tit. cap. Cum sit generale. hoc. tit. c. Si Clericus, de Foro compet. c. Experientia. cum seqq.* 11. *quæst.* 1. Et quia hoc fallit in aliquibus casibus; ideò de his vide in Gloss. *in d. §. Quod si. in verb. sequatur.* Ad hoc autem, ut cognoscatur, an quis sit Clericus, an Laicus? est inspiciendum, an habeat Ordines, vel habitum gerat: quod si in habitu incedit, & aliquos Ordines habet, Clericus judicatur, nisi in fraudem fortè habitum susceperit; ita Bart. *in l.* 1. *num.* 3. *ff. de Pœnis.* Postquam autem de Judicis competentia constat, porrigitur libellus, datur copia parti, deliberat Reus, an velit cedere, an contendere? Probantur assertiones, exceptiones, contestatur lis, publicatur processus, concluditur in causa, ipsaque instructa sententia fertur, datis semper legitimis dilationibus; ita tamen ut non protrahatur causa in longum plus, quàm æquum sit, ut dictum est suprà *in cap.* 8. *l. Properandum. C de Jud. cap. Jurgantium. de Sent. & Re Judic.* Ordinis Accidentalis erit, ut cautiones præstentur, opponatur Testibus, Procuratori, & alia similia, sine quibus potest Judicium consistere ut notatur *in d. l. Prolatam.*

Quò ad Undecimum. Judicium de his rebus constituitur, quæ sunt in obligatione, & debentur. Actio enim est Jus persequendi in Judicio, quod debetur. §. 1. *Instit. Civil. de Action.* Ex his igitur judicium constituetur, *l. Nam quemadmodum ff. eod.* Id tamen est verum, quòd non omnis Judex est adeundus, sed ille tantùm, qui cognoscere potest. *l. Ut fundus. ff. communi dividund. l. Solemus. ff. eod.*

Quò ad Postremum. Variis modis Judicium solvitur. Et primo loco finitur tempore; ut si intra certum terminum causa decidenda committatur. §. *Sed & cum. hoc tit. cap. De causis.* ubi Abb. *de Off. deleg.* Et hoc in delegato. Generaliter autem in criminalibus, si transeat biennium, nec actor Judicium prosequatur, judicium expirat. *l.* 1. *& tot. tit. c. Ut intra cert. temp. crim. quæst. term.* Vel si tempus sit statutum à Judice secundùm distantiam locorum; nam transacto tempore expirat instantia *l.* 1. *C. de Dilation.* Vel si causa civilis sit, post triennium. *l. Properandum. C. de Judic.* Secundò solvitur, Sententia lata; ipsa enim est, quæ propriè Judicium determinat. 1. *& tot. tit. ff. de Re Judic.* Tertiò solvitur extincta Jurisdictione Judicis, qui judicare debet, veluti si re integra ille, qui dedit Judicem, jurisdictionem revocat expressè. *c. Quamvis. de Offic. deleg. in* 6. Res autem integra non dicitur, quando facta est citatio. Bart. *in l. Et quia. ff. de Jurisd. omn. Judic. c. Relatum, de Off. deleg.* Quamvis videatur obstare. *c. Gratum. eod.* Sed de intellectu illorum textuum videndus Barbosa *in Collect. DD. ad utrumque*, ubi eosdem ad concordiam optimè reducit. Vel etiam tacitè potest fieri revocatio: ut est, quando Delegans ad partis instantiam citat, vel alio modo cognoscit in causa. Archid. & Joannes Andr. *in d. c. Quamvis;* & per Doctores *in c. Intimasti. de Appellat.* Et hoc procedit, quando in totum Judex commisit vices suas, aliàs enim re etiam non integra delegans potest revocare. *l. Judicium solvitur. ff. de Jud.* & per tex. *in d. c. Quamvis. & in c. Judex. de Off. deleg. in* 6. Item & quartò Judicium solvitur morte delegantis, vel delegati. §. *Morte hoc tit. c. Prælatum & cap. Si delegatus. d. Off. delegati.* Quod intellige esse verùm in eo, cui per mandatum datur nova jurisdictio; nam secùs id contingit, quando alicui habenti Jurisdictionem præcipitur; huic enim non datur nova potestas, sed potiùs antiqua excitatur; unde non possumus dicere, hunc fungi vice mandatoris. *c. Licet. & c. penult. ext. de Offic. Ordin.* Bart. & Legistæ *in d. l. Et quia. de Jurisd. omn. Judic.* Canonistæ *in d. c. Prælatum.* Et hoc adeò verùm est, quòd morte delegati &c. Ut si pluribus est delegata causa, & unus ex his moriatur, istius mors efficit, ut quoad alios etiam Jurisdictio suspendatur. *d. c. Relatum. d. c. Si delegatus.* Est tamen casus, in quo mors non præjudicat, quando scilicet res non est integra, sed delegatus cognoscere cœpit, *d. c. Relatum.* Item finitur Judicium, quando delegatus impeditur impedimento Juris, vel Facti. Juris, ut si infamis sit factus; Facti: ut si infirmitate impediatur. §. *Sed etsi hoc tit. cap. Sciscitatus. de Rescript. c. Præterea. de Testib. cogen.* Idem etiam dicendum est, si delegatus à Principe ipse, vel per alium sententiam executioni mandavit. §. *Idem Juris. hoc tit.* Semel enim functus est Officio suo. *c. In litteris. de Offic. deleg.* Et hìc obiter nota, quòd delegatus ab alio, quàm à Principe, non potest suam sententiam executioni mandare. *cap. Pastoralis. de Offic deleg.* Accedat Judicium solvi, si delegatus se incompetentem pronunciet. §. *Item. hoc. tit.* per Abb. *in c. Significasti.* & per Felin. *in cap. Ex parte de Offic. Deleg.* Et hoc adeò verum est, ut nec per consensum partium possit Jurisdictionem reassumere, *d.* §. *Item.* arg. *l. Privatorum. C. de Jurisdict. omn. Jud. cap. Super eo. §. Pari ratione. & c. Si diligenti. de Foro compet.* Addamus tandem extingui Jurisdictionem per recusationem Judicis. §. *Recusatione hoc tit. cap. Causam. & cap. Insinuante. & c. Suspicionis. De Offic. delegat.* Quæ recusatio ex probabili causa procedere debet. *d. c. Suspicionis.* Veluti si Judex sit consanguineus, Advocatus, aut Familiaritatem non modicam cum altera parte contraxerit, aut alia sit similis causa. *d. §. Recusatione. d. c. Causam. & d. cap. Suspicionis.* In recusationis autem causa variè cognoscitur; nam si duo à Sede Apostolica sint delegati; & contra unum ex duobus causa suspicionis proponatur, si in delegatione sit apposita Clausula, quòd si ambo interesse non possint, alter in causa procedat, tunc coràm non recusato conjudice expedienda erit. *c. Si contra, de Offic. deleg. in* 6. Ubi verò non est apposita clausula, debet super hoc ad Arbitros recursus haberi. *d. c. Suspicionis.* Ex quo enim simpliciter dati sunt, unus sine altera cognoscere non potest. *d. cap. Causam. cap. Uno de Offic. delegat.* Sed si recusatur delegatus Episcopi, causa coràm Episcopo tractatur *d. c. Si contra.* Quod etiam procedit, quando Officialis Episcopi recusatur. *d. c. Si contra;* ubi vide. Hæc succinctè dicta sunt de Judiciis, quorum materia cùm sit amplissima, in controversiis contingentibus recurrendum est ad diffusos tractatus de Judiciis tum Sigismundi Scacciæ, tum Pacis Jordani Episcopi Tragurienſis, qui nuper de eis scripserunt plenissimè.

TIT.

TIT. II.

De Procuratoribus.

CUm de Generibus Judiciorum ſupra tractatum ſit, nunc de Perſonis litigatorum eſt dicendum; & quia ſæpè Judicia exercentur per Procuratores; ideò nunc de ipſis videamus; & pro expeditione tituli videbimus:

1. *Quiſit Procurator, & quotuplex?*
2. *Qui poſſit eſſe Procurator?*
3. *Qui poſſit Procuratorem conſtituere?*
4. *In quibus cauſis poſſit Procurator conſtitui?*
5. *Quot modis Procurator revocetur?*
6. *Quæ actiones oriantur inter Dominum, & Procuratorem?*

Quò ad Primum. Procurator ille eſt, qui mandato Domini, vel quaſi negotia aliena adminiſtranda ſuſcipit. *l. 1. ff. eod. & hic in princ. & c. 1. eod.* Et quia Procuratores conſtituuntur ab Univerſitatibus, Collegiis, & à privatis: ideò ſciendum eſt: Quòd illi appellantur Procuratores, qui à privatis conſtituuntur; qui autem ab Univerſitate, vel Collegio conſtituitur, Syndicus appellatur, *ut hic in princ. cap. 1. de Synd. l. 1. §. 1.* & per totum *ff. Quod cujusque Univerſ. nom.* Et Procuratores fiunt vel ad negotia, vel ad Judicia. *§. Porrò. hoc tit.* Si de Procuratore ad negotia agimus, quilibet poteſt eſſe Procurator, ſi habet annum decimum ſeptimum, & non prohibeatur ſpeciali ratione. *§. Poteſt. hoc tit. §. Juſtæ,* & ibi Gloſſ. *Inſtit. Quib. ex Cauſ. man. non licet. l. 1. §. Pueritia. ff. de Poſtul. c. Qui Generaliter. § fin. eod. in 6. 3. q. 7. §. Verùm.* In Judiciis autem Procurator conſtituitur, qui major annis 25. fuerit. *d. §. Poteſt. d. c. Qui generaliter. l. Exigendi, C. eod.*

Quò ad Secundum. Ex ſuperiori capite habemus, minorem annis 17. non poſſe ad negotia Procuratorem eſſe; & in Judiciis eum poſſe conſtitui, qui major eſt annis 25. Verùm in Spiritualibus negotiis natus annos quatuordecim poteſt eſſe in Judicio per ſe, & per Procuratorem, non obſtante patria poteſtate. *§. Aliud, hoc tit.* Vel ſi mulier ſit, duodecimum ætatis annum habere debet. *c. Indemnitatibus. p. reſp. de Elect. in 6. c. Continebatur, de deſponſ. Impuber. cap. Ex parte, de reſtit. ſpoliat.* & notatur *in cap. fin. de Jud. in 6.* Quòd ſi minor ſit quatuordecim annis, qui in Spiritualibus cauſis in judicio eſſe velit; tunc ei dandus eſt curator; vel ſi major eſt infante, ideſt in ætate ſeptem annorum, poteſt cum auctoritate Epiſcopi, vel Officialis Procuratorem conſtituere. *§. Quod. hoc. tit. c. fin. §. Si verò. de Jud. in 6.* Quæ omnia poteſt facere etiam Delegatus Sedis Apoſtolicæ *§. Quin etiam. hoc. tit. d. c. fin. de Jud. in 6.* Et notatur *in c. penult. de Reſtit. in integ. c. Licet. de Offic. Vicar. in 6.* In hoc capite conſtituas hanc Regulam, quòd regulariter omnis poteſt eſſe Procurator, niſi ſpeciali prohibeatur ratione. *§. conſtituitur. hoc. tit. cap. 1. eod. in 6. cap. Duo 12. quæſt. 1.* facit *l. Mutus. §. 1. ff. eod.* ſicut dicimus in Teſtibus. *l. 1. ff. de Teſtib.* Et idem in Matrimonio. *c. Cum apud. de Sponſalib.* Prohibentur autem in Judiciis Procuratoris officio fungi Fœminæ, & non habentes (in Judicio tamen) vigeſimum quintum annum. *l. Minor. ff. eod.* De Fœminis eſt tex. *in l. Neque. ff. eod.* Niſi pro parentibus interveniant, nam tunc cauſa cognita id eis permittitur. *l. Fœminis. ff. eod* Item Miles prohibetur. *d. l. Neque:* Quod procedit etiam in milite cœleſtis militiæ; ut in Sacerdote, & Clerico quolibet in Sacris Ordinibus. *§. Deo autem. In Auth. de Sanct. Epiſ. §. Sed nec omnes hoc tit.* Quinimmò nec tanquam principales poſſunt, vel debent intervenire. *5. q. 3. cap. Quia Epiſcopus.* Niſi pro miſerabilibus perſonis, & urgente ſuæ Eccleſiæ neceſſitate. *cap. 1. & fin. extr. de Poſtul.* ubi Doctores hoc tractant; vel niſi propriam cauſam, vel conjunctorum proſequuti fuerint. *§. Poſtulandi. hoc. tit. d. cap. 1. & c. fin.* Et in his omnibus caſibus poſſunt perſonæ Religioſæ pro aliis in Judicio intervenire; ſed tamen debent hoc gratis facere, ut dicit Hoſtien. quem Abb. ſequitur *in cap. 1. Ne Cler. vel. Monach.* Quia hoc eis permittitur ex pietate: ſed de hoc vide Abb. *in cap. 1. in fin. de Poſtul.* Idem procedit in Monachis. *§. Idem. hoc. tit. c. 1. de Syndic. c. qui verè. & cap. Monachi. 16. quæſt. 1.* & de his videantur meæ Diſcordiæ Forenſes *de Regularib. Diſcord. 33.* in quâ pulchrè agitur de Monacho Procuratore non valente eſſe Procuratorem in Judicio, neque pro ſuis conſanguineis, etſi pupillis. Item excommunicati prohibentur eſſe Procuratores, quinimmò nec proprio nomine poſſunt eſſe in Judicio, niſi agatur de ſui defenſione. *§. Hi verò. hoc tit. c. Intelleximus. De Judic.* Ubi traditur *cap. Excommunicamus. §. Credentes, de Hæret. cap. Inter priorem. & c. Venerabilem, de Except.* Sed hic oritur dubitatio, an Procurator Univerſitatis, in qua extant excommunicati, poſſit repelli? Et conſtitutum eſt, quod non repellatur, niſi in tribus caſibus. Primus eſt, quando illi, qui excommunicati ſunt; in litteris ſunt expreſſi. Secundus eſt, quando aliàs eorum auctoritate Procuratoris inſtitutio facta fuiſſet. Tertius eſt quando ipſa univerſitas excommunicationis conſcia ſimul cum eis eundem Procuratorem conſtituiſſet. *§. Sed belle. hoc tit. cap. fin. extr. eod. de Procurat. c. Anobis;* ubi notat Abb. *de Simon. cap. fin. de Elect.* Item Furioſus prohibetur. *l. 2. §. Furioſus. ff. eod.* Infamis etiam prohibetur. *c. 1. 3. q. 7.* Sed dic plenè ut per Abbat. *in cap. Imperatorum, de Juramen. Calumn. in fin.* Item ſervus inſtitui procurator non poteſt, quia judicio intereſſe non valet. *l. Servus, C. de Judic.* Et tandem Procurator volens tantùm, & expreſsè conſentiens conſtituitur. *l. Filius. §. Invitus ff. eod. l. Invitus, C. eod.* Nota tamen quòd non ſolùm unus, ſed etiam plures poſſunt conſtitui Procuratores, qui niſi in ſolidum conſtituantur, unus ſine altero procedere non poterit. Quòd ſi non ſint in ſolidum conſtituti, melior conditio eſt occupantis, niſi in mandato ſit expreſſum contrarium. *§. Et tam unus, hoc tit. d. cap. Si duo. eod. in 6.*

Quò ad Tertium. Quilibet poteſt Procuratorem conſtituere, niſi prohibeatur: Edictum enim de conſtituendo Procuratorem eſt prohibitorium certarum perſonarum. *l. Mutus. ff. eod. tit.* Undè in minoribus cauſis minor ſine Procuratore Procuratorem conſtituere non poteſt. *l. Non eo minùs. C. eod.* Et in Spiritualibus minor annis 14. ſine auctoritate Epiſcopi, vel ejus Officialis; vel etiam Curatoris ad hoc conſtituti non poteſt ſibi Procuratorem eligere, ut dictum eſt ſupra in ſecundo capite per *tex. in d. cap. fin. de Jud. in 6.* Sunt tamen perſonæ, quæ coguntur conſtituere ſibi Procuratorem; ut Excommunicatus; ut *d. c. Intelleximus. ext. de Judic.* Illu-

stris persona. *l. Quicunque. C. eod.* & *Auth. Quod Jus, & in Auth. Ut ab illustr. & quæ super illustres ad princ.* Item Episcopus. *c. Qui Episcopus. 5. q. 3.* Et hoc idem habet locum in Prælatis majoribus, & etiam in minoribus; & in Collegiis, quorum singula singulos Syndicos habere debent. *c. Cum simus. 9. q. 3.*

Quò ad Quartum. Regula est Generalis posse in omnibus causis constitui Procuratorem, criminalibus exceptis. §. *Non tamen. hoc tit. cap. Veniens. De Accusat. c. Tuæ. eod. cap. In criminalibus. 5. qu. 3.* nisi in quinque sequentibus casibus: Primò ad propulsandam injuriam illustris. §. *Nisi. 3. q. 9. l. fin. C. de injur.* Secundò si rei contumacia sit excusanda. *d. cap. Veniens. c. Reos. 23. q. 6. c. Cum dilecti. de Dolo, & contumac.* Tertiò quando contra Accusatorem est excipiendum. *d. cap. Veniens, & in c. De his. eod. de Accusat.* Quartò si tractetur de levi crimine. *l. Levia. ff. de Accusat.* Quæ tamen delicta levia dicantur? dic ut per Abb. *in cap. Tuæ, de Pœnis.* Qui distinguit inter levia, gravia, graviora, & gravissima. Quintò, & ultimò, quando etiam de gravi crimine tractatur, sed agitur civiliter. *c. Tuæ. ead. d. cap. Super his, de Accusation.* Verùm ultra hos casus enumerantur alii, ut crimen suspecti Tutoris. *l. Non solum. §. fin. ff. eod.* Item si agatur de Ingratitudine. *l. Sed hæ personæ. §. 1. ff. eod.* De quibus, & de aliis dic ut per Speculatorem *in Tit. de Procuratore;* & per Doctores *in d. cap. Veniens, de Accusat. in c. Si quando. 5. q. 3. & in l. penult. §. fin. de Publ. Jud.*

Sciendum tamen est, quod in quibusdam negotiis requiritur speciale mandatum; ut cùm agitur de suspicione. *d. l. Non solum. ff. de Procurat. §. ult.* Item in causa restitutionis in integrum. *l. Illud. §. Si talis. ff. de Minor.* In interdicto de liberis deducendis, vel exhibendis. *l. Pomponius, ff. eod. tit.* Item in Juramento calumniæ, vel alio Juramento in animam alicujus præstando. Item cùm petitur absolutio in forma Juris in personam alterius: aliàs autem secundùm Regulam sufficit generale mandatum. *cap. Petitio. ext. eod. tit. l. Actione. §. Renunciare. ff. Pro soc.* Et de aliis casibus, in quibus speciale mandatum exigitur, vide per Speculat. *in tit. de Procuratore. n. 4.* & per DD. *in cap. Qui ad agendum. eod. in 6.*

Nota tamen, quòd etsi unus sit generaliter constitutus, etiam ad ea, quæ speciale mandatum exigitur, per hanc generalitatem non potest procedere in aliquo ex his articulis speciale mandatum exigentibus, nisi quorumdam eorum subsequatur expressio: Mandatum tamen non complectitur majora, quàm sint in Procuratorio expressa; undè contra electum, vel provisum crimina, vel defectum opponere non potest. *Clem. Non potest. eod.* Notatur *in d. cap. Qui ad agendum. eod. in 6. §. Crimina. hoc tit.* Sed in his requiritur aliud speciale mandatum, ut *dd. Jurib.* Et unum advertendum est, quòd Procurator datus ad negotia potest quemcunque alium Procuratorem constituere. *c. 1. §. fin. eod. in 6.* Judiciario tamen illud non conceditur, notat *in l. Mandata. C. Mandati*, nisi aut lis fuerit contestata ab ipso; undè secus esset si à Domino fuisset lis contestata. *d. cap. 1. §. penult.* ubi notat *eod. in 6.* concordat *l. Nulla. & l. Neque. & l. Penult. & l. In causa. ff. eod.* Vel nisi in rem suam datus sit; quod declarat Gloss. *in §. Sed illud. hoc tit.* facit *l. Illam. C. de Donat.* & notat. *in l. Plautius. ff. eod.* Vel nisi à Domino substituendi data fuerit potestas; hoc enim casu videtur datus ab ipso Domino. *l. Item. eorum. §. Decuriones. ff. Quod cujusque Universi. nom.* Et hoc casu etiam non expressam personam poterit eligere. *capit. 1. §. Ergo. eod. in 6.* & de his omnibus loquitur tex. *in d. §. Sed & illud.*

Quò ad Quintum. Procuratores revocantur tacitè, & expressè. Expressè si constituens mandatum revocet. Tacite si Principalis constituto Procuratore causam per se agat, vel alium Procuratorem constituat. §. *Tamdiù. hoc tit. c. Si quem. eod. in 6. l. Si quis. §. Julianus ff. eod.* Hoc tamen non procedit, si Procurator fuerit constitutus à te sub hac forma, quoties te abesse contigerit; nam si postmodum per te ipsum causam tractes; non propterea tamen Procuratorem revocare videberis. §. *Sed si eundem, hoc tit.* notatur *in d. c. fin. eod. in 6.* Verùm hæc procedunt in Domino, qui Procuratorem constituit. Cæterùm si Procurator in eo casu, in quo potest, alium Procuratorem substituat, non potest illum revocare, nisi potestas ei data sit. §. *Hac autem. h. t. c. Is qui. eod. in 6.* & vide *c. primum, eod. in 6.* Et nota, quòd si Procuratorem constituas vel ad unam, vel ad plures causas, vel generaliter ad omnes; & ipse in una, vel altera substituat; in aliis Procuratoris officium poterit exercere. §. *Sed si cum, hoc tit.* Et idem procedit in delegato ab alio, quàm à Principe ad universitatem causarum. *l. Cum Prætor. §. 1. de Jud.* Quatenùs tamen supra dictum est, Procuratorem posse revocari, notare debes, quod si Procurator sive ante, sive post litis contestationem revocetur, donec ignoretur revocatio vel à Judice, vel ab Adversario, acta per hujusmodi Procuratorem tenent, & valent. §. *Ad hæc. hoc nostro tit. c. Mandato. eod.* Hoc nihilominùs limitatur, quando Procurator specialiter est constitutus ad Matrimonium contrahendum; nam, si antequam contrahat, revocatus fuerit; contractum postea Matrimonium nullius momenti est, etiamsi nondum revocatio ad notitiam partium pervenerit: deficit enim consensus illius, sine quo Matrimonium firmitatem habere non potuit. §. *Non sit. h. t. c. fin. eod. in 6.* Sed utrùm Matrimonium contractum per Procuratorem sit etiam Sacramentum? Est dubium magnum inter Theologos, quorum rationes pro utraque opinione ego retuli in meis Decisionibus *de Matrimonio. Decis. 4. num. 33. & seqq.* ubi studiosus Lector videat. Demùm *in §. fin.* nota secundum modum, quo quis Procurator esse desinit: Morte enim constituentis desinit quis esse Procurator. *Clem. fin. eod. tit.* Quod habet locum quandoque etiam re non integra, ut expressè dicitur *in dict. Clem. fin.* Item & ultimo revocatur Mandatum, quando re integra constituentem pœnitet; nam si res non sit integra, sed Procurator mandatum accepit, illud implere tenetur. *cap. Licet. eod. in 6. Clem. 1. eod.* ubi notatur §. *At litteris. h. t.*

Quò ad Postremum. Duæ oriuntur Actiones, Directa, & Contraria. Directa quidem datur Constituenti, & ejus hæredibus. Contraria, è contra, Procuratori, & ejus Successoribus. §. *Igitur. Instit. Civil. de obl. quæ quasi ex contract.* §. *Is, qui exequitur. Inst. de Mandato, &c.* Qui plura scire desiderat de hac Procuratorum materia, legat novissimum, & eruditum Tractatum *de Procuratoribus*, Auctore Fabio Golino, in quo omnia, quæ de illis dici possunt docte, & diligenter enucleantur;

cleantur; prout etiam Pacem Jordanum *Tom. 3. lib. 14. tit. 2.* ubi plene disserit de iisdem.

TIT. III.

De Pactis, & Transactionibus.

CUm visum sit de Judiciis, & de Personis in Judicio agentibus, quoniam meticulosa Res est ad Judicium ire propter dubium eventum litium, unde sæpè res deciduntur sine Judicio, Paciscendo, seu Transigendo; ob id nunc tractatur de Pactis; & Transactionibus; & ita in effectu continuatur *hic in princ.* Pro cujus tituli expeditione videbimus;

1. *Quid sit Pactum?*
2. *Quid sit Transactio?*
3. *Quot sint Pactorum species?*
4. *De quibus Rebus possit transigi, paciscique?*
5. *Qui sint effectus Pactorum, seu Transactionum?*

Quò ad Primum. Pactum describitur, ut *sit duorum vel plurium in idem placitum, atque consensus.* Ita Vulpianus *in l. 1. §. Est autem pactio. ff. eod.* Et dicitur Pactum à Pactione, unde & pacis nomen appellatum est. *d. l. 1. §. Pactum autem.*

Quò ad Secundum. Transactio describitur abeodem Vulpiano *in l. 1. ff. de Transact. Ut sit de Re dubia, & lite incerta non gratuitò facta Pactio.* Etenim Transactio de sui natura requirit, ut aliquid detur, seu promittatur, aut remittatur. *l. Transactio nullo dato. C. de Transact.*

Quò ad Tertium. Variæ sunt Pactorum species; sed istæ duæ præcipuæ sunt: Vel enim alia dicuntur *Pacta legitima*, quæ fiunt secundùm Legis dispositionem; *Alia illegitima*, quæ à lege reprobantur, & inutilia sunt. *l. Pacta, quæ contra. C. de Pact.* Item pacta quædam in personam dicuntur, & sunt illa, quæ cum persona particulari sunt inita, nec personam egrediuntur. Quædam verò in rem nominantur, quæ fiunt rei consideratione DD. *in Rubric. ff. de Pact.* Et quando pacta sint utilia, & quando inutilia, vide Goffr. *in sua Summa in Rubr. de Pactis.*

Quò ad Quartum. De omnibus rebus paciscipossumus, vel transigere, nisi aliquæ sint, quæ prohibeantur: Unde etiam traditur pro Regula, quod regulariter pacta, inter quoscunque de re quacunque inita, sunt servanda. *§. Et quidem hoc tit. c. Qualiter. ext. eod. de Pactis. l. Jurisgentium. §. Ait Prætor. ff. eod.* Excipiuntur tamen nonnullæ res: & Primo pactum non valet, si apponatur super re, quæ non est in rerum natura. *l. Domum. ff. de Contrahen. empt.* Item non valet pactum interpositum super aliqua re, quæ non sit in nostro comercio; unde liber homo, Res sacra, Religiosa, & Sancta non potest in pactum deduci. *§. Idem Juris. Inst. de inut. stipul. l. Impossibilium. ff. de Reg. Jur. l. Inter stipulantem. §. Sacram. de Verb. oblig.* Item cessat Pactum in collatione Rerum Spiritualium. *cap. Quam pia 1. q. 1. cum concord.* Item Pactum de futura successione in Ecclesia Dei reprobatur. *c. Accepimus. extr. eod.* Item Pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de Jure, vel de facto nullam inducit obligationem. *§. Quod si. hoc tit. cap. fin.* ubi de hoc, *extr. eod.* Sed tamen quandoque Juramento firmatum valet, etiamsi aliàs non valuisset, ut si filia, dum nuptui traditur, cum Patre paciscatur, ut dote contenta, ad bona paterna nullum habeat regressum, si Juramento vallatum sit, servari debet; quod aliàs de Jure Civili non valet. *l. Pactum quod dotali. C. de Pactis. l. Pactum quod dotali. C. de Collat.* Et *§. eod. hoc tit. c. Quamvis. eod. lib. 6.* Hoc fallit in casu *c. Si diligenti. de Foro compet. c. Tua. de Jure juram. & l. Non dubium. C. de Legib.* Item si agatur de eligendo sibi successorem per Pactum in beneficio Ecclesiastico contra *d. c. Accepimus*, auctoritas Papæ potest facere, ut tale pactum valeat, *cap. Petisti. 7. quæst. 1.* Et per Abb. *in d. cap. Accepimus.* Quamvis Papa non possit sibi Successorem eligere secundùm Abb. *in d. cap. Accepimus.* Verùm quia præter supradictas causas aliæ quamplures sunt, in quibus pactum non valet, ideò de his videndum est *in cap. 1. & d. c. fin. eod.* Ad idem etiam videndus est titulus *in Institut. Civil. de inutil. Stipul.* Porrò, quæ pacta fieri possunt in permutatione beneficiorum inter eosdem compermutantes; & quæ non? plenè ostenditur in meis Discordiis Forensibus *de Beneficiis. Discord. 51.* nec non *de Jurisdictione. Discord. 51.* quas Juvenem studiosum legere non pigeat, ut cognoscat, quæ Pacta sint valida? & quæ Simoniaca?

Quod autem dictum est de Pactis, idem habet locum etiam in Transactionibus; itaut de omnibus rebus regulariter transigatur, nisi aliquæ prohibeantur. *§. Transactiones. h. t. c. 1. extr. de Transact.* Transactio autem non valet facta super re spirituali. *c. Constitutus. cap. Super eo. & cap. Præterea. extr. de Transact.* quamvis amicabilis compositio valeat etiam super re hujusmodi: ita traditur *in d. c. Super eo.* & ibi Abb. Nec super re litigiosa, nec super causa Matrimonii licitum est transigere. *cap. fin. de Transact.* Quos enim Deus conjunxit, homo non separet, *cap. Quos Deus 33. q. 2. c. Inter corporalia. de Translat. Prælat. & §. fin. h. tit.*

Quò ad Postremum. Effectus Pactorum est, ut obligationem inducant: Nullus enim ea, quæ de labiis suis procedunt, debet facere irrita. *§. Et quidem. h. tit. cap. Juramentis. 22. q. 5.* Et alibi studiosè agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur. *c. Qualiter. extr. de Pactis.* Et hoc adeò verum est, ut etiam Indultis Apostolicis per Pacta potest derogari. *§. Quod quidem h. t. cap. 1. de Pactis in 6.* Quod habet locum non solùm in pacto, quod subsequitur Privilegium. *cap. Cum Olim. de Præscript.* Sed etiam de pacto antecedenti, nisi in Indulto fiat mentio de pacto. *cap ex multiplici. de Decimis. Clem. Dudum. de Sepult.* Transactionis autem effectus est, ut finem litibus imponat. *c. 1. de Transact.* Unde etiam Sententiæ æquiparatur. *l. Non minorem. C. de Transact.*

TIT. IV.

De Arbitris.

QUoniam, ut Judicia evitentur, sæpè evenit, ut partes communi consensu ad arbitros declinent, *§. 1. supr. tit. prox.* ob id nunc de Arbitris tractatur; & pro expeditione Tituli videbimus:

1. *Qui sint Arbitri?*
2. *Qui possint esse Arbitri?*
3. *Quirem in Arbitris committere possint?*

4. Qua

4. *Quæ possint compromitti?*
5. *Quid sit Compromissum?*
6. *Quando expiret?*

Quò ad Primum. Arbitri propriè dicuntur, qui nullam potestatem habentes consensu litigantium in Judices eliguntur; in quos compromittitur, ut eorum sententiæ stetur. §. 1. *hoc tit. cap. A Judicibus. 2. q. 7.* extat *tit. de Arbitris.*

Quò ad Secundum. Regula est generalis, omnes posse esse Arbitros, nisi ratio specialis aliquos prohibeat. §. *Cæteri. hoc tit. cap. Inter corporalia. de Translat. Prælat. l. 3. §. Tametsi. & l. Pedius. cum l. seqq. ff. eodem.* Prohibentur autem primo loco Servi, & Monachi, & Regulares. *d. l. Pedius. §. 1. cap. Monachi. & cap. De præsentium. 16. q. 1.* Hæretici, Apostatæ, Schismatici, Infideles, & Excommunicati propter proprium delictum. §. *Sed neque. hoc tit.* Et quamvis non sint Jura, quæ de his expresè loquantur, attamen ex mente Jurium ferè indubitata opinamur communiter, non posse hos Arbitros fieri, ut tradit Perus. *in suo Tractat. de Arbitr. lib. 4. cap. 6. & cap. 9.* Item Laici super re spirituali regulariter non assumuntur, nisi eis sit Clericus adjunctus; vel in eos Auctoritate Apostolica compromittatur. *§. Sed nec. hoc tit. c. Cum contingit. c. Per tuas. eod.* Et nota, quòd Laicus prohibetur esse Arbiter in re spirituali ratione honestatis; unde tollitur contrarium *in d. l. Pedius;* ubi Servus non potest esse Arbiter, etiamsi alius habilis ei associetur: Cui contrario respondetur; id ex eo esse, quia Servus est mere incapax; ita Abb. *in d. c. Per tuas.* Huc accedat, quòd neque Fœmina potest esse Arbiter, nisi hoc permittat regionis consuetudo. *§. Fœmina. h. t. cap. Dilecti. ext. eod.* Hoc autem, quod de consuetudine dicitur, intelligitur de Mulieribus præexcellentibus, & nuptis Viris Principibus, ita quòd Principatus pertneat ad Virum: nam si Mulier haberet Principatum proprio Jure, tunc non indigeret consuetudine, sed esset Jure communi munita, ut per Abb. & Innoc. *in d. cap. Dilecti.* Et ex supradictis etiam adverte, quòd Mulier non prohibetur judicare ratione incapacitatis, sed propter honestatem, quod patet ex eo, quia per consuetudinem potest id facere. *arg. c. Quanto. de Foro compet. & cap. Causam. de Præscript.* Et tandem observa, quòd etiam in Judicem ordinarium, vel delegatum possumus compromittere. *§. Sed etsi. hoc t. cap. Olim. c. Innotuit. eod. cap. Nisi. de Præbend.*

Quò ad Tertium. Regula itidem generalis est, posse omnes proprias causas in Arbitros compromittere, dummodo sint ætatis legitimæ, & plenum habeant Judicium; & possint de Re, seu Actione ad libitum disponere. Hinc Servus, Monachus, & similes compromittere non possunt. *d. cap. Monachi. d. c. De præsentium. 16. q. 1.* Et plenius, quæ personæ non possint compromittere, vide per D. Jo. Bapt: Perus. *in suo egregio Tractatu de Arbitr. in 2. libr. per tot.*

Quò ad Quartum. Regulariter de omnibus causis potest fieri Compromissum, nisi speciali ratione aliquæ majores prohibeantur. Et primò prohibentur causæ liberales. *c. penult. eod. l. Non distinguemus. §. De liberali, eod.* Matrimoniorum. *c. Causa in fin. de Restit. in integr. §. Quod autem. hoc tit.* Filiationum. *l. Abdicatis. C. de Patr. pot.* Monachationum; ut per DD. *in d. l. Non distinguemus. d. §. De liberali.* Restitutionum. *l. fin. C. Ubi, & apud quem d. c. Causa in princ.* Criminales. *d. c. causa, d. l. Non distinguemus. §. Julianus.* Et in quantum hic dicitur de Matrimonio, intelligendum est de Matrimonio carnali; nam de spirituali clarum est, quòd potest compromitti. *cap. Quia propter. de Elect. d. §. Quod autem.* Et de hac materia vide eundem Perus. *in d. suo Tract. lib. 3. per totum.*

Quò ad Quintum. Compromissum, quod est quædam species transactionis, & Judicium imitatur. *l. 1. ff. de Recept. Arbitr.* nihil aliud est, quàm amicabilis quædam conventio, qua difficultas arbitrio amici, vel amicorum communium decidenda committitur ex partium consensu, & voluntate. *l. 3. ff. eod.*

Quò ad Postremum. Solvitur Compromissum: Primò Sententia, quando scilicet de omnibus, de quibus compromissum fuerit, Arbiter pronunciavit. §. *Finiuntur. hoc tit. l. Quid tamen. ff. eod.* Secundò Temporis lapsu, quando scilicet terminus compromisso comprehensus re infecta labitur. §. *Lapsu. hoc tit. l. Si cum dies. ff. eod.* Item finitur Morte tam compromittentium, quàm Arbitrorum, quàm Arbitrorum, nisi specialiter in compromisso sit facta mentio hæredum ipsorum compromittentium. *cap. Ex parte. eod.* Et quod dicitur de Arbitris habet locum, etiam si unus tantùm mortuus sit, nisi aliud sit expressum in compromisso; nam expirat compromissum quò ad omnes. *c. Uno delegatorum.* ubi notatur *de Off. delegat.* Verùm quia multis aliis modis compromissum finitur; ideò de his plenissime poteris videre apud eundem Perusinum *in dict. suo Tract. de Arbitr. lib. 13. per totum.*

TIT. V.

De in Jus vocando.

QUoniam, si partes neque Pactionibus, neque Transactionibus, aut Compromissis concordes reddi possint, ad Judicium veniendum est, cujus initium & in Jus vocatio, nempè Citatio. §. *Omnium. hoc tit. §. fin. Instit. Civil. de Pœna tem. litig.* Ob id de hac materia in præsenti titulo tractatur; circa cujus explicationem videbimus:

1. *Quid sit in Jus vocare?*
2. *Qui possint in Jus vocare?*
3. *Qui vocari?*
4. *Quibus ex causis vocatio nulla fiat?*

Quò ad Primum. In jus vocatio est Juris experiundi causa vocare. *l. 1. ff. eod.* Atque vocatio in Jus est principium Judicii, ut jam dixi.

Quò ad Secundum. Illi omnes possunt in Jus vocare, qui possunt in Judicio esse, & reverentiam non debent; quoniam qui reverentiam præstare debent, si vocant, tenentur priùs veniam impetrare; ut est Filius, Libertus, & similes personæ *l. 4.* cum aliquibus sequentib. *ff. eod.*

Quò ad Tertium. Possunt itidem in Jus vocari hi omnes, cum quibus Judicium esse potest, & qui legitimam habent personam standi in Judicio. *l. 1. & tot. tit. C. Qui legit. person. habent standi, &c.* Hinc pupillus, servus inutiliter vocatur. *l. 1. C. Qui legit. pers. l. Servus. C. de Judic.*

Quò ad Ultimum. Illud in primis est sciendum, necessariam esse vocationem in Jus, quia non potest aliquis non vocatus, & indefensus damnari. *l. Absentem. ff. de Pœn. l. De unoquoque. ff. de Re jud.* Attamen ista vocatio redditur nulla ex quatuor causis. Primò ex personæ qualitate, veluti si quis vocetur comparere coràm Judice non suo. §. *Fit aut. h. t. c. Ex litteris. De Offic. deleg.*

Est

Est tamen verum, quòd si quis fuerit citatus coràm Judice competente, licèt efficiatur alterius Fori, tamen quasi præventus tenetur comparere coràm eo Judice, à quo vocatus est. *§. Si tamen, hoc tit. l. Si quis postea. ff. de Judic. l. Cum quædam. ff. de Jurisd. omnium Jud. c. Proposuisti. de Foro compet.* Ex quo apparet per citationem perpetuari Jurisdictionem tam ordinarii, quàm delegati. *c. Gratum. & c. Licet. de Offic. delegat. & c. fin. de Off. legat.* facit *c. Ut debitus. de Appellat.* Sed de veritate hujus dicti videbimus tunc, quando exactiùs Judiciorum materiam pertractabimus. Quandoque etiam ratione personæ Rei citatio fit nulla, ut est quando quis ad instantiam spoliatoris, etiam coram suo Judice, citatur; namque non tenetur comparere, nisi priùs ad omnia canonicè restituatur. *§. Idem Juris. hoc tit. c. 1. & c. Priùs 3. quæst. 2.* Alia exempla similia vide *in l. 2. & l. 3. ff. eod.* Secundò citatio fit nulla ex loci conditione, veluti si quis vocetur extra territorium, aut in locum non tutum, vel pestilentem. *§. Locus. hoc tit. cap. De cætero. de Sent. excomm. in l. Finali. ff. de Jurisdict. omn. Judic. c. Ex parte, de Appellat. c. Accedens. Ut lit. non contest.* Et nota, quòd adeò verum est, aliquem non teneri comparere, si citetur extra suam Jurisdictionem, ut secundùm quosdam citatio neque ex partium consensu possit convalescere: ita notatur *in cap. Statutum. §. In nullo de Rescript. in 6.* Hoc tamen non habet locum in terminis. *Clem. 1. de Foro compet.* Sed quæritur an citatio ad locum incertum dicatur ipso Jure nulla? Et videtur quòd sic, cùm tali casu perindè sit, ac si nullus locus constitututus fuisset. *l. De ætate. §. Nihil. ff. de Interrog. act.* Verùm dicas, hanc citationem non esse ipso Jure nullam, nisi omninò sit incertus locus; undè si citatus fuerit quis ad Villam; & sint plura nominis ejusdem loca, ut *in c. fin. de Rescript.* hoc casu citatio non est nulla, sed citatus tenetur comparere in locum, in quo consuevit. *l. Si locus. ff. de Judic. l. Si cum dies. §. Si arbiter. ff. de Arbitr.* & habetur *in d. cap. fin. de Rescript.* Tertiò fit vocatio nulla ex temporis ratione; veluti si quis vocetur Tempore feriato in honorem Dei, quia tunc Temporis Judicia debent silere. Abb. *in cap. fin.* per illum text. *de Feriis. §. Sed etsi. hoc tit.* Aut si inter angusta nimis tempora quis fuerit vocatus *c. 1. §. q. 2. & cap. Primates,* & per totam illam *quæst.* Sed quæritur quid Juris sit in actibus extrajudicialibus, & Jurisdictionis voluntariæ; an possint expediri diebus feriatis? Et in hoc concludendum puto, quòd ad hoc ut teneant, possunt expediri etiam diebus feriatis. *l. Actus. G. de Feriis,* sed tamen, qui id faciunt, peccant mortaliter: ita dicit Abb. *in c. fin. de Fer. n. 18.* Gloss. *in d. §. Sed etsi. hoc tit. in Verb. quæstiones;* quæ etiam refert de Illustrissimo Flavio Ursino, qui postea fuit Cardinalis, qui in Collegio Perusino fuit præsentatus in die feriata, nempè in die S. Angeli, & etiam de Illustrissimo Andræa Matthæo Aquaviva Episcopo de Venafro, qui fuit Doctoratus in festo S. Augustini. Excipiuntur tamen quidam casus, qui etiam diebus feriatis possunt expediri: ut quando necessitas id expostulat; cujus rei plura exempla habemus *in l. 1. 2. & 3. ff. de Feriis.* facit *l. 1. ff. de Damn. infect.* Vel pietas id requirat, ut quia causa sit miserabilium personarum; in operibus enim Misericordiæ non est habenda distinctio dierum. *arg. cap. Ultimam, d. 76. cap. Nunquàm. d. 5.* Et alii etiam casus similes enumerantur ab Abb. *in cap. fin. de Feriis;* qui his versibus concluduntur:

Hæc faciunt causas Festis tractare diebus;
Pax: Scelus admissum: Manumissio: Res peritura:
Terminus expirans, Mora testis abesse volentis:
Cumque potestatis patriæ Jus filius exit.

De quorum versuum declaratione, Abb. & alii *in d. c. fin.* & nota, quòd neque consensu partium præter has causas, processus factus tempore feriato potest tenere. *d. §. Sed etsi, d. c. fin.* Est tamen verum, quòd si Feriæ fuerint introductæ in gratiam hominum, possunt partes iisdem feriis renunciare: hujusmodi sunt feriæ messium, & vindemiarum. *§. Aliud h. t. d. cap. fin.* & ibi Abb. & alii. Item & operæ rurales ob necessitatem possunt exerceri. *l. Omnes. C. eod.* & Abb. *in d. c. fin.* Item nota, quòd quædam sunt Feriæ repentinæ, quæ de repenti inducuntur propter res prosperè gestas à Principe, vel propter nativitatem filii ipsius Principis, vel quia duxit uxorem; & hæc quoque sunt observandæ, nec ipsis partes renunciare possunt. Gloss. *in Clem Sæpè. de Verb. signif. in Verb. necessitates. l. Sed etsi per Prætorem. §. Feriæ. ff. Quibus ex causis majores.* Atque istæ Feriæ non possunt induci ab alio, quàm à Principe. *l. A Nullo C. de Feriis.* His tamen non obstantibus crederem, partes exercere posse actus omnes extrajudiciales & voluntariæ Jurisdictionis; & ideò possent contrahere, manumittere, emancipare, & alia similia exercere sine peccato; nam quò ad hunc effectum aliud censendum est de Feriis, quæ ad honorem Dei sunt inductæ, & de illis, quæ respectu Hominis. Facit *l. Actus. C. eod. de Feriis.* Et de hac materia vide pleniùs per Abb. *in d. c. fin. de Feriis.*

Quartò vocatio fit nulla ex forma citationis, veluti si quis vocetur à Judice delegato, & in litteris non doceatur de delegatione; vel si Judex delegatus non habeat proprium auditorium, & in citatione locum, ubi citatus se exhibere debeat, non expresserit; vel si ultra duas dietas ipsum citaverit. Et nota, quod Dieta potest capi, vel secundùm computationem legalem, prout pro quaque die citato viginti milliaria computantur. *l. Vicena. ff. Si quis cautionibus.* Gloss. *in c. Nonnulli de Rescript.* Vel etiam secundùm consuetudinem loci, prout pro quaque die certus milliarium numerus computatur. Et Gloss. *in d. c. Nonnulli,* tenet, quòd in casu nostro Dietæ capiantur secundùm loci consuetudinem: per rationes ibi per eam allegatas, & per Jura, quæ affert. Et pro hac parte facit tex. *in cap. Præsenti. §. Loca. de Præbend. in 6.* & vide Gloss. *in cap. Statutum. §. In nullo. in verb. Dietam. de Rescript. in 6.* Sed de hac materia vide per Speculat. *in tit. de Citat. §. 1.* Item etiam fit nulla citatio, si aliquid in ea sit prætermissum, quod debuerit exprimi; ut puta causa, quare sit citatus *cap. ultim. 5. quæst. 2.* Circa quod Judex debet esse circumspectus, ad hoc ne Judicia fiant illusoria. *cap. Causam, de Judic.* Bart tamen post tractatum *de Jurisdictione. ibi Casus, in quibus citatio non valet,* præter supradictos casus, alios refert, in quibus citatio non valeat; ut est quando Judex, qui citat, evidenter non sit Judex. *cap. Ex litteris. ext. de Offic. deleg.* Si

Rescriptum Apostolicum non servatur. *c. Insinuante, de Off. delegat.* Si appareat Judicem esse inimicum. Si libertus citet Patronum. *3. quæst. 3. §. Liberti.* Ubicunque quis evidenti exceptione se tueri potest. *l. Non videtur. ff. de Jud.* Unde si dubium sit, debet comparere ad allegandum Privilegium *cap. Si duobus. extr. de Appellat. l. Ex quacunque. Si quis in Jus vocat. non ierit. l. Si quis ex aliena. ff. de Jud.* Scias tamen secundùm Bartolum in dicto loco, quòd si citatio nulla sit, & citatus non defendatur, proceditur ad ulteriora. *l. Si reus. ff. Judic. solvi.* Et hos omnes casus poteris videre *in cap. Si Episcopus. 3. quæst. 2.* Quòd si citatio sit facta ritè, & justè, debet citatus comparere, nisi fuerit legitimè impeditus; ut si facto Adversarii fuerit impeditus, aut ad majus Tribunal vocatus; vel vinculis, aut infirmitate, vel aliis similibus causis detentus. *cap. Ex litteris. De in integr. restit. cap. Pastoralis. §. 1. de Off. deleg. l. Contra pupillum. §. 1. ff. Si quis caut. l. Succurritur. ff. Quibus ex causis major. cap. Si Episcopus. d. 18.* cum ibi not. Et casus similes refert Speculator *in d. tit. de cit. d. §. 1.* & per Abb. in sua Practica *cap. 17. Vers. & mult.* & per Felin. & alios *in cap. Cum olim. de Re Judic.* & de his loquitur tex. *in §. fin. hoc tit.* Est tamen verum, quòd si hoc contigerit, debet citatus mittere ad Judicem ad faciendam Fidem de Impedimento, ut per Abb. & alios *in cap. Querelam, de Procurat.* Quo facto si sententia feratur à Judice, non valet; ut per Abb. *dicto loco*, cessante autem impedimento debet comparere. *cap. Dilecti, de Dolo, & Contumac.*

Sed ne aliquam partem textus intactam relinquamus, *ex §. Item in delegato*; nota, quid agendum sit à Delegato, si Jurisdictio ejus expirat in peremptorio. Pone enim, quòd Delegatus peremptoriè aliquem citaverit, & iste pro statuta die contumaciter se absentaverit, in hac specie, si post peremptorium durat Jurisdictio, in alteram diem æquitate suadente, Judex poterit expectare; nec tamen peremptorio elapso pars contumax citanda erit, nisi Judex gratiam facere voluerit; quod mirum videtur, tantum Judici concedi, ut in præjudicium alterius possit contumaci favere. *l. 1. C. Quomodo, & quando Judex. l. Si cum dies. §. Si quis ex litigatoribus. ff. de Arbitr.* Verùm quamvis Judex possit favere in ferendo sententiam termino constituto, non tamen potest ei favere in expensis, & sumptibus, alioquin de suo restituet expensas. *l. Sancimus. C. de Jud.* Quòd si cum peremptorio expiret Jurisdictio, tunc ne auctoritas ipsius Judicis frustra evanescat, si citatus non se præsentaverit hora, quâ congruè procedi potest, ad executionem Judex libere poterit procedere; *concord. tex. in cap. Consuluit. de Offic. deleg.* & ibi Abb. Qui ex hoc infert, quòd Canonicus citatus ad electionem faciendam certa die, debet comparere de manè, quia electio solet fieri illa hora propter Missam Spiritus Sancti; ut notat. *in cap. Cum nobis, de Elect.* Itaque in casu nostro citatus certa die, debet comparere hora, qua Judex non solùm potest, sed etiam solet Judicare: facit *l. Quod si nolit. §. Quia assidua. ff. de Ædil. edict. & cap. Ex litteris. de Constit. l. penult. de Justit. & Jur.*

TIT. VI.

De Dolo, & Contumacia, & in possess. missione.

QUoniam illi, qui in Judicium vocati non comparent, contumaciam incurrunt, ob id nunc de Dolo, & Contumacia disseritur: & pro tituli expeditione videbimus:

1. *Quid sit Dolus?*
2. *Quid sit Contumacia?*
3. *Quis Contumax dicatur?*
4. *Quid Missio in possessionem sit?*
5. *Quomodo Contumacia puniatur?*
6. *Qui sint effectus Contumaciæ?*

Quò ad Primum. Dolus est Machinatio quædam ex mente adhibita ad alium circumveniendum. *l. 1. §. Dolum. ff. de Dolo.*

Quò ad Secundum. Contumacia est inobedientia ex proposito commissa contra Judicem, vel habentem Jurisdictionem; & interdum est crimen gravissimum. *l. Omnè. §. Contumacia. ff. de Re milit.* Et hæc definitio traditur *hic in princ.* & eam sequitur Aret. *in Summa eod.* & Abb. *in sua Practica cap. 18. Quis sit contumax?*

Quò ad Tertium. Ille dicitur Contumax, qui cum fuerit vocatus Juridicè ad Judicium, nullo existente legitimo impedimento, comparere negligit, aut si fortè comparuerit, non dimissus discedit, *ut hìc in princ.* Abb. *in cap. Consuluit. de Offic. deleg. Vers. & ideò.* Et ad hoc ut contumacia incurratur, debet adversarius accusare. *l. Properandum. §. Etsi quidem. C. de Judic.* ubi Bald. *l. Consentaneum.* & ibi Bart. *C. Quom. & quand. Judex.*

Quò ad Quartum. Missio in possessionem est Judice auctore controversi fundi apprehensio quædam, cujus virtute fructus ab eo, qui in possessionem missus est, percipiuntur; qui si fortè ante annum malè consummuntur ab actore, ponuntur apud sequestrum. *cap. Dilectus. & c. Ab eo. ext. de Sequest. poss. & fruct. §. Sed si missus. hoc tit.*

Quò ad Quintum. Variis modis contumacia punitur, ut *in §. Hæc autem, hoc tit.* Abb. *in c. Gravem. de Sent. excomm.* Primò punitur litis damno, & causæ amissione. *l. Contumacia. ff. de Re Judic.* Interdùm punitur mulcta quadam *l. 1. ff. Si quis. Jus. dic. non obtemp. l. 1. ff. Si quis in Jus voc. non ierit*; & hæ duæ pœnæ non habent locum nisi in vero contumace, ut per DD. *in dict. l. 1. §. fin. Si quis in Jus.* Quis autem sit verus contumax, vel fictus? tractant Legistæ *in l. fin. de Restit. in integr. & in d. l. Properandum. §. Si autem Reus. C. de Jud.* Interdùm verò punitur refectione impensarum. *l. Sancimus. C. de Judic.* Aliquando rei sequestratione. *cap. 3. de Dolo, & Contum.* Interdum Actor mittitur in possessionem earum rerum, de quibus controversia est. *c. fin. de Eo, qui mittitur in possess. cap. Quoniam frequenter. §. fin. Ut lit. non contest.* Et tandem aliquando Ecclesiasticæ Censuræ innodatione ob contumaciam Reus conventus afficitur. *d. c. Quoniam frequenter. c. 1. eod in 6.* Hoc tamen hodie est correctum per Concil. Trident. *sess. 25. in Decret. Reform. cap. 3.* ubi statuitur, ad hanc pœnam tunc demùm veniendum esse, quando adversùs Reos non potest nec realis, neque personalis executio fieri.

Quò ad Postremum. Varii sunt effectus Contumaciæ præter pœnas, de quibus suprà dictum est: Et in primis efficit, ut mittatur Actor in possessionem earum rerum, de qui-

quibus est controversia, ut dixi: Vel tot bonorum, quæ sint in patrimonio Rei, quot sufficiant ad debitum, si personalis instituatur Actio; & hæc possessio fit custodiæ causa. *d. cap. fin. de Eo, qui mittit. in poss. d. c. Quoniam frequenter. §. Illud quoque. hoc tit.* Et si fortè non compareat Reus post annum, Actor fit verus possessor. *d. c. Quoniam frequenter. in §. fin.* Et hoc in tantum est verum, ut etiamsi ob potentiam Adversarii non potuerit Actor possessionem ingredi, aut illam amiserit, nihilominus pro vero possessore habeatur. *§. Si tamen. hoc tit. c. Contingit. eod.* Nisi reus dederit cautionem de standoJuri, nam tunc illicò erit restituendus. *c. Cum venissent. de Eo, qui mittit. in possess.* Et etiam post annum poterit recuperare possessionem. *§. Sed ne missus. hoc tit. cap. Pastoralis. §. Præterea. de Off. Ord.* & Abb. *ibi.* Vel nili steterit per ipsum Actorem, quominùs possessionem ingrediatur; quoniam paria sunt aliqua per me non fieri, atque per me stare, quo minùs fiant. *§. Idem Juris, hoc tit. cap. Imputari. de Reg. Jur. in 6. cap. Quia diversitatem. De Concess. Prabend.* Alter effectus est, ut excommunicatus fortè propter contumaciam à delegato Princeps non possit absolvi ab Ordinario. *§. Quæri. hoc tit. d. c. Pastoralis. §. Præterea. de Offic. Ordin.* quia Delegatus quò ad hoc est Ordinario major, *c. Sanè, de Offic. delegat. d. §. Præterea.* Nisi in mortis articulo; ut *dd. Jurib. c. Quod de his. de Sent. excommunic. cap. Sanctum. de Consecr. d. 4.*

Notandum tamen est, quòd in causis beneficialibus non habet locum missio in possessionem; & ideò si quis super dignitate, personatu, vel beneficio Ecclesiastico obtinendo cum aliquo litigat, qui sit in possessione, ob partis adversæ contumaciam in possessionem mittendus non erit. *§. Sed ista. hoc tit. c. Unic. de eo, qui mittit. in possess. in 6.* Hoc tamen restringitur, ut habeat locum in beneficialibus tantùm; unde si agatur de Rebus Ecclesiæ non tanquàm de beneficio, sed tanquam de proprietate, habet locum hæc missio. *c. 1. Ut lit. non contest. cap. Dilecto. de Verb. signif. d. c. Unic. de Eo, qui mittitur in possess.* Ratio verò primi dicti est, ne hoc modo ad ea ingressus pateat vitiosus. *d. cap. Unico.* Non enim istius modi res possunt ex possessione haberi, sed solùm ex canonica institutione. *c. Legum. 2. q. 1. c. Ex frequentibus. de Instit. c. 1. de Regul. Jur. in 6.* Nihilominùs in beneficialibus etiam lite non contestata contra contumacem potest procedi. *§. Licebit. h. t. d. cap. Unico. c. Quoniam frequenter. §. 1. Ut lit. non contest. c. 2. de Dolo, & contum. in 6.* Unde etiam videtur tradi pro regula, quod ubi de remedio missionis in possessionem non est provisum contra contumacem absentem, potest procedi lite non contestata ad Sententiam definitivam (Missio enim in possessionem est adinventa, ut reus conventus, tædio affectus, veniat aliquando responsurus. *d. §. Illud. cum concord. sup. allegat.*) ut per Bartol. *in Auth. Qui semel. C quom. & quand. Jud.* Atque hoc etiam quandoque habet locum etiam in profanis negotiis; cum hac distinctione tamen; nam aut Reus est contumax? & tunc requiritur litis contestatio; & etiam debet liquere de causa; aut verò Actor ipse contumaciam incurrit? & hoc casu etiam lite non contestata, instante Reo, Judex & testes recipere, & sententiam ferre debebit. *§. Quod interdum. hoc tit. cap. Prout. extr. eod.* ubi notatur de aliis remediis, quæ contra reum dantur; & de hoc tractat Bartol. *in l. Consentaneum. C. Quom. & quand. Jud. cap. Causam*; secundùm communem intellectum, *ext. eod.* Ratio autem hujus differentiæ inter Reum contumacem, & Actorem est, quia major est contumacia Actoris, quàm Rei; & ad hoc reducuntur omnes rationes, quæ adducuntur à DD. & à Gloss. *in d. c. Causam.* Tandem contumacia id efficit; ut Actor si non venerit in termino, ad quem Reum fecerit citari; debet Reo reficere expensas, & cavere de comparendo in posterùm, aliàs non admittitur ad aliam citationem. *§. Idem quoque. hoc tit. cap. 1. eod. in 6.* Attamen quamvis plures sint pœnæ introductæ adversùs contumacem; una tantùm infligenda est; & si contumacia excrescat, potest etiam ad alias procedi. *§. fin. hoc tit. c. Prodest. 24. q. 3. l. fin. C. de Mod. mult.* & Abb. *in cap. 1. de Pœnis.* Hodie tamen forma procedendi traditur per Concilium Tridentinum *d. sess. 25. in Decret. Reformat. cap. 3.* quod in Foro Ecclesiastico est omninò attendendum, & exactè observandum.

TIT. VII.

De Libelli conceptione, & oblatione.

QUoniam comparente Reo tenetur Actor libellum edere; ob id nunc de Libelli conceptione, & oblatione tractatur; & pro tituli expeditione videbimus:

1. *Quid sit Libellus?*
2. *Quot sint Libellorum species?*
3. *Cui Libellus sit offerendus?*
4. *In quibus causis Libellus offerri debeat?*
5. *Quæ debeat Libellus continere?*

Quò ad Primum. Libellus nihil aliud est, quàm brevis quædam scriptura, Actoris intentionem continens, & adversùs Adversarium necessariò concludens; ut *hìc in princ. cap. Offeratur. 3. q. 3. Auth. Offeratur. C. de Lit. contest.* & per Abb. *in c. 1. eod.*

Quò ad Secundum. Duæ sunt Libellorum species. *§. Porrò, hoc tit.* Alii enim dicuntur Conventionales, alii dicuntur Accusatorii. Conventionalis Libellus est ille, qui in causis civilibus producitur, & quo petitur, ut Reus conventus ad solvendum, vel dimittendum, vel faciendum condemnetur. Accusatorius Libellus est ille, qui in causis criminalibus porrigitur, & in quo petitur, ut quis tanquàm alicujus criminis reus condemnetur. Gloss. *in c. 1 extr. de Libell. obl.* & ita distinguit Speculator *de Libell. concept. in c. Quot sunt species Libellorum.* De Libellis accusatoriis non tractatur in nostro titulo, sed videbimus infrà *de Accusationibus*; & de Jure Civili est textus *in l. Libellorum. ff. de Accusat.* & ibi latissimè per Bart. tractatur materia; & est *tex.* de Jure Canonico *in c. Legum. 2. q. 1. & c. Libellorum. eod. Caus. q. 8.* Itaque in titulo nostro debemus tantummodò verba facere de Libellis conventionalibus.

Quò ad Tertium. Libellus Reo offertur ad hoc, ut ex ipsius inspectione possit Reus deliberare, utrùm cedere velit, an contendere? atque si contendendum sit, ut Judex valeat despicere, quemadmodum à se concipienda sit sententia. *d. Auth. Offeratur. l. fin. C. de Fidei com lib.* DD. *in l. Vinum. ff. Si cert. petat. l. Ut fundus. ff. Communi divid. c. Cum dilectus. de Ord. cogn.* & est *tex. hìc in princip.*

Quò ad Quartum. Regulariter in omnibus causis Libelli sunt offerendi; sed nonnulli sunt casus, in quibus Libelli solemnitas non est necessaria. Primus est in causis summariis, & in quibus proceditur sine strepitu Judicii. *Clem. sæpè de Verb signif.* Vel si causæ sint viles. *Auth. Nisi breviores. C. de Sent. ex breviloq. recit.* Tertiò si ex consensu partium fuisset remissa hæc solemnitas, vel si hoc de Consuetudine introductum sit, ut non detur Libellus: Sunt & alii plures Casus similes, quos refert Speculator *in tit. de Libelli concept. in cap. In quibus casib. vel causis sit offeren. Libell. vel non in 3. par. sui Operis.*

Quò ad Postremum. Libellus ab Actore edendus debet continere nomen Actoris, & Rei, qualitatem actionis, & petiæ rei, & etiam nomen Judicentis, quod non intelligas nomen proprium, sed nomen dignitatis, & officii; & si personali actione agendum erit, petendi quoque causa erit exprimenda; aliàs Reus respondere non tenetur. *§. Exprimet. hoc tit.* latè per Hostien. *in Summa eod. §. Quod continere debeat cap. Querelam. de Elect.* Et si Libellus non contineat legitimam formam, eum poterit Judex concerpere, & destruere *cap. Sacerdotibus*, & ibi Gloss. *in verb. incendit. 11. q. 1.*

Formam autem Libelli potes legere expressam in his versibus sequentibus:

Quis, Quid, coràm Quo, quo Jure petatur, & à Quo?
Rectè compositus quisque Libellus habet.

Vel Clariùs:

Conventi nomen cum nomine Convenientis,
Judicis & nomen scribet, Causamque petendi,
Et quascunque petet res, illas scribere debet.

Oblato tamen Libello, dandæ sunt Reo dilationes: ut deliberet, cedendum sibi sit, an contendendum? Acceptandus, an recusandus Judex? & denique ut proponat, si quas habet, exceptiones. §. *Oblato. hoc tit. de Auth. Offeratur*; & istæ Induciæ remittuntur arbitrio Judicis. Abb. *in cap. Cum in veteri. Quint not. de Elect.* Hoc tamen intelligas de Induciis legitimis: quæ enim propter calumniam petuntur, & ad Judicium subterfugiendum, non conceduntur; immò contra petentem præsumptionem faciunt. *cap. Nullus ext. de Præsumpt.*

TIT. VIII.

De Exceptionibus, & Replicationibus.

QUoniam ut supra diximus, oblato Libello, Reus potest excipere; quod sit vel ante litis contestationem, vel post litem contestatam; ideò ut instruamur circa hujusmodi exceptiones proponendas, ob id nunc de hac materia tractatur; & videbimus:

1. *Quid sit Exceptio?*
2. *Quot ejus species?*
3. *Quando sint proponendæ Exceptiones?*
4. *Quid sit Replicatio?*

Quò ad Primum. Exceptio nil aliud est, quàm actionis, seu intentionis exclusio; ut *hic in princip.* Quod declara secundum Abb. *in Rubric. ext. eod.* ut scilicet Exceptio dicatur actionis exclusio, quando in veritate competit actio, & eam per Exceptionem excludi oportet; ut cùm promitto tibi, vel metu compulsus, vel dolo; nam hoc casu mero Jure Civili ex stipulatione oritur actio; sed adversus eam excipitur de dolo, vel metu: ut *in princ. Instit. Civil. de Except.* Dicitur etiam exceptio exclusio Intentionis, quando actio in veritate non competit actori, agit tamen de facto; ut si petas à me decem, & ego excipio me solvisse; nam si hoc verum est, nulla tibi competit actio cum solutione ejus, quod debetur, omnis tollatur obligatio. *In princ. Instit. Civil. Quib. mod. toll. obl.* vide aliqua de hoc per Bart. *in l. Julianus. ff. de Cond. indeb.*

Quò ad Secundum. Exceptiones sunt vel *Dilatoriæ*, quærem, & Judicium differunt, ut *hic in princ. §. Appellantur. Instit Civil. eod.* Aut sunt *Peremptoriæ*, vel *Elisoriæ*; quæ scilicet totum jus agentis perimunt, & semper agentibus obstant. §. *Peremptoriæ. h. t. §. Perpetuæ. Inst. eod.* Et scias, quòd istæ exceptiones ideò duplici nomine appellantur, quia inter se etiam differunt, ut per Abb *in sua Practica cap. 16.* Ubi Peremptorias putat eas appellari oportere, quæ funditus, vel in totum perimunt, & tollunt obligationem civilem, & naturalem; ut exceptio solutionis, & acceptilationis; quæ secundum eum ibidem defensiones potiùs, quàm exceptiones sunt appellandæ, quia actionis non sunt exclusivæ. Quædam verò sunt exceptiones, quæ non perimunt, sed elidunt, ut pacti conventi, doli, metus, & has putat melius dici posse elisorias, quam peremptorias; ita distinguit Abb. *in loco supra allegato.*

Rursus dilatoriæ quædam respiciunt personam Judicis, quædam Agentis, quædam Rei conventi; quædam verò Actionis, & causæ qualitatem, ut *hic in princ.*

Personam Judicis respiciunt, quæ vel illius incompetentiam arguunt, vel de ipso suspicionem ingerunt. §. *Personam. hoc tit. cap. Si diligenti.* & per *tot. tit. de Foro Competen.* Et de hoc dictum est supra *in tit. de Judic.* dum egimus de Judicis recusatione; & est *tex. in cap. Cum spirituali. de Appellat. cap. Suspicionis. de Offic. delegat.* & hæ declinatoriæ etiam appellantur. *d. §. Personam.* Actoris partem illæ spectant, quæ ipsum non habere legitimam personam standi in Judicio demonstrant. §. *Actoris hoc tit.* ut puta si quis per Monachum, vel Regularem, aut Clericum agere velit. *cap. 1. de Syndic. c. Qui verè. 16. quæst. 1.* Item si quis tanquàm Procurator, vel Syndicus, vel Tutor, vel Curator compareat; & illum Tutorem, aut Curatorem, Procuratoremve, sivè Syndicum esse negetur. Bart. *in l. 3. §. Defendi. ff. Ex quib. caus. in possess. eat.* Vel sua non interesse. Abb. *in cap. Ex parte. de Testib.* Vel audiri non debere protestetur, ut per Abb. *in c. Quia frustra. de Usur. in fin.*

Personam autem Rei respiciunt, veluti si quis ab eo, qui alienam litem defendit, de Judicato solvendo cautionem postulet. *l. Qui proprio. §. Qui alium ff. de Procurat. l. Exigendi. C. eod. tit.* Aut si ab Actore se spoliatum esse Reus conventus coram Judice queratur, & ideò restitutionis beneficium imploret. *cap. Cum dilectus:* ubi Abb. *de Ord. cognit.* Vel si actorem ex legitima causa domum revocet. *c. fin. de for. comper. l. 2. ff. de Judic.*

Actionem autem, & Causam respiciunt: ut cùm proponitur de ineptitudine, aut incertitudine Libelli, de litis pendentia. Bald. *in l. Petens*

emptorias. in fin. C. sent. rescindi non posse. Felin. *in c. Exceptionem eodem.* Aut cùm nondum diem solutionis venisse ostenditur. *l.* 3. *in fin. l. Non. in fin. ff. Quando dies usufruct. cedat.* Atque hæ dilatoriæ præter supradictas causas ducuntur ex loco, ut quia non sit tutus. *Clem. Pastoralis. de Re Judic.* Ex tempore; ut si nimis angustum tempus assignetur. 5. *quæst.* 2. *cap.* 1. *& cap. Si primates;* vel ex Feriis, &c. *ut supra* diximus.

Peremptoriarum autem exceptionum aliæ dicuntur peremptoriæ litis finitæ: quædam simpliciter Peremptoriæ.

Peremptoriæ litis finitæ sunt, quæ litis impediunt ingressum, ut Transactionis, Jurisjurandi, & Rei Judicatæ. *cap.* 1. & ibi Abb. *de Transact.* & notatur *in c. fin. extr. eod. in* 6. Jurisjurandi, sivè sit pactum Juratum de non petendo, sive de non agendo, sive simplex Juramentum de non petendo; namque omni casu hæc exceptio impedit litis contestationem; & hæc ad Rescriptum, & ad processum apponi potest. DD. communiter, quos refert Perusius *in cap.* 1. *de Lit. contest. in* 6. Facit *l.* 2. *de Jurejuran. c. Etsi Christus. ext. eod. de Jurejur. cap. Veniens. de Accus.* Rei Judicatæ, ab eo scilicet, cui fuit Jus dicendi. *l.* 4. §. *Condemnatum. ff. de Re Judic. l. Non putavit. §. Non quævis. ff. de Bon. poss. contr. tabul.* Ratio autem, quare hujusmodi exceptiones impediunt litis contestationem, ea est, quia absonum videtur de novo Judicium incipere, quòd Transactione, Jurejurando, & Sententia semel finit decisum: ita dicit textus *in* §. *Harum. h. t.* Facit *l. Causas. & l. Fratris, C. de Transact.*

Cæteræ verò, quæ simpliciter peremptoriæ dicuntur, ut doli mali, metus, & pacti conventi, non impediunt litis contestationem. §. *Cæterà hoc tit. cap.* 1, *&* 2. *de Lit. contest. in* 6. Nisi notoriæ sint, &, ut dici solet vulgò, manifestæ; ut per Abb. *in capit.* 1. *de Oper. novi nunciatione.*

Sunt etiam aliæ exceptiones, quæ mixtæ, sive anomalæ dicuntur secundùm Hostiens. *in Summ. eod. §. Quæ sit exceptionum divisio?* Et has Abb. *in suapract. cap.* 62. Præjudiciales appellat. §. *Sunt etiam. hoc tit.* §. *Præjudiciales. Inst. Civil. de Action.* Et de his not. per Abb. *in cap.* 3. *De ord. cognit.* Hujusmodi est exceptio consanguinitatis, causæ restitutionis in integrum, exceptio Natalium, & similes, de quibus inferiùs videbimus.

Rursus exceptionum aliæ Perpetuæ sunt, aliæ verò Temporales, ut *ff. eod. l.* 3. Item aliæ Personales, aliæ Reales. Personales non transgrediuntur personam, cui competunt, & omnibus, qui ex persona illius conveniuntur. *l. Exceptiones. la* 2. *& in princ. ff. eod. tit. &* §. *Rei.*

Exemplum Temporalium est, ut exceptio pacti conventi ad Tempus, vel etiam exceptio Procuratoris: & hujusmodi exceptiones temporales dicuntur, quia non semper locum habent, sed evitari possunt.

Exemplum Perpetuarum est, ut doli mali, Rei Judicatæ: & si quid contra leges, & Senatus consulta factum esse dicetur: & hæ dicuntur perpetuæ, quia semper habent locum; & in quacunque parte Judicii possunt apponi. *d. l.* 3. Sed hæ aut sunt dilatoriæ, aut peremptoriæ, ut ibi videre est; quod etiam ex infra dicendis apparebit.

Exemplum Realium est, ut Rei Judicatæ, doli mali, Jurisjurandi, Quod metus causa; hæ siquidem ad fidejussorem transeunt. *d. l. Exceptiones, la seconda. ff. eod.* & hæ Peremptoriæ sunt.

Exemplum Personalium est, ut puta quod Socius, vel Maritus non teneatur ultra id quod facere possit. *l. Verùm.* §. 1. *ff. pro Soc. l. Maritum. ff. Soluto Matrimonio*, & aliæ. *l. Sunt qui ff. de Re Jud.* Hæc exceptio non competit fide Jussori. *d. l. Exceptiones.* Sed hæ omnes dilatoriæ sunt, & Temporales.

Quò ad Tertium. Scire debes, quòd regulariter omnes dilatoriæ proponuntur antè litis contestationem. §. *Hæ vel. hoc tit.* Et dixi regulariter, quia quandoque etiam post litem contestatam opponuntur ut per Canonistas *in d. c. Exceptionem. eod.* & ex infra dicendis apparebit. Illæ autem, quas Declinatorias appellavimus, debent proponi antè omne dilatoriam exceptionem §. *Exceptionem.* 3. *quæst.* 6. *c. Pastoralis. eod. cap. Inter Monasterium, de Re Judic.* In *cap. Quoniam contra, de Probat,* Undè si excipiens aliam exceptionem opponat; ut puta, quòd Adversarius sit excommunicatus; vel aliam proposuerit exceptionem; tunc non potest declinatoriam fori proponere; ut quia videtur, in Judicem consensisse. §. *Item si quis testibus.* 4. *quæst.* 3. *cap. Cujus in agendo.* 3. *quæst.* 8. & latè tractatur *in cap. Inter Monasterium. de Re Judic.*

Itaque Dilatoriæ ante litis contestationem debent proponi. *d. cap. Inter Monasterium. cap. Pastoralis. ext. eod.* Excipitur primò dilatoria solutionis, quæ quamvis debeat proponi ante litem contestatam, tamen probanda est, postquàm Actor fundavit intentionem suam. *l. Exceptionem. C. de Probat. d.* §. *Exceptionem.* 3. *quæst.* 6. Et etiam quandoque potest proponi in causa appellationis. *c. Cum Joannes. de Fide Instrum. l. Siquidem. C. eod.* Et ne decipiaris, nota, quòd dilatoria solutionis dicitur, quæ solutionem differt; ut exceptio pacti conventi temporalis; item illæ exceptiones, quæ dantur quibusdam personis, ut non conveniantur, nisi in quantum facere possunt. *d. l. Sunt qui.* Secundo loco excipitur illa exceptio, quæ lite contestata Reo incœpit competere. *c. Insinuante.* ubi DD. *de Offic. deleg. d. c. Pastoralis:* vel quæ postmodùm ad ejus pervenit notitiam; quo casu Jurejurando fidem facere debet, rem ita esse. §. *Sed & lite. hoc tit. cap. Præsentium. de Testib.* & plenè habetur *in d. cap. Pastoralis.* Et tandem excipiuntur illæ exceptiones, quæ judicium redderent nullum retro; cujusmodi sunt exceptio proveniens ex defectu mandati, *cap. In nostra.* & ibi Abb. *de Procurat.* Vel illa, quæ defectum Jurisdictionis arguit, ut *ibidem.* vel etiam exceptio incertitudinis Libelli, quæ licèt sit dilatoria, poterit quandoque opponi post sententiam; videlicet cùm talis est incertitudo, & ineptitudo Libelli, quæ non concludit Jus agendi, nec super eo sententia formari potest, ut per Abb. *in cap. Cum dilectus, de Empt. & vendit.* Excipitur etiam exceptio illa, quòd quis non conveniatur, nisi in quantum facere potest; nam potest proponi post litem contestatam; & etiam post sententiam; ne plus extorqueatur, quam condemnatus facere potest. *l. Inter eos. in fin. ff. de Re Judic. l. In condemnatione. De Verb. signific.*

Item excipitur exceptio excommunicationis, quæ in sui substantia dilatoria dicitur; quia ea probata Judicium, sive processus est nullus, sed actio remanet salva. *cap. Ad probandum. ext. de Re Judic.* Itaque hæc exceptio proponitur quandocunque, & ante litis contestationem, & etiam post sententiam. *c. Exceptionem. ext. eod. d. c. Ad probandum. c. 1. eod. in 6.* Et hoc est speciale in hac exceptione, ne quisquam in periculum animæ excommunicato communicare compellatur, ut dictis Juribus. Et in hac exceptione proponenda certa forma est servanda. *§. Sed cum. hoc tit. dict. cap. 1. eod. in 6.* Ut scilicet, qui eam opponit, speciem illius, & nomen excommunicationis exprimat, & intra octo dies eam probet. Quod ideò introductum est, quia malitiose frequenter opponitur; ut *ibi*, & *in d. §. Sed cum.* Requiritur autem quòd speciem excommunicationis exprimat, quia minor excommunicatio non excludit quem à Judicio. *cap. Engeltrudam. 3. q. 4. c. Si quem. de Sent. excommun.*

Hoc tamen verum est, quòd si Actor appellavit à sententia, non potest excommunicationis oppositæ prætextu à prosequutione appellationis excludi. Abb. *in cap. Significavit. & in c. fin. eod. & in d. c. Pastoralis.* Et supradicta procedunt, quando Actori excommunicatio opponitur: cæterùm si Reo opponatur, licèt reconvenire non possit, tamen admittitur ad proponendum suas legitimas defensiones. *§. Reus. hoc tit. c. Cum inter. eod. cap. Intelleximus. de Judic.* ubi de hoc. Absurdum enim esset, si Actore impugnante, defensionis copia Reo denegaretur; quia sic multoties condemnaretur absolvendus *arg. l. Absentem. ff. de Pœnis.*

Peremptoriæ autem litis finitæ in ipso limine Judicii proponuntur, utpotè quæ litis ingressum impediunt. *§. Harum. hoc tit. cap. 1. de Lit. contest. in 6.* & *ibi* Gloss. Quod procedit quando in vim declinatoriarum proponuntur. Gloss. *in d. c. 1.* Aliæ verò Peremptoriæ possunt proponi quandocunque ante sententiam, sive etiam antequàm sit in causa conclusum; & possunt etiam protestari ante litis contestationem. *d. cap. Exceptionem. l. Exceptionem. C. eod. c. Auditis. de Præscript. c. De testibus. ext. de Testib. in fin. §. Cætera. h. t.* Gloss. *in d. c. Exceptionem. eod.*

Verùm ab hac Regula excipiuntur quædam exceptiones, quæ etiam post sententiam proponuntur, ut exceptio Macedoniani, & Vellejani. *l. Tamen. ff. ad Maced.* Item fallit in qualibet peremptoria à Milite per simplicitatem omissa, nam eam post sententiam opponere potest. *l. 1. C. de Jur. & fact. Ignoran.* Quod etiam procedit in Rusticis, si non potuerunt peritiores consulere; ut *l. Regula. §. Sed Juris. ff. de Juris, & fact. ignor.* Item Fidejussor condemnatus in solidum etiam post sententiam implorare potest mandari sibi actiones contra confidejussores alios. *l. Si fidejussores. §. Idem respondit. ff. de Fidejuss.* Item exceptio falsi. *c. Super eo. de crimine falsi. l. Si Prætor. §. Marcellus. ff. de Jud.* Et si quæ sunt hujusmodi. Et plures casus ponit Accursius *in §. Appellantur. Instit. Civil. eod.* & Speculator *d. §. num. 14. eod.*

Quando autem tam Dilatoriæ, quàm Peremptoriæ exceptiones probandæ sint? dicas hoc modo, Quòd dilatoriæ declinatoriæ sicut proponi debent in ipso litis exordio, ita quoque eo tempore probandæ sunt: priùs enim est, ut sciatur de Jurisdictione Judicis, & deinde ad consequentia procedatur: Verumtamen si per ignorantiam exceptiones hujusmodi omittantur, etiam post sententiam latam locum habent. *l. Ad probandum. de Sent. & Re Judic.*

Dilatoriæ verò proponendæ sunt, & probandæ ante litem contestatam. *d. cap. Inter Monasterium. de Sent. & Re Judic. d. c. Pastoralis. eod. tit.* Limita in dilatoriis solutionis, ut supra dixi, quæ probantur postquàm Actor intentionem suam probavit. *d. l. Exceptionem. C. eod. tit.*

Peremptoriæ autem probantur, postquàm Actor intentionem suam probavit. *dict. l. Siquidem. C. eod. l. Peremptorias. C. sent. rescindi non posse.*

Anomalæ autem exceptiones sunt, quæ proponuntur in eo casu, quando contendimus, Judicium nullum retro fuisse; atque ideò dicuntur Anomalæ, quia non sequuntur Regulam, vel naturam aliarum exceptionum: nam locum habent ante litis contestationem, post litem contestatam, ante sententiam, & post; Ut sunt illæ, ne quis veniatur, nisi in quantum facere potest, quæ Anomalæ dici possunt. Item exceptio non numeratæ pecuniæ, & exceptio non solutæ dotis. Istæ enim Anomalæ dici possunt; quia, cùm alias exceptiones objiciens probare debeat, quod opponit. *l. In exceptionibus. ff. eod. tit.* in prædictis duabus secùs est, quia non is, qui excipit probare debet, sed qui petit. *l. 3. C. de non numerata pecun.* Quod verum est intra biennium. *l. In contractib. C. eod. tit. de non numerata pecun.* Et de exceptione non solutæ dotis est textus *in Auth. de Temp. non solut. dotis. Collat. 7.* Et in his duabus exceptionibus illud mirabile est; quod per oppositionem ipsarum lis quoque contestatur, quod regulariter secùs est in aliis peremptoriis; ut per Goffred. *in sua Summa. eod. de Except. n. 8.*

Similes sunt, quæ opponuntur adversùs testes; ut puta si quis Mevium examinatum infamem, excommunicatum, vel aliàs criminosum esse dicat; namque hujusmodi exceptiones neque dilatoriæ, neque peremptoriæ sunt. Dilatoriæ non sunt, quia non differunt processum super principali, sicut faciunt dilatoriæ: nec necesse est eas proponere ante litem contestatam, sicut dilatorias. *d. c. inter Monasterium de Re Judic.* Non Peremptoriæ, quia non concernunt actionem, nec ejus exclusionem, quod faciunt Peremptoriæ. *l. 1. & 2. ff. de Exceptionib.* Verùm istæ ante Sententiam proponendæ erunt, cùm ad naturam peremptoriarum videantur accedere. *§. Sunt. & h. t.* cùm, nisi per directum, saltem per obliquum perimant actionem; sublata enim probatione, remanet Jus partis inutile. *cap. Sæpè. de Restitut. Spoliat.* argum. *cap. Hermaphroditus. 4. q. 3.*

Et hic obiter nota, quòd in hoc casu multùm refert, an Testibus opponatur crimen, de quo nunquàm aliàs fuerunt convicti; vel crimen, de quo fuerunt convicti. Primo enim casu exhibenda erit probatio; & probato crimine, ordinaria cessante pœna, convicti repelluntur à Testimonio perhibendo. In secundo verò casu testis, cui objicitur, debet se probare innocentem, aliàs repellitur. *§. Multùm. hoc tit. c. 1. ext. eod.*

Quorsùm tandem Præjudiciales? Circa has dicas sic, quod Præjudiciales appellantur ex eo, quod alteri cognitioni præjudicium afferunt. Exempla habes *in §. Sunt etiam. hoc tit.* ut si quæ mulier Titium in Virum petat, qui ad elidendam mulieris intentionem, consanguinitatis excipiat exceptionem, qua probata, cùm quæstio principalis perimatur, de ipsa est cognoscendum, ante-

quàm

quàm ad definitionem causæ principalis procedatur. Item si petenti hæreditatem objecta sit natalium exceptio. *cap.* 1. *de Ord. cogn. c.* 3. *eod. de Ord. cognit.* & *ibi* per Gloss. Item si spoliatus excipiat de spolio; nam hoc casu probationes super spolio primitùs erunt audiendæ, atque si fuerit probatum spolium, reus non cogetur respondere Positionibus, donec integrè restitutus fuerit. §. *Sed etsi. h. tit. c. Cum dilectus. de Ordin. cognit.* Ratio autem hujus Decisionis est, quia nec nudi contendere, nec inermes inimicis nos opponere debemus. *cap.* 1. *de Restit. Spoliat. in* 6. Sunt tamen casus, in quibus hoc, quod hic dicitur, non habet locum, ut per Gloss. *in d.* §. *Sed etsi.* & per DD. *in c.* 2. *de Ord. cognit.* Unum tamen nota, quòd si in civilibus causis loquamur, hæc exceptio debet opponi hoc modo, ut spolium dicatur factum ab Actore; & hoc introductum est, ne calumniosè proposita causas Ecclesiasticas contingat impedire. §. *Sed quia. hoc tit. t.* 1. *de Restit. spoliat. in* 6. Alius enim Judex non debet supersedere in causa principali. Quod secùs est, si in criminalibus opponatur; quia in hoc casu si Reus excipiens fuerit privatus per violentiam ablativam, vel expulsivam, vel tota substantia, vel majori parte ipsius, proposita hujusmodi exceptione, quod spolium à tertio sit factum, processus differtur, propositis pœnis expensarum, vel etiam Arbitrariis, nisi intra dies quindecim objiciens exceptionem probaverit. §. *In criminalibus. h. t. c.* 1. & ibi not. *de Restit. spoliat. in* 6. Sed tamen verum est, quòd in hoc casu à Judice potest etiam tempus indulgeri, infra quod restitutionem Reus imploret; quo tempore transacto, nisi petierit restitutionem, & causam ad finem perduxerit, non obstante exceptione, poterit accusari. §. *Inter scholares. hoc tit. d. c.* 1. §. *Solet. de Restitut. spoliat. in* 6. Et nota generaliter ad supradicta, quòd si Reus opponat exceptionem, quæ adversùs se ipsum possit opponi; nullatenus talis exceptio est admittenda. §. *Cavebit. hoc tit. c. Nihil.* 32. *q.* 6. cum pluribus *seqq.* & *c. fin. d.* 26. *c. Judicet.* 3. *q.* 7. Unde, si quis habens plura beneficia, de eadem pluralitate adversùs alium excipiat; aut si perjurium, aut excommunicationem is objiciat, qui perjuravit, aut excommunicatus est, non est audiendus. *d.* §. *Cavebit. c. Cum Ecclesiastica. hoc tit.* Quod tamen verum est, si quis proprio nomine conventus excipiat; secùs verò est, cùm aliquis suam defendens Ecclesiam, excipiat. §. *Hoc tamen. hoc tit. c. Dilecti. eod.*

Secundò nota, quòd quis potest proponere non solùm unam, sed etiam plures exceptiones etiam contrarias. §. *Postremò, hoc tit.* facit *l. Nemo.* ubi not. *ff. eod.* Quod intellige secundùm Abb. *in c. fin. in fine. de Relig. Domib.* Ut scilicet procedat, quando aliquis proponit plures exceptiones contrarias eodem tempore non pure, sed sub conditione; veluti si excipiens dicat, propono talem exceptionem; & si hæc non procedat propono talem: ita inquit Abb. *loco suprà allegato*; Et de alia declaratione vide Bart. *in d. l. Nemo*; quem refert Abb. *in cap. Pastoralis. eod.*

Quò ad Postremum. Replicatio nihil aliud est, quàm exceptionis propositæ repulsio, vel exclusio quædam: sicut enim exceptio excludit actionem; ita & Replicatio excludit exceptionem. §. *fin. hoc tit.* Unde sicut probata intentione Actoris, deinde probanda est exceptio peremptoria, ut suprà diximus; ita probata exceptione Replicatio probanda erit. *c. Illud. de Præscript.* & Goffr. *in Summ. de Probat. n.* 14.

Hucusque compendiosè dicta *de Exceptionibus* deserviunt ad generalem earum cognitionem consequendam. Cæterùm, ut specificam intelligentiam omnium, & singularum Exceptionum studiosus Lector percipiat, legat ea, quæ traduntur ab Oinotimo, à Pichardo, & à Nicolio *in Lib.* 3. *Instit. Civil. tit.* 8. *de Exceptionibus*; & abundantiùs à Pace Jordano *Tom.* 3. *lib.* 14. *tit.* 23. & novissimè à Carolo de Grassis in suo eruditissimo Tractatu *de Exceptionibus*, in quo earum quadraginta tres species exponit, & declarat. At non bene discuntur, nisi Forus practicetur.

TIT. IX.

De Mutuis Petitionibus.

QUoniam petitiones, quæ vicissim à Reis solent proponi, habent speciem quandam Exceptionis; ob id nunc de ista materia differitur; & pro expeditione tituli, videbimus:

1. *Quid sit Mutua Petitio?*
2. *Quando Reconventio sit facienda?*
3. *Coram quibus Judicibus fieri possit?*
4. *In quibus causis locum habeat?*
5. *Qui possint reconveniri?*
6. *Qui sint Reconventionis effectus?*

Quò ad Primum. Mutua petitio, ut nomen ipsum significat, est petitio facta hinc inde; & ex parte Actoris dicitur *Conventio*; ex parte verò Rei *Reconventio*; quoniam Reus conventus vicissim Actorem convenire videtur; ut notat Abbas *in Rubr. extr. eod.*

Quò ad Secundum. Proposita actione ab Actore, & oblato libello, si fortè Reus Jus habet conveniendi ipsummet Actorem; tunc potest ipsemet Reus suam reconventionem proponere, ut *not. in cap. Sapè. de Sent. excomm.* Et debet reconventio proponi illicò postquàm fuerit Reus conventus. *c.* 1. *eod.* §. *Proposita. hoc tit.*

Quò ad Tertium. Reconventio potest fieri coram quocunque Judice Ordinario, vel Delegato. *d. cap. extr. eod. c. Dispendia.* §. *Reus, de Rescript. in* 6. §. *Nec solum. hoc tit.* Hinc fit postea, quòd ipsemet Reus interdum vocat coram Judice sæculari personam Ecclesiasticam, quam aliàs vocare non posset. Glossa *in c.* 1. *extr. eod.* Cujus enim quis in agendo observat arbitrium, eundem habere contra se Judicem in eodem negotio dedignari non debet; ut *hic in princ. c.* 1. §. *Cujus*, 3. *q.* 8. & *l. Cum Papinianus. in fine. C. de Sent. & Interl. omn. Jud.* Unde etiam Actoris, & rei reconvenientis æqualis debet esse conditio in Judicio; & ideò si causa appellatione remota committatur, si Reus Actorem reconvenerit; uno, eodemque Jure circa appellationis remedium, uterque censendus erit. §. *Utriusque, h. tit. cap. fin.* ubi Abb. *eod.*

Verùm coram Arbitris non habet locum reconventio; Ratio est, quia isti non possunt judicare nisi de his tantùm, super quibus in eos compromissum fuerit. §. *de Arbitris. hoc tit.* Nec habent Jurisdictionem à Jure, sed tantùm notionem. *l. Prætor. ff. de Re Judic.* Abbas *in cap. Cum dilectus. de Arbitr.* & *in c.* 1. *eod.*

Quò ad Quartum. Reconventio habet locum in omnibus ferè causis, excepta causa Depositi, & exceptis criminalibus. §. *fin. hoc tit. c. fin. extr. eod. l. Si quis vel pecunias. C. Depositi.* Item

exci-

excipiuntur causæ Spirituales, cùm non possit Reus conventus coram Judice Laico in causa Spirituali Actorem reconvenire; ut sunt causæ Jurispatronatus, Decimarum, Matrimonii, & hujusmodi. §. *Interdum. h. t. c. Ex tenore. & c. Si diligenti. De Foro compet. c. Quanto. de Judic. c. Tua, 1. & 2. De Decimis.*

Quò ad Quintum. Regula generalis est, omnes posse reconvenire, exceptis his, qui sunt excommunicati, licèt possint excipere, ut vidimus titulo præterito. Ratio ea est, ne quod in defensionis remedium sustinetur, ad impugnationis materiam extendatur. §. *Idem Juris. h. t.* Innoc. *in c, Si verè. de Sent. excom.* & per Abb. *in c. Cum inter. de Except.*

Quò ad Postremum. Reconventionis effectus est, quod hac via, atque ratione potest Reus conventus suum Jus consequi. Alter est effectus; ut virtute Reconventionis efficiatur Judex competens, qui non est Judex. *d. c. 1. & c. 2. extr. eod. d. l. Cum Papinianus. & Authent. Consequenter. C. de Senten. & Interloc. omn. Judic.*

TIT. X.

De Restitutione Spoliatorum.

SIcut in illis casibus, quos supra titulo proximo exposuimus, non habet locum Reconventio; ita quoque non permittitur quoties quis conqueritur de Spolio; nam ab Adversario suo non potest conveniri. §. 1. *hoc nostro tit.* & ideò de hac materia tractatur in titulo nostro, pro cujus expeditione videbimus:

1. *Quid sit Spoliatio?*
2. *Quod remedium habeat Spoliatus?*
3. *Quando Restitutio facienda sit?*
4. *Quæ sint restituenda.*

Quò ad Primum. Spoliatio à possessione rei immobilis *est violenta, & injuriosa dejectio,* vel *mobilis rei ablatio:* diciturque violenta; quoniam si concurrat consensus, spoliatio locum non habet. *c. Accepta. extr. eod.* & notat *in c. In litteris. eod.*

Quò ad Secundum. Quotiescunque quis spoliatus est, habet remedium Restitutionis, ut in pristinum statum reducatur, quod in tantum verum est, ut debeat omninò restitutio fieri, & spoliatus possessionem recuperare. *c. 1. cap. 2. extr. eod.* Et debet recuperare actu ipso; nec sententia sola sufficit, ut not. *in cap. Cum aliquibus. de Sent. & Re Judic. c. Episcopi. §. 1. 3. q. 1. §. Nec restitutionis. eod.*

Quò ad Tertium. Est facienda Restitutio semper ante principalis causæ ingressum, cujuscunque generis sit ipsa causa, & quodcunque fuerit Judicium intentatum. §. *Sed etsi. hoc tit. c. Omnes. 2. q. 2. & c. Nullus.* & per tot. 3. *q.* 1 *Reintegranda.* & per tot. Et hæc restitutio fit ad omnia, non solùm ad damna, & expensas passas post spolium; sed etiam ad factas in conveniendis amicis, & parandis armis, ab eo, qui propulsavit vim incontinenti; & sic ab eo, qui nunquam perdidit possessionem. *l. 1. §. Vim vi. l. 3. §. Cum igitur. ff. de vi, & vi armat.* & ibi Bart. Dicitur ante ingressum ex ea ratione, quia si proponitur exceptio Spolii, non cogitur Reus respondere Actori, nisi fuerit restitutus, ut habetur *in c. In his. & in c. Conquerente. eod. tit.* Et notandum est, quod quis dicitur etiam est spoliatus, cùm fuerit possessione privatus à Judice, qui sententiam nullam tulit, vel non servavit Juris ordinem, vel est Judex incompetens. §. *Spoliatus. h. t.* DD. *in d. cap. Conquerente. & in c. Causam Matrimonii, de Off. delegat.* Item etiam spoliasse is intelligitur, qui mandavit spoliari; aut ratum habuerit spolium suo nomine patratum; vel si in id vitium spoliatori succedit, ut quia rem indebitè occupatam scienter recipiat. §. *Is quoque. hoc tit. & in cap. Cum ad sedem. extr. eod. & in l. 1. §. Quoties. ff. de Vi, & vi armat.* Undè etiam is ad restitutionem obligabitur. Ita notatur *in d. c. Cum ad sedem.* Et hujus occasione nota, quod si quis sponte post spolium renunciaverit, non per hoc impeditur Restitutio; & hoc optima ratione, quia non est verisimile, quod sponte proprio Juri renunciaverit, qui renunciat spoliatus. §. *Illud quæsitum. hoc tit. cap. 2. extr. eod.* Quod secus est, si antè spolium facta sit hujusmodi renunciatio. §. *Testes. hoc tit. c. Accepta. ext. eod.* Et hic est unus casus exceptus à regula.

Secundò excipitur casus, quando contra excipientem de spolio opponitur de alia spoliatione. *cap. fin. de ord. cogn.*

Tertiò si excipiens eodem tempore super spolio disceptari consenserit. *c. 1. eod.*

Quartò si spoliatus in petitorio antè restitutionis postulationem succubuerit, ut per Legistas *in l. Naturaliter. §. Nihil commune. ff. de Acquirenda possessione.*

Quintò excipitur, quando spoliator, non per contumaciam, vel per dolum abest; nam si eo absente voluerit Actor probare spolium, & certus terminus sit ipsi spoliatori præfixus, intra quem spoliatus sit restituendus, hoc casu si Reus intra illud temporis spatium sese Judici exhibere non possit, nihilominùs spoliatus non erit restituendus. §. *Item si. hoc tit. cap. Consultationibus. de Offic. deleg.*

Sextò excipitur casus, quando contra agentem spolio, opponitur exceptio, per quam concludatur, illum non possedisse; nam hoc casu differenda est restitutio, donec de tali exceptione cognoscatur: §. *Sed etsi. h. t.* Ubi traduntur exempla in Laico, qui spiritualia possidere non potest. *c. Causam. de Præscript.* Et in Sacerdote, qui non potest habere uxorem; & hanc exceptionem possumus opponere tam ad possessorium, quàm ad petitorium. Abb. *in cap. parte. eod. fin. extr. eod.* facit quod ad hoc notat Bald. *in tit. de Pace Constant. in vers. restituitur.* Et ex hoc inferunt DD. quod exceptio specialis reservationis beneficii impedit restitutionem, etiamsi spoliatus justificare possit possessionem titulo colorato, quia reservatio Apostolica inficit titulum, & possessionem: *c. Si eo tempore de Elect. in 6.* Rot. Roman. *decis. 3.* aliàs 16. *hoc tit. in novis.* Et Abb. *in c. In litteris. num. 28. eod.*

Septimò: Excipitur casus, quando pro Spoliatore militat Juris præsumptio, nam etiam hoc casu Spoliatus ante omnia non est restituendus: exemplum habetur *in §. Quinimmò. hoc tit. c. fin. eod. in 6.* Quod intellige quando Præsumptio non solùm ostendit injustitiam possessionis ex parte spoliati, sed etiam justificat possessionem spoliatoris. *d. cap. fin.* De aliis intellectibus vide Gloss. *in d. §. Quinimmò. in verb militat.* Item in casu *cap. Significasti. de Divortiis,* ubi notoria fornicatio uxoris privat eam restitutione. Item spoliatus illicò non restituitur, si hæresis labe pollutus deprehendatur. *cap. Quo jure. d. 8. §. 1. 13. qu. 1.* Ratio est quia hæreticus nihil potest possidere. *c. 1. & 2. 23. q. 7.*

Vel,

Vel, si facta restitutione, animæ periculum immineret, ut puta quia quis spoliatus est uxore, quæ excipit de consanguinitate in gradu prohibito, quia potest timeri de illicita copula, incestuosaque. *cap. Litteras. eod.* Gloss. *in c. primò. eod.* vel si scandalum timeri possit, quæ habentur *in* §. *Plures:* ita not. *in c. In primis. 2. q. 1.* & *in Summ. 3. qu. 1.* & per Felin. *in cap. Nihil. de Præscript.* Præter hos multi sunt etiam casus hujusmodi, de quibus tractant Legistæ *in l. Naturaliter. §. Nihil commune. ff. de Acquir. possessione.*

Quò ad Postremum. Restituenda sunt omnia illa, quæ spoliatus habuisset, si non fuisset ejectus: & planè hoc intelligendum est, ut habeat spoliatus a die spoliationis omnes proventus, utilitates, commoditates, & demùm omne interesse, quod consecutus fuisset, nisi spoliatus esset. *l. 1. §. Ex die.* & per totam legem *ff. de Vi, & vi armat.* Et etiam supra tetigi. Et

Pro corollario hujus Rubricæ nota *in §. fin.* quod in odium spoliatoris introductum est, ut spoliatus suspenso petitorio, possit intentare possessorium, si tamen nondum sit renunciatum, vel conclusum in causa. *d. §. fin. h. t. c. Pastoralis. extr. de Caus. poss. & propr.* Quòd si conclusum sit in causa, vel renuntiatum, qui intentavit petitorium, non poterit possessorio uti, nisi causa decisa. *arg. cap. Querelam. de Elect.* Et hìc nota differentiam inter petitorium, & possessorium: etenim qui intentat petitorium, dicit se dominum, & dominium petit; qui verò intentat possessorium, per illud interdictum possessionem petit. Sed in hoc non insisto, quia est materia ampla, & eam pertractant Doctores *in d. l. Naturaliter. §. Nihil commune. ff. de Acquir. possess.*

Sed quæret aliquis. Quid proderit redire ad possessorium, cùm Sententia super proprietate trahat ad se Sententiam super possessione? *c. Cum dilectus. de Causa. possess. & propriet.* Sed respondè, quòd potest prodesse quò ad fructus, quos recuperat à tempore dejectionis. *d. §. Ex die.* Item quia ex quo habuit possessionem, habebit commodum retentionis, nisi adversarius proprietatem probaverit. *l. Res alienas. ff. de Rei Vindic.* Et quia si spoliator rem petat, potest ei objici, quod amisit jus, quod habebat; *per l. Si quis in tantam. C. Unde Vi.* Et quia hìc fit mentio conclusionis in causa, & renunciationis, scias, quòd secundum Innocentium, & Abbatem *in d. cap. Pastoralis,* tunc dicitur quis renunciare, cùm renunciat probationibus facti; concludit autem, cùm renunciat probationibus tam facti, quàm allegationibus Juris: & de hoc videndus est Felin. *in c. Cum dilectus. de Probat.* & per Dec, *in c. 1. de Jud.* De hac materia, qui plura scire desiderat, legat Pacem Jordanum Episc. Tragurien. *in Tom. 3. lib. 14. tit. 12.* ubi eam examinat, & declarat; & quidquid in Praxi occurrere potest, juribus, & auctoritatibus demonstrat. Sed pro perfecta Intelligentia Praxis est necessaria.

TIT. XI.

De Litis Contestatione.

HUcusque dictum est de iis, quæ Præparatoria Judiciorum sunt; nunc perveniamus ad ea, quibus ipsum Judicium constituitur; & quia Judicia constituuntur per Litis contestationem, meritò de ea tractatur in titulo nostro: pro cujus explicatione tituli, videbimus:

1. *Quid sit Litis contestatio?*
2. *Qualiter fiat?*
3. *A quo fiat?*
4. *Qui sint ejus effectus?*

Quò ad Primum. Litis contestatio est Judiciorum quasi fundamentum quoddam, quod prætermitti non potest, *ut hìc. in princ. cap. Ex parte. 2. de Verb. signif. c. Relatum. de Offic. delegat.* Et potest dici, quòd sit *Hinc inde apud Judicem negotii principalis facta narratio.* ut not. Goffr. *de Lit. contest.* Quamvis à quibusdam impugnetur, ut apud Marant. *in Specul. Parte 6. de Lit. contest. n. 5.*

Quò ad Secundum. Litis contestatio fit per Petitionem in Judicio propositam, & congruam Responsionem sequutam, animo contestandi litem factam, cùm Judex per narrationem negotii causam audire cœperit. *§. Ea verò. hoc t. c. Unico, eod. cap. Dudum. de Elect. l. 1. C. eod.* Et nota, quòd debet fieri Judice pro tribunali sedente; ut per Abb. *in d. c. Unico. in ult. not ab.* & in *c. Cum causam. de Appell. in princ.* Undè infertur, quòd si quis positionibus simpliciter respondeat; aut peremptoriam exceptionem proponat, per hoc nequaquam est facta Litis contestatio. *d. c. Unico.* ubi redditur ratio, quia qui ponit aliquod dictum, vel factum, nihil petit ab Adversario, nec etiam ostendit per hoc velle agere; & ita per hoc non posset fieri sententia condemnationis, vel absolutionis, cùm nihil petitum sit per positionem, sed ostendat aliquid esse factum, vel dictum, vel promissum; & sententia est ferenda secundùm modum agendi. *c. Qualiter. de Accusat.* alias rationes vide per Abb. *in d. cap. Unico in princ.*

Quò ad Tertium. Litis contestatio fit per principales personas, vel etiam per Procuratorem, Tutorem, Syndicum, aut personam similem. *§. Fit autem. hoc tit. c. Cum ad Sedem. De Rest. Spoliat. c. Cum causam. de Juram. calum.* Item per Advocatos, nisi enim illorum responsio fuerit statim revocata, per eam lis contestata dicitur. *§. An Advocati. hoc tit. c. Cum causam. de Appellat.* Hæc autem Litis contestatio habet locum non solùm, quando per actionem Judicium instituitur, sed ubicunque Judicis officium pro actione proponitur. *§. Nec solùm. h. t. c. fin. de Off. Jud.* Quod tamen secundùm Abb. *in d. c. fin.* intellige procedere, quando principaliter imploratur Officium Judicis; cum distinctione tamen: Nam aut fit super jam liquido, ita quod non est necessaria causæ cognitio; & tunc non debet fieri Litis contestatio. Exemplum cùm filius petit alimenta à patre, vel contra, debet enim de plano procedi. *l. Nequaquam. §. De plano. ff de Off. Procons.* Vel cùm petitur executio sententiæ à Judice, qui judicavit: Aut petitur super non liquido; & tunc aut Adversarius, & certus est, & præsens, & procedit, quod dicitur *in d. §. Nec solum.* & *in d. cap. fin.* Ubi datur exemplum, quando petitur restitutio in integrum adversus contractum: aut Adversarius est absens, & certus, & tunc si aliquid petitur dari, vel in præjudicium partis, & tunc à parte debet fieri contestatio, ita not. *in d. cap. fin.* Aut non petitur aliquid dari, vel fieri: Exemplum cùm minor vult abstinere ab hæreditate adita, & hoc casu potest procedi lite non contestata. *Auth. Si omnes. C. Si minor ab hæredit. se abstin.* Quod procedit etiam si adversarius sit incertus.

Quò ad Postremum. Multi sunt effectus litis contestationis: Et Primus ut ea sequuta litigantes subjicicantur Judicis potestati. *d. c. Relatum. c. Inter Monasterium. de Sent. & re Jud.* Secundus est, quòd via præcluditur exceptionibus dilatoriis. *d. c. Inter Monasterium. l. Pomponius. §. Rati de Procurat.* Tertius est, ut actiones perpetuentur. *l. Ordinata. de Lib. caus. l. Si cum. §. Qui injuriar. ff. Si quis caut.* Quartus, ut præscriptio interrumpatur. *l. More. C. de Rei vindicat. l. Sicut.* ubi Baldus. *de Præscript.* 30. *vel* 40. *annor.* Quintus est, ut constituatur Adversarius in mora; ita ut teneatur ad fructus. *l. Certum. de l. Morꝫ. C. de Rei vindic. l. Litigator. C. de Fruct. & lit. expens.* Sextus, ut non possit revocari mandatum Procuratorium, postquàm lis est contestata, nisi certis de causis. *l. Post litem. ff. de Procurat.* Septimus, Testes possunt recipi, qui aliàs examinari non valent, §. 1. *hoc nostro tit. Ut lit. non contest. per totum.* Nisi cùm civiliter agitur, & timetur probabiliter de morte testium; vel diuturna absentia, nam etiam lite non contestata possunt testes examinari. §. *Admonendi. hoc tit.* Ita Doctores *in c. Quoniam frequenter. Ut lit. non contest.* Undè nota, quòd quando criminaliter agitur, quia tractatur de magno præjudicio, nunquàm recipiuntur testes ante litem contestatam. *cap. Epiphanius. 5. quæst. 6. & l. fin. C. de Probat.* Sunt & alii effectus, de quibus tractatur *in d. cap. Quoniam frequenter.* Et per Speculat. *in tit. de Testib. §. Nunc tractemus.* Et adverte in materia testium, quòd quando quis examinat testes ad perpetuam Rei memoriam, debet intra annum convenire adversarium, vel examen denunciare; alioquin attestationes sic receptæ non valebunt. §. *Debet tamen. inf. hoc tit. c. Plerumque. de Rescript. cap. Pastoralis. de Offic. Ord.* Et generaliter scias, quòd ubicunque Libellus non exigitur, aut jus agendi contra certam personam non dirigitur, litis contestatio non est necessaria, quod ex supradictis patet §. *Finali. hoc nostro titulo.* Quemadmodum etiam haud obscurè notatur *in d. cap. Quoniam frequenter. Ut lit. non contestat.* De hac eadem materia plenè differit præcitatus. Pax Jordanus *in d. tom. 3. lib. 14. Tit. 5. & 6.* ubi studiosus recurrat.

TIT. XII.

De Juramento Calumniæ.

QUoniam publicè intereſſe videtur, ut lites non instituantur injustæ, idcircò statutum est, ut teneantur litigatores jurare, quòd justam credunt habere causam litigandi; ob id nunc de hac materia tractatur. Et pro tituli expositione videbimus:

1. *Quid sit Juramentum Calumniæ?*
2. *Qui jurare debeant?*
3. *Quando sit præstandum tale Juramentum?*
4. *In quibus causis?*
5. *Qui sint effectus?*

Quò ad Primum. Juramentum calumniæ est affirmatio cum Religione, qua quis se justam habere causam litigandi confirmat. *l. 2. §. 1. C. eod.* atque in se continet quinque capitula. Quòd jurans credit, se justam causam habere. Quòd interrogatus non negabit, quod verum credit. Quòd non utetur scienter falsa probatione. Quòd dilationem non petet in fraudem. Quòd nec dedit, nec dabit, nec promisit, nec promittet aliquid pro causa, nisi quibus leges dari permittunt; *l. 2.* circa princ. *& Authen. Principales. C. eod.* & notat Gloss. *in cap. 1. extr. eodem.* Speculator tamen *in §. Nunc videamus. eod.* consuluit, quòd omittatur illud capitulum de dilatoriis frustratoriis, non petendis; alias enim rarò eveniet, quòd litigantes non sint perjurii, quod Abb. probat. *in cap. 1. eodem.*

Quò ad Secundum. Juramentum hoc præstatur regulariter à principalibus personis, nempe ab Actore, & Reo. *de Auth. Principales. c. ult. extr. hoc eodem tit.* Jurant etiam Procuratores, & Syndici. *cap. Cum causam. eod. cap. 2. §. 1. eod. in 6.* Et hoc Juramentum à Procuratore, vel Syndico emittitur in animam propriam, non in animam Domini; Procurator enim non debet causam injustam suscipere. *l. Rem non novam. C. de Judic.* de quo habetur *in c. 1. eod. in 6.* Rota Romana *decis. 1. aliàs* 37. incipien. *Quidam Procurator; & decis. 2. hoc tit. in novis,* quæ ita interpretatur *d. cap. ult.* Et quandocunque à Judice potest exigi, secundùm quod magis expedire viderit. §. *Et non tantum. hoc tit. d. cap. 1. eod. in 6.* Item Tutores, & Curatores tale Juramentum exhibent. *l. 2. §. Quod observari. C. eod. tit.* Et idem dicitur de his, qui præsunt Municipiis; nam etiam ipsi, vel major pars ipsorum jurare debent. *d. l. 2. §. Hoc. l. Municipibus. ff. de Cond. & demon.* facit *tex. in c. Imperatorem. eod.* Item Oeconomi. *cap. In pertractandis. ext. eod.* Jurant Actores, & defensores Universitatum. *c. Cum causam ext. eod.* Jurat Episcopus etiam in causa Ecclesiæ, si per se ipsum agat propositis, sed non tactis Scripturis. *cap. Ult. ext. eod. Auth. Sed Judex. C. de Episc. & Cleric.* Est tamen tex. *in cap. 1. ext. eod.* ubi dicitur, quòd nullus Clericus inconsulto suo Prælato potest jurare de calumnia, nisi agatur de causa sua propria, quo casu non gaudet hujusmodi Privilegio; quod etiam extenditur ad Episcopum, vel alium Prælatum inferiorem, ut colligitur ex *d. cap. 1.* Unde videtur dicendum, quòd Episcopus non possit jurare irrequisito Romano Pontifice; attamen de consuetudine potest procedere contrarium; ita ut, sicut Episcopus in consulto Romano Pontifice: ita inferiores Prælati, & Clerici non consulto Episcopo, poterunt jurare: ita traditur *in d. cap. 1. & Abb. ibi.*

Quò ad Tertium. Ut habetur *hic. in princ.* proponitur tale Juramentum in ipso litis exordio; tunc enim verè lis incipit. not. *in l. 1. §. 1. ff. Si quis Jusdicen. non obtempr. cap. Ex parte il 2. de Verb. signif.* Verùm frequentiùs receptum est, ut post litis contestationem proponatur tale Juramentum. §. *Et non tantum. hoc. tit. cap. 1. eod. in 6. cap. Cum causam. extr. eod.* Et semel tantùm præstatur in tota lite. *Auth. Hoc Sacramentum. C. eod.* Quamvis Juramentum malitiæ pluries possit exigi, ut per Goffr. *in sua Summa. eod.* Qui ponit quatuor differentias inter hæc duo Juramenta.

Quòd ad Quartum. Hoc Juramentum licèt antiquitus non præstaretur in causis spiritualibus, ut in Ecclesiis, & Decimis, & similib. *cap. 2. eod.* Attamen hodie super quascunque causas præstatur. *d. c. 1. §. fin. eod. in 6. §. in causis. hoc tit.* Quod etiam procedit in criminalibus. *l. 1. C. eod. tit.* quamvis sint, qui contrarium teneant. Sed de hoc vide Goffr. *in sua Summ. eod.*

& Do-

& Doctores *in l. 1. C. eod. & in cap. 1. eod.* Attamen quamvis in causis spiritualibus non præstetur tale Juramentum, tamen in his Juramentum decisorium habet locum, quod defertur Actore non probante propter periculum animæ. *c. Continebatur. & c. Attestationes. de Desponſ. Impub.* Quod etiam procedit in causis non spiritualibus. *l. Admonendi. ff. de Jurejuran.* ubi de Materia. In causis autem Ecclesiasticis frequentatur Juramentum, quod vocatur de veritate dicenda, quod etiam habet locum in spiritualibus. *c. Dudum. de Elect.* Et in hoc respondetur de veritate. *§. Præterea,* & ibi Gloss. *hoc tit.* Sed in Juramento calumniæ respondetur de credulitate. *§. Penult. & ult. Auth. De iis, qui ingred. ad appell.* Et hoc Juramentum præstatur etiam in causa appellationis. *d. §. Præterea. cap. Ex ratione. de Appellat.*

Quò ad Postremum. Effectus hujus Juramenti est, ut qui illud recusat, cadat à causa, seu ab Actione, & Reus pro confesso habeatur, *ut hic in princ. c. Ult. eod. l. Ult. C. eod. tit. §. Ult.* Attamen verum est, quòd si omittatur, non vitiatur processus. *§. fin. hoc tit. d. c. 1. eod. in 6.* quemadmodum etiam hoc colligitur *ex. l. 2. C. eod.* Alia multa congerit de hoc Juramento calumniæ. Pax Jordanus *d. tom. 3. lib. 14. tit. 7.* ubi *num. 46.* ostendit, quomodo juret Judæus, qui litigat cum Christiano. Sciat tamen studiosus Lector, quòd hodie tale Juramentum calumniæ neque in Ecclesiastico, neque in Laico Foro exigitur; forsan quia experientia docuit, esse animabus perniciosum; dum homines ita satagunt rerum temporalium, ut æternæ salutis penitùs obliviscantur.

TIT. XIII.

Ut lite pendente nihil innovetur.

QUoniam instituta lite, & præstitis satisdationibus, & calumniæ Juramento exhibito, ad probationes, & merita causæ deveniendum est, quo tempore cùm lis pendeat, nihil est innovandum: ob id de hac materia tractatur, & videbimus:

1. *Lis quando pendere dicatur?*
2. *Qui sint effectus litis pendentiæ?*

Quò ad Primum. Lis tunc pendere dicitur, respectu Innovationis non faciendæ, non solùm quando lis est contestata, verùm etiam quando citatio ad notitiam partis pervenerit, vel si non pervenerit, per eam steterit; dummodò tamen in citatione fuerit expressa causa, propter quam emanarit citatio. *Clem. 2. eod. §. Lis autem. hoc tit.* Et dicitur lis pendere, quotiescunque Judicium agitatur, & causa expeditur *c. 1. eod.*

Quò ad Secundum. Effectus litis pendentiæ est, ut usquequò lis pendet, nihil possit innovari, quod sit in alicujus præjudicium. *c. 1. & 2. ext. eod.* Excipiuntur tamen Casus. Primus est, quando actorum communium, attestationum scilicet, & confessionum editio denegatur, vel Pronunciationis, Interlocutoriæ scilicet, vel fortè etiam Definitivæ illius Judicis, à quo est appellatum. *l. 2. C. eod.* concordat *c. Cum. G. perpetuus. de Fid. Instr.* & Gloss. *in cap. Quoniam contrà. in verb. tempora. de Probat.* Namque his duobus casibus licet supplicare apud Judicem. Tertiò licet supplicare, ut procedat Judex. Quartò ut alius associetur, cùm fortè ille suspectus sit. *In Auth. in medio litis. §. Super hoc. coll. 8.* Quintò excipitur casus, quando is, qui appellavit, fructus dissipat, nam non obstante litis pendentia, possunt sequestrari. *§. Planè. hoc tit. c. fin. de Sequestr. poss. & fruct. l. Ab executore. C. Quorum appellat. non recipian.* Item quoque si super Matrimonio lis pendeat, & in ipsa litis pendentia secundum Matrimonium sit factum; si primum non tenuisse declaratum fuerit, secundum non poterit irritari pendentis litis obtentu. *§. fin. hoc tit. cap. Cum in Apostolica. de Sponsal.* Verùm ei, qui ex contemptu contraxit, pœnitentia imponenda erit. *d. c. Cum in Apostolica.* Est & alius effectus, quia interim res litigiosa non potest alienari. *c. Ecclesia. 1. & 2. ext. hoc tit.* Alius effectus est, quia neque privilegium lite pendente impetratum prodest. *c. fin. hoc tit.* De hac Rubrica scribit copiosè Pax Jordanus *d. tom. 3. lib. 14. tit. 14.* ubi præcipuè agit de Attentatis, quæ essent commissa lite pendente, in contemptum Judicis, ostendens quomodo, & quando sint priùs revocanda. Et de iisdem integrum Volumen scripsit Robertus Lancellotus, cujus inscriptio est *de Attentatis.*

TIT. XIV.

De Probationibus.

POstquàm ea fuerunt explicata, quæ causæ cognitionem præcedunt, nunc de ipsa causæ cognitione est agendum; & quia hæc ex probationibus habetur; idcircò de Probationibus tractatur: & pro tituli expeditione videbimus:

1. *Quid sit Probatio?*
2. *Quibus modis fiat?*
3. *Qui possint esse Testes?*
4. *Quibus Testibus crèdatur?*
5. *Quando sint Testes examinandi?*

Quò ad Primum. Probatio *est rei dubiæ per argumenta ostensio,* sivè *idoneis, & legitimis modis facta demonstratio.* tex. *hic in princ.* & refert Goffr. *in Sum. eod. num. 1.* & dicitur probatio à *Probo* verbo, quod probè facit, qui ostendit, quod asserit: onus verò probandi ad asserentem pertinet. *l. Ei. ff. eod. l. Actor. C. eod.* Et fit probatio Judici. *l. Quinquaginta. in fin. ff. eod.* Sciat tamen studiosus Juvenis, quòd etiam Neganti incumbit onus probandi suam Negativam, quando ipsa est fundamentum suæ intentionis, sive agendo, sive excipiendo, ut docent omnes DD. quos longa serie congerunt Mascard. *de Probat. conclus.* 1092. Pacian. *eod. tract. cap. 51. n. 28.* & Gabriel *Commun. Conclus. in Tit. de Probat. concl. 6.* Quorum Auctoritate Doctorum Ven. Congregatio Parochorum Paduæ obtinuit sententiam favorabilem contra Nobil. Antonium Mariam Bagarottum, qui negabat, Dotem spiritualem Filiæ Marci Antonii Bagarotti Avi sui paterni fuisse solutam cum pecunia ejusdem Ven. Congregationis, quam ab ea Avus receperat ad livellum ad hunc finem. Et ideò quia dictus Antonius Maria non probavit suam Negativam; Nob. Dom. Franciscus Gerardinus Judex ad Officium Aquilæ Anno 1711. eum condemnavit ad solutionem dicti livelli: & causa per appellationem devoluta coram Nob. Dom. Hieronymo Belgrado Vicario Prætorio, fuit ab eodem prædicta sententia confirmata: quia tanquàm Judices integerrimi, & eruditissimi cognoverunt, non sufficere Negare, sed Negativam esse probandam ab illo, qui se fundat in ipsa.

Quò ad Secundum. Probatio fit variis modis, ut *hic* in §. 2. Primò Partium confessione, quando scilicet Reus Positionibus respondendo, vel aliàs in Judicio de Intentione confitetur Actoris. §. *Partium. hoc tit.* Et per Doctores *in Rubric. eod.* Positiones autem sunt quædam breves narrationes, facti seriem continentes, ad eliciendam veritatem conceptæ, super quibus quis petit ab Adversario responderi; quas ad faciliorem expeditionem litium propter partium confessiones, & probationum defectum, usus longævus in causis admisit, & juris probavit auctoritas. *cap.* 1. *de Confessis in* 6. *cap. Dudum.* 2. *de Elect.* Et differunt ab articulis, quia istæ fiunt per verbum *Ponit*, articulus fit per verbum *probare intendit*, & respicit probationes faciendas per testes, vel scripturas, casu quo positiones negentur; & de aliis etiam differentiis dic, ut per Speculatorem *in tit. de Testib. §. Nunc videndum. col.* 1. *Vers. Sciendum est igitur.* Et habetur *in cap. Præsentium. de Test. in* 6. & vide Gloss. *hic in §.* 2. *in Verb. Positionib.* Igitur si quis Positionibus sibi factis respondere requisitus recusaverit, vel ne responderet, se per contumaciam subtraxerit, pro confesso habetur. §. *Si quis igitur. hoc tit. cap fin. de Confess. in* 6. & notat *in cap. Nullus. de Præsumpt.* Et quod dicitur de contumacia, declara, quòd hoc habeat locum, postquàm à Judice respondere Jussus est. § *Tamen: hoc tit.* & not. *in d. cap. fin. de Confes. in* 6. Si antea se absentaverit, non habetur pro confesso, sed contra eum tanquàm contumacem procedendum erit. *cap. Prout. de Dolo, & contumac.* Et supra diximus *in tit. de Dol. & contum.* Id tamen verum est, quòd confessio per errorem facta, veritati non præjudicat. §. *Planè. hoc. tit, cap. fin. de Confess.* & ibi Abb. Secundò fit Probatio depositione partium. *d.* §. 2. *hoc tit.* quod patet ex supradictis. Tertiò fit testium examine, quando testes examinantur super assertionibus Actoris: & hoc casu semper Reus est citandus, ut videat testes jurare, & deponere. §. *Debet. hoc. tit. cap.* 2. *de Test.* Undè nota, quòd Testi non Jurato non creditur. §. *Sed & hoc tit. cap. Super de Testib.* Undè si testes à Judice moniti sese vel odio, vel gratia, vel timore à ferendo testimonio subtraxerint, sub pœna excommunicationis erunt compellendi. §. *Quod si. hoc tit. c. Super his. de Testib. cogend. & c. fin. eod. tit.* Nec in hoc casu valeret Juramentum de non testificando. *cap. Intimavit. & c. Constitutis. de Testib. & c. Quia plerique. de Off. Ordin. in* 6. Igitur quando agitur de testibus examinandis, Judex debet esse diligens examinando illos super omnibus qualitatibus totius causæ §. *Interrogabit. hoc. tit.* Itaque inquiret de causis, personis, loco, tempore, Visu, Auditu, scientia, credulitate, fama, & certitudine. *l.* 3. *ff. de Testib. &* §. *Si testes.* 4. *quæst.* 3. Insuper animadvertet, Quo vultu, qua constantia, quavè animi trepidatione testes deponant. §. *Illud hoc tit. d. l.* 3. Undè Versus:

Heu quàm difficile, crimen non prodere vultu?

Et ea, super quibus examinari debent testes, clauduntur his versibus:

Auditus, Visus, Persona, Scientia, Causa,
Fama, Locus, Tempus, ac Certum, Credulitasque.
Dum testes recipit, Judex hæc cuncta notabit.

Verùm tamen nota, quòd quandoque mittitur domum ad suscipiendas testium attestationes, ut si sint valetudinarii, vel senes, vel debilitate confecti, vel etiam depressi paupertate, *cap. Si qui. de Test.* §. *Si qui tamen. hoc tit. Clem. unic. de Off. deleg.* Et idem procedit in personis egregiis. *l. Ad egregias. de Jure Juran.* Ubi de materia, & de hoc tractat Abb. *in cap. Quoniam frequenter. Ut lit. non contest.* & in *d. cap. Si qui.* Quartò fit Probatio per Instrumenta, quando scilicet illa exhibentur, quæ intentionem Actoris demonstrant; & hæc sunt ab Actore exhibenda, non autem à Reo, nisi illa sint communia cum Actore. §. *Non tamen. h. tit. lib.* 1. C. *de Edendo. l. Nimis. C. de Testib. cap.* 1. ubi de materia, *extr. eod.* Fit etiam probatio aliis adminiculis, ut notorietate rei, suspicione vehemente, atque aliis conjecturis; de quibus vide Goffredum *in Rubr. eod.* & communiter DD. *ibi.* Et de iis aliquid nos dicemus.

Quò ad Tertium. Regula traditur, omnes Testes esse posse, nisi fortè quis speciali ratione prohibeatur *l.* 1. *ff. de Testib.* §. *In Summ. hoc tit. cap.* 1. *Testib.* Testes autem reputantur Conditione, Natura, & vita. Conditione, si liber sit testis, non servus; Servus enim persæpè metu dominantis testimonium supprimit veritatis. *cap. Forus. §. Testes, de Verb. signif. cap. Si testes,* §. *Item in criminali. in verb. liberi.* 4. *quæst.* 3. *l. Quem liberi. C. de Testib.* Natura reputatur testis, si vir sit, non fœmina. *c. Mulierem.* 33. *quæst.* 5. Et hoc procedit de jure Canonico in criminalibus, quòd secùs est secundùm leges, ut notatur *in d. cap. Forus.* Sunt tamen casus criminales, in quibus etiam mulieres admittuntur, etiamsi sint malæ famæ. *cap. Tanta. de Simon.* Et qui sint isti casus, vide Felin. *in cap. Quam ext. de Testib.* Ratio autem hujus dicti est, quia mulieris testimonium varium, & mutabile semper est. Ita Virgil. *lib.* 4. *Æneid.* & notatur *in d. c. Forus.* Ubi habentur versus isti:

Quid levius fumo? Flamen. Quid flamine? Ventus.
Quid vento? Mulier. Quid muliere? nihil.

In his autem casibus, in quibus mulieres admittuntur ad testimonium, notandum est; quòd propter honestatem, & naturalem ipsarum pudorem, debet mitti domum ad testimonium earum recipiendum. §. *Cujus tamen. hoc. tit. cap.* 2. *de Jud. in* 6. Vita reputatur Testis, si innocens sit, & integer; ut si sit immunis à crimine enormi, ut per Abb. *in cap. Testimonium. de Testib.* Secundò; ut si procul ab infamia. Abb. *ibid.* Tertiò suspicione careat, ut scilicet non sit inimicus. *cap. Accusatores.* 2. *quæst.* 5. Quartò, debet esse liber criminis suspicione, quia non debet in aliquo vacillare. *cap. Tantis. d.* 81. Et declarat Abb. *in cap. de Except. in* 3. *not ab.* Si enim vita bona defuerit, fide carebit testis. §. *Vita hoc tit. d. c. Testimonium. c.* 1. *de Accusat. d. c. Forus. in fine,* Item infidelis contra fidelem non admittitur. §. *Christianorum. hoc tit. cap. Judæi, de Testib. cap. Si hæreticus.* 2. *quæst.* 7. *cap. Ipsa pietas.* 23. *quæst.* 4. Verùm quòd dictum est de criminoso, quòd non possit esse testis, recipit distinctionem, quia si perseverat in crimine tam in civili, quàm in criminali causa à testimonio ferendo procul repellitur; qui si fuerit emendatus, in causa civili admittitur. §. *Planè. hoc tit. d. cap. Testimon. de Testib.* Et ibi tractatur materia. Item repelluntur à testimo-

nio

nio domestici testes, & similem habentes causam. §. *domestici. h. t. l. penult. ff. eod. cap. In litteris. ext. de Testib. cap. Personas. eod. de Testib.* Item in causa appellationis non potest esse testis is, qui fuit Procurator, vel Advocatus in prima Instantia. §. *Is quoque hoc tit. cap. Insuper. de Testib.* Et notatur *in cap. fin. de Testib. in 6.* Item Clerici in causa Ecclesiæ suæ; & aliæ singulares personæ in causa suæ universitatis repelluntur, si constituti sint principaliter ad agendum, respondendumve. §. *In Summa hoc tit. d. cap. Insuper. cap. Cum nuncius, & cap. in tuis. eod. de Testib.* In criminalibus tamen repelluntur. *cap. Super prudentia. 14. quæst. 2.* Item Monachi, & quicunque sub alterius obedientia vivit, non admittuntur ad testimonium ferendum, nisi de licentia sui Præsulis. §. *Monachi. hoc tit. cap. Monachi. 16. quæst. 1.* Si tamen non interveniat Superioris licentia, horum testimonium valebit. Ita tenet Speculator *in tit. de Test. §. 1. Vers. Item excipitur.* facit *cap. Nuper. de Testib. c. Etsi Christus. de Jurejuran.* Item nemo admittitur ad testimonium in causa sua principaliter, vel secundariò. *l. Omnib. C. eod. tit.*

Quò ad Quartum. Testibus illis creditur, qui probatæ sunt vitæ, & jurarunt, ut patet ex supradictis. Testi enim non jurato non creditur, nisi fortasse remittatur Juramentum à partibus. §. *Sed & testium hoc tit. cap. Tuis. extr. de Testib.*

Quò ad Postremum. Testes sunt examinandi postquàm Actor declaravit intentionem suam, ante quàm tamen fit publicatus processus: concordat *cap. Causam. l. 2. &c. Constitutus. &c. Cum venisset. ext. de Testib. Clem. 2. de Testib.* Quod ampliatur, ut habeat locum etiam in causa appellationis. *d. Clem. 2.* Hoc limita, nisi nova emergant capitula; hoc enim casu recepto solemni Juramento testium, non obstante publicatione facta, nec in primo, nec in secundo Judicio rejiciendi erunt. §. *Quod si nova. hoc tit. cap. Cum Joannes. de Fid. Instrum. cap. Ex tenore;* & ibi notatur *de Test. Clem. 2. de Testib.* Alios casus enumerat Abbas *in d. cap. Causam. cap. Constitutus, & in d. cap. Cum venissent.* & alii in dictis Jurib.

Verùm sicut post publicationem super iisdem articulis non admittuntur testes; ita quoque post eam, non potest testibus objici. §. *Sed interdum. hoc tit. cap. Nulli de Elect. in 6.* Nisi is, qui vult objicere, sit paratus ostendere illud, quod vult objicere, post publicationem dedicisse. *cap. Pastoralis. de Exceptionib. §. Sed etsi. hoc tit.* & notatur *in c. Præsentium. de Testib. d. cap. Nulli.* Vel nisi sit protestatus. §. *Idem Juris. h. t.* Abb. *in d. cap. Præsentium.*

Unum tamen nota, quòd non solùm testes probatorios, sed & reprobatorios probatorium reprobare licet, quamvis quarti testes contra tertios non admittantur, ne contingat negotium in infinitum protrahi. §. *Illud. cum seq. hoc num. tit. cap. Licet. 3. de Testib.* Et licet Judici quandocunque usque ad sententiam interrogare testes super facto. §. *Quod si circa. hoc tit. cap. Cum clamor. de Testib.* Quos etiam repetet super omissis. §. *Repetere. hoc tit. cap. Per tuas. de Testib.*

Modò, quia probationes fiunt non solùm per testes, verùm etiam & per Instrumenta, ut supra diximus; & tex est *in §. At si partes;* ideò secundùm quod supra promisimus; aliquid de hac materia videamus.

Et in primis sciendum est, quod Instrumentorum appellatione etiam testes continentur. *c. Pervenit. il primo. de Testib. cogend. l. 1. ff. de Fid. Instrum.* Tamen secundùm strictam significationem, appellatione instrumentorum, veniunt solummodò scripturæ, quæ in Judicio exhibentur. *d. §. At si partes. cap. Cum Joannes. de Fid. Instrum. & cap. Fortè. in fine. 24. q. 4.*

Itaque Instrumenta possunt in Jure exhiberi non solùm antè attestationum publicationem, sed & postea usque ad definitivæ sententiæ calculum, antè conclusionem in causa. §. *Exhiberi. h. tit. c. Cum dilectus. de Fid. instrum.* Scripturæ autem, vel Instrumenta, quæ fidem faciunt, debent esse publica. Publica autem Scriptura dicitur, quæ per manum publicam scripta fuerit, aut sigillo authentico munita. §. *Non tamen. hoc tit. cap. 2. de Fid. Instrum.* Hoc idem habet locum in exemplis ab originalibus solemniter sumptis, cùm scilicet originalia Ordinario, vel alteri, ab eo specialiter ad hoc Delegato, præsentantur, qui ex iis per publicam personam exempla sumi præcipit. §. *Idem. hoc tit. c. 1. de Fid. Instrumentor.* Quod extenditur ad ea exemplaria, quæ Notarius morte præventus non perfecit, sed in notis tantùm reliquerit. §. *Eandem. hoc tit. c. Cum P. Tabellio. de Fide Instrum.* Et quamvis ista Instrumenta non debeant esse cancellata, aut abolita, neque ulla parte sui vitiata; attamen error unius litteræ haud præjudicat, quo minùs Instrumentis sic excerptis fides habeatur. §. *Exhibentur. hoc tit. cap. Ex parte. de Fid. Instrum. c. Ad audientiam. de Rescript.*

Huic probationi accedit ea, quæ fit per Jusjurandum; quæ probatio tunc demum locum habet, si Actor nec testibus, nec instrumentis intentionem suam probaverit; namque hoc casu permittente Judice suppletur per Jusjurandum. §. *Quod si. hoc tit. c. Ex litteris. & cap. fin. de Jurejur.* Et hic nota, quòd Juramentum in hac materia duplex est: aliud *Necessarium*, aliud *Voluntarium*. Necessarium est, quod ad supplendas probationes à Judice parte defertur. *d. c. Ex litteris. c. Etsi Christus. & c. fin. de Jurejurand.* Et dicitur necessarium, quia & necessariò à Judice partibus deferri debet, neque à partibus aliquo modo potest recusari, si ritè delatum sit. §. *Sed cum hoc tit. in bonæ fidei. C. de Reb. cred.* Tradunt DD. *in l. Admonendi. ff. de Jurejuran.* Et Canonistæ *in cap. fin. de Jurejur.* Recusari autem post hujusmodi Juramentum, ut si Actor plenè probavit, quando scilicet Judex ex his, quæ sibi ostensa sunt, est adductus ad fidem, & credulitatem ejus, quod intenditur. *l. Ad fidem. ff. de Testib. l. Quinquaginta. ff. de Probation.* Vel si rem non plenè cognitam sibi asserat, super qua debet jurare; ita notatur in *d. l. Admonendi.* Et ideò hæredi non defertur, quia verisimiliter ignorat veritatem negotii. De aliis causis hujusmodi per Legistas videbis in *l. Manifestè. de Jurejuran.* & per Canonistas *in cap. fin. de Probat.* Defertur autem Reo, si pro eo fuerint præsumptiones, nisi inspectis personarum, & causæ qualitatibus, illud Actori deferendum censeat Judex. §. *Sed etsi. h. t. d. cap. fin.* Unde nota duo. Primum, quòd non cuilibet defertur hoc Juramentum, sed tali, qui reputetur persona honesta, & bonæ vitæ; quia vili, & suspectæ de perjurio non defertur. *cap. fin. §. Planè. de Jurejurand.* Secundum, quòd hoc Juramentum in causa ardua, & cri-

minali non defertur, sed solummodò in causa, quæ non sit magna, sed modica, ut traditur *in l. Admonendi. de Jurejuran. in l. In bona fidei. C. de Reb. creditis.* Et hæc sufficiant de Juramento necessario: Modò

Voluntarium est, quod à parte parti in Judicio defertur, & hoc etiam decisorium dici potest, quia litem terminat; & Voluntarium dicitur, quia pars non nisi volens defert, & ab eo, cui defertur, licitè recusari, & referri poterit. §. *Voluntarium. h. t. d. c. fin. l. Generaliter.* §. *Sin autem. C. de Jurejur.* & Hostien. *in d. cap. fin. de Jurejuran.* Verùm, quod dictum est, Juramentum posse referri, id non semper locum habet, etenim in famosis actionibus, ut furti, injuriarum, & hujusmodi, non refertur Juramentum; ratio est, quia non Actor, sed ipse, qui convenitur, facti proprii conscius esse debet. §. *Planè. hoc tit.* not. Abb. *in d. cap. fin.*

Accedit Probatio, quæ fit inspectione Judicis, ut puta si pro terminanda lite, propriis oculis loca Judex subjicit, aut ex aspectu corporis ætatem colligit, aut cùm ex litteris Ordinarii, vel Apostolicis excommunicatus, aut honestatus quis deprehenditur; vel cùm ad probandam virginitatem ab honestis, & prudentibus Matronis vice sua Judex inspici mulierem jubet. §. *Judicis. hoc tit. cap. Ex litteris. & cap. Causam. de Probation. l. Minor 26. annis edito Præside. ff. de Minorib. c. 1. eod. tit.*

Facti etiam notorietate contingit probatio; ubi enim res notoria est, nulla aut testium, aut Instrumentorum probatio requiritur. §. *Sed etsi quid. h. t. cap. Super eo. de Testib. cogend.* Nota nihilominus, quòd quamvis notorium relevet ab onere probandi, non tamen relevat ab onere proponendi, & allegandi, ut not. *in Clem. Appellanti. in verb. Alias. de Appellat.* Est Gloss. *in c. 2. la prima. extr. Ut lite non contest.* Notorium autem triplex est: *Facti, Juris, & Præsumptionis.* Facti Notorium dicitur, quod ita se exhibet hominum conspectui, ut nulla tergiversatione potest celari. *c. Tua. & cap. fin. de Cohabit. Cleric. & Mulier.* Juris dicitur Notorium illud, de quo aliquis condemnatur, vel est in Jure confessus, *c. Vestra. & d. cap. fin.* Notorium præsumptum est paternitas, filiatio. *l. Quia semper. ff. de in Jus voc.* Est autem differentia inter notorium, famosum, & publicum. Notorium enim ex scientia, & certo Auctore est; probarique potest. Famosum est, quod communiter circumfertur; sed ex evidentia facti, aut certo Auctore non procedit. Publicum est commune notorio, & famoso. *c. Tuanos. de Cohabit. Cler. & Mulier.* Ad faciendum autem Notorium necessarium est, ut constet, aut populo, aut majori parte viciniæ, vel vici, dummodò non sint pauciores decem, Abb. *in d. c. Tua.*

Notorio proxima est vehemens suspicio; ut si quæratur de carnali copula, & sint qui deponant, se vidisse solum cum sola, nudum cum nuda in eo lecto jacentem, locis secretis, & ad hoc commodis, & horis electis; namque ex his suspicionibus tam vehementibus sequutam copulam pronunciari poterit. §. *Ad notorium h. tit. cap. Ex Litteris. cum seq. de Præsumpt. c. Præterea. de Testib.* Omnibus autem his probationibus fama præstat adminiculum. §. *fin. hoc tit. c. Illud.* & ibi plenè notatur *de Præsumpt.* Ut si agatur de Matrimonio, & dicerentur Vir, & mulier simul diù habitasse; & se conjuges nominasse, & annulos detulisse; hæc dicitur fama, quæ potest prodesse aliis probationibus. *d. c. Illud.* Et quoniam hæc materia est vastissima, in Praxi recurrendum est ad ampla Volumina tum Mascardi, tum Paciani, qui scripserunt latissimè *de Probationibus.*

TIT. XV.

De Sententia, & Re judicata.

CUm duo sint præcipuè actus Judicii, Cognitio causæ, & ipsius Decisio, quæ fit per sententiam; ob id nunc post Titulum de Probationibus, in quo est tractatum de cognitione, subnectitur iste titulus, in quo agitur de causæ decisione, idest de Sententia; & pro expeditione tituli videbimus:

1. *Quid sit Sententia?*
2. *Quot sint ejus species?*
3. *Quomodo sit ferenda?*
4. *A quibus?*
5. *Qui sint effectus?*

Quò ad Primum. Sententia est *Controversiæ propositæ à Judice ritè facta definitio*: ut *hic in princ.* DD. *in Rubrica. extr. eod.* Dicitur autem *ritè* facta, & non *rectè*, quia verbum *Rectè* respicit Justitiam ex causa; *Ritè* verò Justitiam ex ordine. *l. Non putavit.* §. *Non quavis. ff. de Bon. poss. contr. tab.* Omissio autem Justitiæ ex causa non reddit sententiam nullam. *l. 1. C. de Appellat.* Sed omissio, vel defectus Justitiæ ex Ordine ita officit, ut pronunciatum non sit validum. *l. 4.* §. *Condemnatum. ff. de Re Jud.* & per Bartol. *in l. Prolatam. C. de Sent. & interloc.*

Quò ad Secundum. Duæ sunt Sententiarum species. Alia est *Interlocutoria*; Alia *Definitiva.* §. *Sententiarum. hoc tit.* & *in c. fin. de Jud.* ubi ponuntur etiam aliæ Sententiarum species, sed hæ duæ sunt principales. *Interlocutoria* est illa, quæ inter principium, & finem causæ fertur, super his, quæ incidunt, vel emergunt. Gloss. *in Clem. 1. de Sequestr. poss. & fruct.* & sequitur Abbas, Hostiens. & Goffr. *in Rubr. eod.* Exemplum, ut si Judex ad dandam, vel negandam dilationem ad examinandos testes, vel exhibenda instrumenta interloquitur: vel super exceptionibus dilatoriis, sivè peremptoriis pronunciat, ut not. *in Clem. fin. de Appellat.* Et Sententia interlocutoria non fertur in scriptis, & eam Judex ante definitivam sententiam revocare poterit. *l. Quod jussit.* ubi Bart. *ff. De Re Judic.* & per Canonistas *in cap. Cum cessante. de Appellat.*

Definitiva autem Sententia est definitio Judicialis, quæ condemnando, vel absolvendo, principali controversiæ finem imponit. Quam Judex postquàm tulerit, non potest retractare; sivè æqua, sivè injusta sit. §. *Definitiva. hoc tit.* facit *cap. Jurgantium. ext. eod.* & est tex. *in l. Judex postquàm. ff. eod.* Nota nihilominùs, quòd etsi Sententia non contineat verbum condemnandi, vel absolvendi, attamen valet, si verbum æquipollens contineat. §. *Non tamen, hoc tit.* Non enim tam verba consideranda sunt, quàm voluntas; cùm non intentio verbis, sed verba inserviant intentioni. *c. Intelligentia. & c. Præterea. de Verb. signif.* Abb. *in cap. In his. de Verb. signif.*

Quò

Quò ad Tertium. Definitiva ferri debet citatis partibus; aliàs enim nisi citatio præcedat, Sententia est, ipso Jure nulla. *c. Cum olim. de Testib. Clem. Pastoralis. de Re Judic.* Loco, & tempore congruis. Locus autem congruus Judicis est is, in quo Prædecessores sunt soliti Jus reddere. *l. Penult. ff. de Justitia, & Jure.* & *ibi* DD. Quod intelligitur de Judice Ordinario, vel etiam de Delegato ad Universitatem causarum; quod secùs est in delegato ad causam particularem, quia is, ex quo non habet certum locum, potest ubicunque vult, etiam in Camera locum deligere; ut tetigi suprà *De In Jus vocan.* Tempus autem congruum dicitur, si tunc Jus dicatur, aliàs non valeret Sententia. *l. fin. C. de Feriis, & l. 2. ff. Si quis in Jus voc. non ierit.* Item consideratur tempus, ut feratur Sententia non perempta instantia, ut per DD. *in l. Properandum. C. de Judic.* & idem est in Arbitrio. *l. Si cum dies. §. Si intra & l. Non distinguemus. §. Compromisso. & §. fin. ff. de Arbitr.* Item ut feratur de die, non de nocte; ut habetur *in l. More Romano. ff. de Feriis.* & *in cap. Consuluit. de Offic. Delegat.* Item quod non feratur pendente dilatione. *l. Sive pars. Cod. de Dilat.* Ac tandem requiritur, ut feratur à Judice sedente pro Tribunali; Anima enim sedendo, & quiescendo fit prudentior, *l. Quisquis. C. de Postul. in fin. §. 1. in Auth. Ut ab Illustri. l. 2. §. Dies ff. Quis ordo in bon. poss. servetur.* Et vide Gloss. *in l. 1. C. de Sent. ex periculo, (vel breviloq.) recit.* Quæ inquirit, An Judex sedendo in curru, vel equo possit judicare? Et tenet quòd sic; & quòd in Scriptura redacta à Judice recitetur; *argum. l. p. Cod. de Sent. ex. breviloq. recit. 2. quæst. 1. cap. In primis, in fine cap. fin. eod. in 6.* cum ibi notatis. Et hæc omnia habes *in §. Vocatis. hoc tit.* Episcopus tamen, cujus dignitas in Ecclesia magna est, ad instar personarum illustrium potest per alium Sententiam recitare. §. *Episcopus. hoc tit. l. 2. C. de Sent. ex breviloq. recitandis. in d. Auth. Ut ab illustr. §. Sancimus.* Quòd si plures sint Judices, sufficit, quòd unus recitet Sententiam usus numero plurali. *c. Penult. hoc tit. in 6.* Quòd secus est in electione; in ea enim, ut censeatur unica, & communis est ab uno, vice omnium, sivè per compromissum, sivè per scrutinium procedatur. Electionis pronunciatio per verba singularis numeri facienda. *d. cap Penult.* In collationibus autem contrarium respondè; ut notatur *in d. c. Penult.*

Sed quæritur: duo sunt Judices, qui diversas proferunt Sententias, utra erit potior? In qua quæstione distinguendum est; aut Judices sunt Ordinarii, & jurisdictione ordinaria processerunt; & tenet illa sententia, quæ est favorabilis Reo, nisi Actoris sit favorabilis causa, ut Libertatis, Dotis, Matrimonii. *c. fin. ext. eod.* Et hoc intelligitur, si pares sint; quòd si impares sint, valet sententia plurium. *l. Pomponius. ff. de Re Judic. & l. Duo ex trib. ff. eod.* Si verò Judices sunt delegati, & tunc etiam sententia plurium tenet, dummodò omnes judicent. *l. Item si unus. §. fin. & l. fin. ff. de Arbitr.* Sed si pares sint, sententia stat in pendenti quousque delegans approbaverit. *d. c. fin, l. Duo Judices. ff. de Re Judic.* Vide Gloss. *in l. Cum Magistratus. C. Quando provocare non est necesse.* Quod si compromissarii sint, nulla sententia debebit valere. *d. c. fin.* est tex. *in §. Ex facto. hoc tit.* Et hoc obtinet in compromissariis voluntariis, non autem in necessariis & compromissariis Juris; ut per Abb. *in d. capit. fin.* ubi etiam reddit rationem dicti. Et si plures Judices dati sint, & unus tantùm pronunciaverit, sententia est nulla. *§. Quod si. hoc tit. §. Item si plures. 2. quæst. 6.* Et ibi plenè de hoc. Item ad hoc, ut sententia valeat, debet ferri secundùm Leges, & Canones, aliàs nulla est. *§. Sed sive. hoc tit. cap. 1. ext. eod.* Quod in tantùm verum est, ut neque etiam Summus Pontifex possit recedere à Juris Ordine, nisi aliquid causa necessitatis, aut utilitatis dispensativè duxerit statuendum. *§. in causis. hoc tit. c. In causis. extr. eod.* ubi de hoc. Quamvis autem sententia lata contra jus Constitutionis nulla sit, attamen secus est, si feratur contra jus partis. *§. Si tamen. hoc tit. cap. Cum inter eod.* Et contra jus Constitutionis dicitur lata sententia, ut puta cùm defunctus, & minor quatuordecim annis fuisse asseritur, & testamentum jure fecisse pronunciatur. *§. Item si Sententia. 2. qu. 6.* Contra jus verò litigatoris fertur, quando minor quatuordecim annis, annum quartodecimum compleviſse decernitur, & per hoc Testamentum jure fecisse dicitur. *§. Dicitur. hoc tit.* Ratio autem diversitatis ea est, quia quando sententia fertur contra jus partis, nihil videtur expressum contra jus commune, quæ expressio requiritur ad inducendam nullitatem. *c. Cum inter eod.* Sed quando nihil exprimitur contra Jus commune, præsumitur pro sententia, maximè cùm pars videatur acquiescere non appellando. *d. c. Causam. cum sequenti. eod.* Quando verò exprimit causam contra jus commune, tollitur omnis præsumptio sententiæ; Ergo meritò tanquam notoriè injusta dicitur nulla.

Quò ad Quartum. Sententia fertur ab eo, qui causæ cognitionem habuit, & est Judex competens, ut vidimus supra *de Judiciis.*

Quò ad Postremum. Effectus Sententiæ definitivæ est, ut si intra decem dies appellatio non interponatur, transeat in rem judicatam, nec amplius possit ipsa Sententia retractari. §. *Lata h. t.* In *Auth. de Apellat. §. 1. coll. 8.* Hoc tamen non adfert præjudicium aliis, præterquam illis, inter quos res est acta. *§. fin. hoc tit. c. Quamvis. eod. l. Sæpè. ff. de Re Judic.*

Excipiuntur tamen casus, in quibus favore animæ Sententia non transit in rem judicatam, ut in causa Matrimonii; Item in causa beneficiali respectu Superioris. Abb. *in c. Cum Bertoldus eod.* Item Sententia censuræ Ecclesiasticæ. Abb. *in c. Ad reprimendam. de Offic. Ordin.* Et viginti quatuor casus similes enumerantur à Venusino in suo *Specul. Aureo in princ. 3. p. principalis.* Scias tamen, quod etiam in his omnibus casibus intra decem dies debet appellari; aliàs nisi per viam querelæ poterunt tales Sententiæ revocari. Ita not. *in d. c. Ad reprimendam.* & per Abb. *in c. Consanguinei.* & *in c. Ex parte. de Restit. spoliat.* Et hæc sufficiant pro hujus tituli explicatione. Si plura studiosus Lector desiderat, recurrat ad Pacem Jordanum, qui novissimè collegit quidquid ab antiquis DD. scriptum fuit; & innumeras resolvit difficultates *in d. tom. 3. lib. 14. tit. 25. de Sententia.*

TIT.

TIT. XVI.

De Executione Rei judicatæ.

QUoniam lata Sententia, si non interponatur appellatio, executioni mandatur; igitur de executione Sententiæ hìc tractatur. Pro cujus Tituli expeditione videbimus:

1. *Quid sit Res Judicata?*
2. *Quomodo mittatur executioni?*
3. *A quo?*
4. *Quæ executionem impediant?*

Quò ad Primum. Res judicata dicitur, quando sententia lata, ab ea non est appellatum, itaut executio illius haberi possit. *cap.* 1. & per totum *extr. de Re Judic. l.* 1. *& tot. tit. C. de Execut. Rei Judic.* & hìc *in princ.*

Quò ad Secundum. Postquàm sententia transivit in rem judicatam, tunc si actum est reali actione, potest illicò sententia mitti executioni. *c. Præsenti. de Off. deleg. §. Sed multum. hoc tit.* Si verò actum est personali, tunc quatuor mensium spatium solet concedi, quod tempus potest ex causa prorogari, & restringi. Quinimmò non attenditur, quando condemnatus sua voluntate breviorem terminum receperit, nam hoc casu ipsi est imputandum, quòd breviorem terminum maluerit sibi eligere. Ita inquit tex. *in §. Item. hoc tit.* Et est tex. *in l.* 1. *C. de Confess. c. Cum apud.* 1. *q.* 3. *c. Quoad consultationem. ext. eod.* Hìc tamen nota, quòd si modus executionis legitimus, vel canonicus excedatur, tunc ratione excessus potest adhuc interponi appellatio, quæ aliàs ab executione non datur. *l. Ab executione. C. Quorum appellationes non recipiuntur. cap. Super quæstionibus, de Off. & potest. Jud. deleg.*

Quò ad Tertium. Ordinarii Judices sunt illi, qui possunt executioni mandare suam sententiam: item mandant executioni sententias etiam latas à delegato. Item delegatus Principis, vel Summi Pontificis potest infra annum executioni mandare suam sententiam: ita *text. in §. Sed si Ordinar. h. t. n. c. Quærenti. ext. de offic. & potest. Jud. deleg.* & ibi notatur.

Quò ad ultimum. Sciendum est, quòd postquàm Sententia lata est, non potest suspendi, nisi forte fuerit postulata restitutio in integrum, & Princeps cognitionem commiserit; tunc enim executio suspenditur, ita inquit *tex. in §. fin. hoc t. nostro. l. unica. C. Si sæpius restit. in integr. postul.* Item est alius casus, quando Papa commisit appellationem interpositam à suo Delegato cum clausula appellatione remota, & hoc facit scienter, nam hoc casu Jurisdictio primi Judicis dicitur suspensa quò ad executionem. §. *Sed quod. primo. h. t. & c. Pastoralis. §. Præterea. de Off. deleg.* ubi de materia. Et alios casus videas in citato *c. Quod ad consultationem. ext. eod.*

TIT. XVII.

De Appellationibus.

QUia Appellatio impedit effectum Sententiæ, ne transeat in rem judicatam, ideò post titulum præcedentem de materia Appellationis subnectit Auctor. In cujus tituli explicatione videbimus:

1. *Quid sit Appellatio?*
2. *Cur sit inventa?*
3. *Quot sint ejus species?*
4. *Quot modis fiat?*
5. *Intra quod tempus sit appellandum?*
6. *A quibus Judicibus?*
7. *Ad quos Judices?*
8. *Quæ Sententiæ accipiant Appellationem?*
9. *Ad quid teneatur Appellans?*
10. *Quando Appellatio rejiciatur?*
11. *Qui sint Appellationis effectus?*

Quò ad Primum. Appellatio, ut inquit *textus hìc in princ. est Jurisdictionis prioris Judicis per Superioris Magistratus invocationem legitimè facta suspensio.* Et hanc definitionem tradit Hostiens. *in sua Summa. eod. tit. in §. Quid sit.* Vel dicamus secundo loco, quòd sit *Provocatio ad Judicem majorem ratione gravaminis illati, vel inferendi. c. Bona. & c. Suggestio. ext. eod.* ubi de hoc.

Quò ad Secundum. Inventa fuit Appellatio ad corrigendam iniquitatem Judicis; ita inquit *tex. hìc in princ.* & est *tex. in l.* 1. *ff. de Appellat.* Iniquitas autem *hìc* capitur etiam pro imperitia sine dolo. *l.* 1. *C. eod. §.* 1. *Instit. de Injur.* Cùm enim facilè sit errare, neque sit quisquam adeò prudens, ut sæpè non impingat; ob id, ut injustitia Sententiæ per errorem fortè à Judice priori latæ, tollatur; & ut corrigatur Injustitia hujus sententiæ, fuit inventum Appellationis remedium. *cap. Cùm sit Romana.* & notatur *in c. De Appellationibus. extr. eod. de Appellat.* Undè etiam Abbas *in Rubric. ejusdem tituli* dicit, quòd Appellatio est quædam defensio appellantis. *Ibi* vide per eundem.

Quò ad Tertium. Duæ sunt species Appellationis, *Alia extra Judicium; Alia verò in Judicio:* Ita inquit *tex. in §. Appellationum. hoc tit. cap.* 1. *eod. in* 6. *& c. Super. ext. eod.* Appellatio *Extra Judicium* est, quando quis ante litis ingressum ab aliquo gravamine appellat; ut puta ab Electionibus, Postulationibus, & similibus actibus extrajudicialibus. Et hujusmodi Appellationes de Jure Civili regulariter non admittuntur. Et de his est *text. in cap.* 1. *§. Ante. 2. q.* 6. *d. cap. Super eo. ext. eod. cap. Ad Romanam. Ut lit. non contest.* Et istæ propriè vocantur Provocationes, non autem Appellationes. *d. §. Appellationum.* Judicialis autem Appellatio illa dicitur, quæ fit jam cœpto Judicio, quæ rursùs subdividitur; alia enim fit ante Sententiam definitivam, quando ab interlocutoria Sententia provocatur: Alia verò à Sententia definitiva interponitur. Et hæc distinctio procedit de Jure Canonico, secùs verò est de Jure Civili, secundùm quod Jus Appellatio ab interlocutoria non datur. *l. penult. C. Quando Appellat. non recipian.* Nota tamen, quod circa Appellationem, quæ interponitur ab interlocutoria Concilium Tridentin. *in Sess.* 13. *in primo Decreto Reform.* determinat, hanc Appellationem indistinctè non permitti; namque in causis Visitationis, correctionis, habilitatis, sive inhabilitatis, nec non etiam in criminalibus, ab Episcopo, sive ejus Vicario Generali in Spiritualibus ante definitivam Sententiam ab interlocutoria, vel alio quocunque gravamine non appellatur: neque Episcopus, aut ejus Vicarius huic Appellationi tanquàm frivolæ tenetur deferre, nullo obstante stylo, vel consuetudine; nisi gravamen hujusmodi per definitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit. Per quod Decretum sunt correcta multa jura,

quæ

quæ de Appellatione, quæ à gravamine interponitur, loquuntur.

Quò ad Quartum. Appellatio potest fieri, *& Facto, & Verbis.* Appellare enim non solùm is dicitur, qui verbum appellationis emisit; sed etiam qui aliquo facto indubitato animum suum declaraverit, cùm plus sit facto, quàm verbis provocare. *c. Dilecti. extr. eod* Et hinc est, quòd si fuerit excommunicatus ille, qui iter ad Sedem Apostolicam arripuit, excommunicatio nullius est momenti, quasi lata Appellatione pendente. *c. Dilecti Filii. il primo. ext. de Appellat.* Et sufficit, si fuerit quoquo modo animus ipse declaratus. Quocirca si ex simplicitate dum deberet appellare, se & Ecclesiam suam quis Romano Pontifici subjecerit, appellasse intelligitur. *c. Ad audientiam. ext. eod. de Appellat.*

Quò ad Quintum. Appellatio debet interponi intra decem dies, quod tempus currit à die scientiæ, & dicitur esse utile, licet antiquitus in propria causa biduum tantùm esset statutum ad appellationem interponendam, & triduum in causa aliena. *l. 1. §. Triduum. & §. Dies. ff. Quand. appell. c. Biduum. 2. q. 6.* Et hinc est, quòd si pronunciatum sit altera parte absente, non currit tempus ad appellandum, ita notatur *in d. c. Biduum.*

Quò ad Sextum, Appellatio fit à Judice minori ad Judicem majorem, & regulariter fit à quocunque Judice, excepto Papa, vel Principe. Papa enim de omnibus judicat, neque ipse judicatur. *cap. Cuncta per mundum, 9. q. 3.* Item non appellatur à Senatu, neque à Sententia Præfecti Prætorii. *l. 1. ff. A quibus appell. non licet.* Insuper non appellatur ab executione sententiæ, nisi executor modum in exequendo excesserit. *l. Ab executione. C. Quorum appell. non recip.* Item à correctione non appellatur. *cap. Ad nostram. ext. eod.* Nisi in correctione Superior modum excedat. *cap. Reprehensibilis* in ult. responso. *cap. Cum speciali. in fine. & d. c. Ad nostram. eod.*

Quò ad Septimum. Appellatio fit ad Judicem Superiorem. *l. 1. ff. Quis, & à quo?* Hinc in causa Ecclesiastica appellatur ad Judicem Ecclesiasticum, non autem ad Sæcularem; Sæcularis enim Judex in hujusmodi causis non potest esse Superior. *c. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ. extr. de Constitut.* Neque è converso regulariter Sæcularis judicatur ab Ecclesiastico, quoniam jurisdictiones sunt distinctæ, neque debet alter ponere manus in alterius Jurisdictionem. *cap. Novit. ext. de Jud. c. Cum ad verum. 96. d.* At de hoc plenè tractavimus supra *de Ecclesiast. Constitut.* & DD. ponunt *in d. c. Ecclesia S. Mariæ.* Fiet igitur Appellatio in Ecclesiasticis ad majorem Ecclesiasticum; in Sæcularibus verò ad majorem Judicem Sæcularem. *c. Si duobus. §. 1. extr. eod. tit.*

Quò ad Octavum. Appellatio secundùm Jus Canonicum potest fieri à quacunque Sententia, sive sit definitiva, sive interlocutoria, ut jam dictum est supra. Nisi fortasse causa fuerit commissa *Appellatione remota*; tunc enim Sententia lata à Judice appellationem non recipit. *c. Cum contra. de Testib. 60g. d. c. Cum sit Romana.*

Quò ad Nonum. Ille, qui appellat, debet in scriptis libellum Appellationis afferre; præsertim si ab Interlocutoria appellet. *§. Multum autem. hoc nostro tit. cap. 1. eod. in 6.* Et debet Appellationem ex aliqua justa causa interponere; quæ causa debet exprimi. Et deindè debet petere intra tres dies litteras à Judice *A quo* ad Judicem Superiorem, deinde Judex Superior in causa procedet, & Appellationem prosequetur. *c. Ab eo. de Appel. in 6. d. c. 1. & d. §. Multum.* In Appellatione verò à definitiva secundùm aliquos non est necessarium causam inferere. *d. c. 1. §. Post hoc. eod. in 6. c. Romana. cum ibi notatis. eod. in §. Cum autem. & in §. In appellationibus. hoc nostro tit.* Quòd si appellans hæc non observaverit, dicitur Appellatio deserta, & potest Judex à Quo Sententiam executioni mandare: ut dictis Juribus. Quemadmodum dicitur etiam deserta, si intra annum, vel biennium Appellans appellationem non prosequatur. *c. Ei qui. 2. q. 6. cap. Oblatæ. ext. eod. d. cap. Cum sit Romana.*

Illud tamen verum est, quòd iste terminus anni, vel biennii potest per Judicem ex causa abbreviari, vel prorogari. *d. c. Oblatæ. c. Ad aures. c. Ad hæc. ext. eod.* Quinimmò ad prosequendam appellationem pars potest sibi ipsi hunc terminum abbreviare. *§. Pars quoque. h. tit. c. Personas. ext. eod.* Sicuti etiam hoc tempus ad prosequendum non currit, si partium consensu id actum sit. *Clem. Quandiu. eod. tit. de Appellat.*

Quò ad Decimum. Appellatio tunc rejicitur, quotiescunque est nimis generalis, vel notoriè constat, eam esse injustam, veluti si pro notorio crimine interponatur. *c. 2. c. Consuluit. cap. Dilecti. 2. ext. eod.* Fuit enim Appellatio inventa ad præsidium Innocentiæ, non ad iniquitatem defendendam. *c. Cum sit speciale. §. Porrò. c. Suggestum. c. Ad nostram. ext. eod.*

Quò ad Ultimum. Effectus interpositæ Appellationis ille in primis est, ut ea interposita Judex, qui tulit sententiam, non possit ampliùs quicquam efficere; quinimmò interim dicitur suspensa Jurisdictio *Judicis A quo:* & si pendente appellatione aliquid innovetur, illud revocatur, dummodò de veritate constiterit. *c. Non solum. eod. in 6. d. c. Romana. §. Si verò. cum sequenti. §. eod. in 6.* Si verò apparuerit, Appellationem injustè fuisse interpositam, tunc ille, qui appellavit, præterquam quod condemnatur in expensis, remittitur etiam ad Judicem *A quo*, & tenetur ejus mandatis obtemperare. *cap. Ut debitus. ext. eod.* Plura, & quidem utilia differit Pax Jordanus *d. tom. 3. lib. 14. tit. 26. de Appellationibus*; nec non Sigismundus Scaccia, qui integrum Volumen edidit de hoc titulo; in quo tanquam in mari vastissimo piscari possunt Advocati necessarias defensiones causarum.

TIT. XVIII.

De Restitutione in integrum.

QUoniam interdùm evenit, ut non solùm illud, quod est gestum, possit per Appellationem rescindi, ut dictum est, sed extra ordinem possit etiam, per beneficium restitutionis in integrum emendari; idcircò de hac materia differitur; Et pro tituli expeditione videbimus:

1. *Quid sit Restitutio in integrum?*
2. *Quibus concedatur?*
3. *Adversùs Quos?*
4. *Qui restituantur?*
5. *Intra quod tempus peti debeat?*
6. *Qui sint effectus Restitutionis in integrum?*

Quò ad Primum. Restitutio in integrum *Est prioris Status, vel Juris reintegratio*, per quam alicui subvenitur, præcipuè autem minoribus, Ecclesiæ, & similibus personis privilegiatis; ita Goffr. *in Rubr. eod. n.* 12. & *hic in princ. c. Constitutus. c. Tam ex litteris. eod. l. Restituere. ff. de Verb. signif.*

Quò ad Secundum. Restitutio in integrum datur Minoribus Ecclesiis, & cæteris personis, quæ ex aliqua causa non habent integram, & legitimam personam standi in judicio, si se graviter dicant læsas: pro modica enim læsione non datur Restitutio in integrum. *l. Scio. ff. eod. l. Ex causa prima. ff. de Minorib. c. penult. de Reb. Eccles. non alienan.* Et adeò verum est in his casibus locum habere restitutionem in integrum, ut procedat etiamsi à Summo Pontifice Sententia sit lata: non enim negatur, Romanæ Sedis sententiam posse in melius emendari. *§. Quod quidem. hoc. tit. cap. Sententiam. 35. q. 9. d. cap. Tum ex litteris. extr. eod.* Item quoque Ecclesia adversùs aliam Ecclesiam in integrum restituitur. *c. Auditis. ext. eod. §. Sed etsi. hoc. tit.* Neque in hoc habet locum illa regula, Quòd Privilegiatus non potest uti privilegio adversùs pariter Privilegiatum. *l. Sed & milites. ff. de Excusat. tutor.*

Quò ad Tertium. Restitutio conceditur adversùs quemlibet, qui cum personis suprarelatis contraxit, seu contrahenti consenserit, & datur contra alterum minorem, &, ut dixi, contra aliam Ecclesiam, quotiescunque quis restitui petit, & se læsum probat; si læsio, (ut dictum est) sit alicujus momenti. *d. l. Scio.*

Quò ad Quartum. Restituere possunt Judices Ordinarii; Item delegati à Principe, Papa, vel etiam ab Ordinariis. *§. Hujusmodi, inf. eod. cap. penult. ext. eod.* & novissimè explicat Pax. Jord. *d. Tom. 3. lib. 14. tit. 29.* ubi agit de duplici Signatura, *Gratiæ* scilicet, & *Justitiæ*; ad quam in Curia Romana recurritur pro habenda restitutione in integrum adversùs Sententias. Et ante illum latè scripsit Sfortia Oddus in suo celebri tractatu *de Restitut.*

Quò ad Quintum. Restitutio in integrum, quæ locum habet quoties aliud non competit remedium. *l. In causa. secunda. ff. de Minorib.* solet, quotiescunque intentatur, peti intra quadriennii spatium, nisi fortè aliqua subsit causa, propter quam hujusmodi tempus prorogetur; & hoc tempus est continuum, loco unius anni, qui antiquitùs competebat, & erat utilis. *l. fin. C. de in tempor. in integ. restit. §. Sed sine. hoc tit. cap. 1. eod. in 6. Plem. 1. eod.*

Quò ad Postremum. Effectus Restitutionis est, ut omnia in statum priorem reponantur, ita ut si est contractus celebratus, irritus fiat; si sententia lata est, ea non obstante, de causa cognoscatur; & possit ille, qui ex ipsa Sententia est læsus, de suis juribus adducere. *l. Quod si minor. ff. de Minorib. in §. Restitutio.* Nota tamen, quod etiam per supplicationem potest rescindi Sententia, quæ supplicatio infra decem dies debet proponi post Sententiam; text. est *in Auth. Quæ supplicatio. C. de Præc. Imperat. offer.* Hac enim supplicatione proposita, non aliter Sententia executioni mandabitur, quàm si altera pars fidejussionem idoneam dederit tantumdem restituendi cum legitimis augumentis, quantum fuerit in condemnatione, si legitima retractatione Sententia retractetur. *d. Auth. Quæ supplicatio.* Et cum his sit absolutus titulus iste, & cum eo Liber Tertius hujus Voluminis.

Institutionum Juris Canonici Libri Tertii Finis.

IN-

INSTITUTIONUM JURIS CANONICI.

LIBER QUARTUS.

TIT. I.

De Accusationibus, Denunciationibus, & Inquisitionibus.

ACtum est in titulis præcedentibus, & in superioribus Libris de Civilibus Judiciis; nunc de Criminalibus agendum est, quæ cùm instituantur per Accusationem, Denunciationem, vel Inquisitionem, ut *hic in principio*, ob id nunc de his tractatur. Et pro Tituli expeditione videbimus:

1. *Quid sit Accusatio?*
2. *Qui possint accusare?*
3. *Qui possint accusari?*
4. *Quid sit Inquisitio?*
5. *Ubi, & quomodò sit facienda?*
6. *Quid sit Denunciatio?*
7. *Qui sint effectus Accusationis, Denunciationis, & Inquisitionis?*

Quò ad Primum. *Accusatio est alicujus criminis delatio*, quæ solet fieri cum solemni præcedente inscriptione. §. 1. *hoc tit. c. Qualiter. & cap. Licet Hely. de Simon.* Solemnis autem inscriptio tunc dicitur fieri, quando Accusator se obligat ad eandem pœnam, si non probaverit, quam Reus debuit pati ipso Accusatore probante. *cap. Quisquis. 2. q. 8. & cap. Qui crimen. ead. caus. c. Tuæ. de Procurat.* & Gloss. *in c. Super his. extr. eod.*

Quò ad Secundum. Regula generalis constituitur, omnes posse accusare, nisi quis speciali ratione prohibeatur, sicut idem de Teste, & Procuratore dicitur. *l. 1. de Testib. l. Mutus. ff. de Procurat.* Itaque quidam prohibentur propter ætatem. *c. Prohibentur. 2. qu. 1. l. Qui accusare. ff. eod. & l. 2. §. Pupillus. ff. eod.* Alii propter sexum, ut fœminæ, nisi in quibusdam casibus. *d. cap. Prohibentur. d. l. 2. ff. eod. tit. l. In quæstionibus. ff. ad leg. Jul. majest. §. Consequens. Civil. Institut. de Suspect. tutor.* Item alii propter Magistratum, ut Consules. *d. c. Prohibentur. d. l. Qui accusare*; quia nec ipsi possunt in jus vocari. *l. Si maritus. ff. ad l. Jul. de Adult.* Hoc tamen intelligendum de illis Magistratibus, qui merum habent Imperium, secùs in modicis. *l. Nec Magistratibus. ff. de Injuriis.* Alii propter Sacramentum, ut Milites, qui jurant, se non evitaturos mortem propter Rempublicam. *d. c. Prohibentur.* Nisi suam, vel suorum injuriam prosequantur. *l. Non prohibentur. l. Si crimen. C. Qui accusare non poterunt.* Alii propter delictum, ut Criminosi, & infames. *c. In primis. 2. qu. 1.* circa *fin.* Nisi contra infames in exceptis criminibus, ut *ibi.* Alii propter suspicionem turpis quæstus, ut qui duos reos in diversis Judiciis accusavit; judicio nondum finito. *l. Cum rationibus. C. qui accus. non poterunt.* Nam is tertium accusare non potest, nisi suam, vel suorum injuriam prosequatur. *l. Inter liberos. ff. ad l. Jul. de Adult. §. ult. l. Nos accusare. ff. eod. tit. §. Lege Julia.* Item Qui propter accusandum, vel non accusandum nummos accepit, qui incidit in legem Juliam Repetundarum. *l. Eadem. §. ult. ff. ad Leg. Jul. repetund.* Et in legem Corneliam. *c. Concussionis. 1. qu. 1.* Alii propter conditionem suam, ut Liberti contra Patronos. Alii propter paupertatem, ut qui minùs, quàm quinquaginta aureos habent in bonis. *d. c. Prohibentur. d. l. Qui accusare.* & *l. Alii. & l. Nonnulli. ff. eod.* Item illi non admittuntur, qui ad sortilegos, magosque concurrunt. *c. Quisquis 2. q. 8.* Hi autem omnes, si suam, vel suorum injuriam prosequantur, admittuntur, ut *l. Hi tamen. ff. eod. c. Omnibus. 4. q. ult.* Item in criminibus exceptis, ut est crimen Majestatis læsæ, Hæresis, Simoniæ, fraudati census, fraudatæ annonæ, dilapidationis. *c. Sanè. 15. q. 3. extr. de Simon. c. Nemini.* Item sunt alii, qui propter reverentiam non possunt accusare eos, quibus reverentiam debent, ut liberi, liberti, beneficiati, familiares, servi; quibus, si hoc fecerint, imponuntur variæ pœnæ. *d. l. Qui accusare. in fin. l. Hi tamen. §. prima. C. eod. l. Iniquum. & l. Si quis ex familiaribus.* & *l. Contra Ecclesiam. c. Liberti. & cap. Octava. 12. qu. 2.* Idem procedit in Clerico beneficiato. *c. ult. de Postul.* Item socii, & participes criminum non possunt accusare. *cap. Veniens. de Testibus. l. Si filium. C. de Liberali caus.* Item ab alio delatus alium accusare non potest. *d. c. Prohibentur. c. ult. extr. de Testib.* Itaut non possit nec etiam suum accusatorem accusare, nisi de majori crimine agatur. *c. Neganda. 2. qu. 11.* Quod procedit multò magis in condemnato, cùm sit infamis, nisi suam injuriam prosequatur. *l. Qui judicio ff. eod.* Verùm non denegatur ei accusare suum accusatorem, nisi per sententiam amiserit libertatem, & Civitatem. *l. Is qui. ff. de Publ. judic.*

Quò ad Tertium. Hic itidem Regula generalis est constituenda, Omnes scilicet posse accusari, quibusdam exceptis propter excellentiam dignitatis, ut Papa, & Imperator; ipsi enim supra Jus sunt, legibusque soluti. *c. Proposuit. suprà. de Præbend. l. Digna vox. C. de Legib.* Papa enim Superiorem non habet, nisi Deum. *cap. Nemo aliorum. 9. q. 3.* Excipitur crimen hæresis, ut *in d. cap. Si Papa.* In hoc enim habetur pro minori quolibet Christiano. Item Magistratus non accusatur, intellige de supremo, ut supra dictum est.

Quò ad Quartum. Inquisitio nil aliud est, quàm *Investigatio à Judice facta ex officio*; cum præce-

dente diffamatione, ac quasi fama denunciante Judex ad aliquod crimen investigandum procedit. §. *Per inquisitionem. hoc tit. d. cap. Qualiter, & quando. de Accusat.* Inquisitionis autem plures sunt species. Generalissima, ut cùm Prælatus inquirit super statu totius Provinciæ; de qua *in c. Sicut. eod.* & *in c. Romana. de Censib.* Et per Abb. *in c. Qualiter. il secondo. eod.* Et in hac non est necesse infamiam præcedere; quinimmò Prælatus tenetur quolibet Anno hanc inquisitionem facere. *cap. Cum venerabilis. de Censib.* Quædam Generalis; ut cùm inquiritur super statu Civitatis, Castri, vel alterius particularis loci; & in hoc etiam casu non exigitur, ut diffamatio præcedat. *c. 1. de Offic. ordin. l. Congruit. ff. de Offic. Præsid.* Quædam est Specialis contra certam personam: Et hæc interdùm fit non ad pœnam imponendam, sed ex debito officii; ut puta ne carnale Matrimonium, stante legitimo impedimento, contrahatur, vel non confirmetur Electus; & nec etiam hoc casu exigitur infamia, quia non agitur ad pœnam, ex quo fit ex debito officii. *cap. Postquam. & c. Cum dilecti & c. Nihil.* cum similibus. *de Elect. & c. fin. de Clandest. desponsi.* Innoc. *in cap. 1. de Excess. Prælat.* Host. *in c. Unico. Ut Eccles. Benefic.* & Abb. *in d. cap. Qualiter. & cap. penult. eod.* Quandoque autem ista Specialis Inquisitio fit ad pœnam imponendam, & tunc si fit ad Denunciationem publici officialis, non est necessarium, ut fama præcedat. *l. Et quidem. C. eod. cap. Præterea. de Testib. cogendis.* Quanquàm dici possit, quòd hoc casu præcedat fama, quia non denunciantur nisi notoria, alioquin dennunciationi non creditur secundùm Abb. *in d. cap. Qualiter.* Et notatur *in §. Aliquando. 4. q. 4.* Quandoque sit speciali fama deferente; & tunc habet locum, quòd hic dicitur: Quòd tamen recipit aliquas distinctiones, & limitationes, de quibus habetur *in d. cap. Qualiter. & in l. 2. §. Si publico. ff. de Adult.* de quibus aliisque multis videndus est Farinacius *in tract. de Inquisitione. d. quæst. 2. & seqq.*

Et quantum spectat ad inquisitionem scito, quòd quamvis in ea præcedere debeat diffamatio; attamen si quis coràm Inquisitore crimen aliquod fuerit confessus, non poterit iste suam confessionem revocare, eo prætextu, quod fama non præcesserit Inquisitionem. §. *Si quis hoc tit.* Etenim hoc casu crimen factum est notorium per confessionem. *cap. fin. de Cohabit. Clericor. & mulier.* Alius casus est, quando Inquisitor præsente inquisito; nec excipiente de non diffamatione procedit. *§. Idem hoc tit.* Quod intellige si sit præsens, & sciens; aliàs enim si ignoret testes deponere super causa principali, omissa Inquisitione infamiæ, sibi non præjudicat. *c. Inquisitionis. §. Quinimmò. ext. eod.* Alios casus vide *in c. Unico. Ut Eccles. Benefic. sine dim. conferant. d. §. Si publico.* facit. *cap. 1. ext. eod. in 6.*

Quò ad Quintum. Inquisitio, si de speciali tractetur, est facienda in eo loco, ubi crimen patratum dicitur; & si sit respectu particularis personæ, fit in eo loco, ubi illa persona, de qua inquirendum est, conversatur, *cap. Paratus. 22. quæst. 1. cap. Pudenda. 24. quæst. 1. c. Postquam. supr. de Elect. c. Quosdam. de Præsumpt.* Et citatur is, contra quem inquiritur, & significantur ei crimina, de quibus est inquirendum. *c. Si primates. §. quæst. 2. d. c. Qualiter. §. Debet. extr. eod.* Qui poterit opponere contra Inquisitorem de suspecto, *c. Ad petitionem. ext. eod.* Et quòd sit criminosus. *c. Judicet. 2. q. 7.* Et etiam poterit opponere contra Testes. *extr. eod. c. Cum oporteat. & c. Qualiter. de Simon. cap. Licet Hely. & cap. Per tuas.*

Quò ad Sextum. Denunciatio nihil aliud est, quàm *Delatio criminis, ad Judicem facta, nulla præcedente inscriptione, sed tantùm charitativa admonitione. d. §. 1. hoc tit. d. c. Qualiter. §. fin. cap. Cum dilectus. hoc eod.* Atque ideò in Denunciatione non est necessaria Inscriptio, quia est facienda ad correctionem; Accusatio verò ad depositionem instituitur. §. *Ideo. hoc tit. cap. Super his extr. eod.*

Quò ad Postremum. Effectus Accusationis est *Depositio.* Effectus Inquisitionis est *Remotio ab administratione.* Effectus verò Denunciationis est *Pœnitentia*, seu *Correctio*; quod ex jam dictis apparet; & ita tradit Goffred. *in sua Summ. eod. num. 11.* Quandoque tamen etiam ex Denunciatione sequitur amotio, ut per Goffr. *ibidem.* Et est notandum, quòd si Accusator defecerit in probatione, eam pœnam incurrit, quam si probasset, Reus sustinere debebat, quæ pœna *talionis* dicitur. *§. Accusator. hoc tit. cap. 1. & 2. 5. q. 6.* Et de hoc traditur *2. q. 3. per tot.* Denuncians verò si non probet, suspendendus erit ab officio, & beneficio, donec suam purgaverit pœnitentiam. *c. fin. de Calumn. d. §. Accusator.* Plura qui cupit scire de Accusatione, Denunciatione, & Inquisitione, legat Julium Clarum in sua Practica Criminali *libr. 5. §. fin. quæst. 7. quæst. 11. & quæst. 12.* Necnon Ant. Conciolum in suis Resolutionibus Criminalibus, *verb. Accusatio, & verb. Inquisitio.*

TIT. II.

De duplici Purgatione.

QUoniam sæpissimè intervenerit, ut accusati propter aliquam suspicionem contra eos existentem, debeant se purgare; idcircò nunc de hac materia tractatur; & videbimus:

1. *Quid sit Purgatio?*
2. *Quot sint ejus species?*
3. *In quibus casibus inducatur?*
4. *Cui?*
5. *Quomodo?*
6. *Qui sint effectus?*

Quò ad Primum. Purgatio est *Demonstratio Innocentiæ super objecto crimine*, ut *hic in princip.* & ita dicit Goffred. *in sua Summ. de Purgat. Canonica.*

Quòd ad Secundum. Duæ sunt species Purgationis; *Vulgaris* scilicet, & *Canonica*, Vulgaris est, quam vulgus, vel invenit, vel sequitur; ut cùm aquæ frigidæ, vel candentis ferri, vel duelli, & singularis certaminis, quis subjit judicium. *cap. Ex tuar. de Purgat. Canon. cap. fin. de Purgat. vulg. c. 1. eod. c. Monomachiam. 2. quæst. 4.* Sed hæc reprobatur à Jure Canonico, ut *c. 1. de Purgat. vulg. d. c. Monomachiam.* Et est Decretum Concilii Tridentini *in sess. 25. de Reformat. c. 19.* Ubi non solùm volentibus Duellum facere, verùm & Principibus, Patrinis, Advocatis magnæ pœnæ apponuntur: item & spectatoribus. Ideò sciendum, quod usque ad undecimum sæculum erat in usu hæc Purgatio vulgaris, quæ ad probandam innocentiam infamati ex delicto, cogebat illum vel purgare in Duello, vel

vel ferrum igneum manibus ſtringere, vel ſuper vomeres ignitos ambulare, vel aquam ferventem bibere, ut ſcribunt DD. quos cumulant Barboſa, & Emanuel Gonzalez *in Comment. ad cap.* 1. *& ſeqq. de Purgat. vulgari.* Ubi referuntur multa miracula perſonarum innocentium; quibus addendum eſt illud Sanctæ Chunegundis Auguſtæ, Uxoris Sancti Henrici Imperatoris, quæ licet Virginitatem illibatam ſervaret, calumniosè accuſata de incontinentia ſuper ardentes vomeres nudis pedibus illæſa ambulavit; ut ſcribit Surius in ejus Vita *die* 3. *Martii.* Canonica purgatio eſt illa, quæ fit per Juramentum, ut puta ſi is, qui eſt crimine infamatus, jurat, ſe non eſſe tali crimine, vel macula inquinatum: & hæc Sacris Canonibus comprobatur. §. *Canonica. hoc tit. de Purgat. Canon. per tot. tit. & 2. quæſt.* 4. *per tot. &* 15. *q.* 5. Vulgari penitùs prohibita.

Quò ad Tertium. Purgatio inducitur in iis caſibus, in quibus non adſunt Teſtes, qui poſſint convincere ſuſpectum de crimine; quando enim crimen eſt notorium, non inducitur purgatio. *cap. Cum dilectus. de Purgat. Canon. c. Evidentia. de Accuſat.* §. *Planè hoc tit.* Et tunc inducenda eſt, quando infamatus eſt apud bonos, & graves; & infamia non habuerit ortum ab inimicis. *extr. de Purg. canon. c. Cum in Juventute.* Et quamvis generaliter ratione criminis purgatio inducatur; aliquando tamen inducitur ratione defectus. *cap. Accedens extr. eod.* Aliquandp propter ſurreptionem. *c. Ex parte. extr. de Offic. Ordin.* Aliquando in merè civilibus Purgatio inducitur. *cap. Quod ad Conſulationem*, ſecundùm unam lecturam, *extr. de Sent. & re Jud.*

Quò ad Quartum. Ex jam dictis patet, Purgationem illi indici, qui de crimine eſt infamatus, ſed non convictus; ut *in noſtro tit. in princip.* Et docet Goffred. *in ſua Summa. de Purgat. Canonic. cap. De hoc autem. de Simon. & cap. Nos inter. De Purgat. Canon.*

Quò ad Quintum. Purgatio fit hoc modo: Ille, qui eſt ſuſpectus aliquo modo ob famam de crimine; jurat, ſe innocentem, & ſine aliqua culpa de crimine objecto; & adducit purgatores, qui jurejurando affirmant, ſe verè credere, ab eo, qui ſe purgat, verum eſſe Juratum. *c. Conſtitutus. de Purgat. Canon c. Cum dilectus. c. Cum P. Manconella. eod. tit. d.* §. *Canonica.* Et iſti compurgatores debent eſſe bonæ famæ, & opinionis, nec de aliquo crimine condemnati, & ab Eccleſia approbati; nec debent eſſe Vicini, aut habere converſationem cum purgando, ut in dictis Juribus.

Quò ad Poſtremum. Effectus Purgationis eſt, ut ſequuta Purgatione, legitimè facta, pro Innocente habeatur qui ſe purgavit. Qui ſi fortaſſe in Purgatione defecerit; tunc habetur pro convicto, ſeu confeſſo, niſi aliud judicantis diſcernet æquitas. §. *Quicunque. hoc tit.* Ita notatur *in c. Extuarum. extr. de Purgat. Canon. d. c. Cum P. Manconella.*

TIT. III.

De Simonia.

DElictorum alia offendunt Deum principaliter; Quædam verò hominibus damnum inferunt. Deum offendunt Simonia, Apoſtaſia, Sortilegium, Maledicentia, Sacrilegium. Hominibus verò læſionem inferunt Homicidium; Adulterium; Stuprum, Rapina, Furtum, Uſura, Falſum, Injuriæ. Itaque de his omnibus diſtinctè intendit tractare, Auctor: Et primo loco de Simonia; videbimus igitur:

1. *Quid ſit Simonia?*
2. *Unde dicta?*
3. *Quot ſpecies?*
4. *Quomodo committatur?*
5. *Quis poſſit hoc crimen deferre?*
4. *Qui ſint effectus hujus Accuſationis?*

Quò ad Primum. Simonia nihil aliud eſt, quàm *Studioſa voluntas, ſeu cupiditas emendi, aut vendendi ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa;* ut *hic in princ.* Et not. *in c. Conſulere. ext. eod.* Et per Hoſt. *in ſua Summ. eod. tit.* §. 1. Spiritualibus autem annexa ſunt, ut Jus percipiendi fructus perpetuò, ſecundùm Hoſt. *in Summ. eod. d.* §. 1. Vel jus Patronatus. *c. Quanto. de Jud. & c. Quia Clerici. de Jure Patron.* Et de hac definitione notat Abbas *in c. Nemo ext. eod.* Alia autem definitio traditur *hic in princ.* ut per te videre poteris.

Quò ad Secundum. Simonia dicta fuit à Simone Mago, qui fuit primus hujus ſceleris Inventor: ut *hic in princ.* & apparet in Actis Apoſtolorum *c.* 8. *c. Quiſtudet.* 1. *q.* 1.

Quò ad Tertium. Simoniæ duæ ſunt ſpecies *Conventionalis*, & *Mentalis.* Conventionalis eſt, cùm aut aliquid datum eſt, vel de dando in poſterùm tractatus interceſſerit, & conventio. §. *Simoniæ inf. hoc tit. c. Sunt nonnulli.* 2. *q.* 1. Mentalis eſt, cum nullum quidem interceſſit pactum, ſed ſola prava dantis, & recipientis mens, & intentio concurrit. *d.* §. *Simoniæ.* Et de hac diſt. vide Abb. *in d. cap. Nemo. verſ. Sed oppon. & in c. Conſulere. ext. eod.* Moraliſtæ tamen, & communiter omnes DD. addunt tertiam ſpeciem, & eſt Simonia *Realis*, quando ſcilicet pactiones Simoniacæ ſunt effectuatæ. Reginald. *lib.* 10. *cap.* 27. *num.* 419. & ego dixi in meis Deciſionibus Miſcellaneis. *Deciſ.* 22. *per totam.*

Quò ad Quartum. Simonia committitur quotieſcunque pro Re ſpirituali, vel ſpirituali annexa, pecunia, vel aliud recipitur; ut ſuprà in definitione patet; Vel ſi quis favor promittatur. §. *contrahitur. h. t. d. c. Sunt nonnulli.* 1. *q.* 1. Vel obſequium humanum præſtetur. *d. cap. Sunt nonnulli. & cap. Cum eſſent. eod.* Quòd intellige ſi principaliter id præſtetur propter beneficium Eccleſiaſticum. Secundariò tamen bene poteſt ſperari, & concedi beneficium hoc modo; ita notatur *in c. Conſuluit. d.* 74. *& in cap. Quid proderit. d.* 61. & per Innoc. *in c. Venerabilem. de Elect. in fin. in Verb. Fiducia.* Unde infertur, quòd Epiſcopus pro manuum impoſitione; ita nec Miniſter, nec Notarius pro Ordinatione poteſt aliquid recipere. §. *Et ſicut. hoc tit. cap. Totum.* 1. *q.* 3. & eſt tex. *in Extravag. Urban. Pontif. Sanè in vineâ.* in communibus. Etiamſi ſpontè oblatum ſit, per Concil. Trid. *ſeſſ.* 21. *cap.* 1. *de Reform.* Hinc etiam Simonia committitur ſi quis pro perſonis Eccleſiaſticis deducendis in Sedem, vel Sacerdotibus inſtituendis, vel ſepeliendis mortuis, ſeu pro nubentium benedictionibus aliquid accipiat. §. *Sed tunc quoque. hoc tit. cap. Cum Eccleſiæ. eod. & l. quæſt.* 3. *cap. Si quis objecerit. cap. Suam. ext. eod.* niſi aliquid gratis concedatur; ita notatur *in d. cap. Suam.* & in Abbas, §. *Sciendum. h. t.*

Alius casus est, quando aliquid datur pro liberando se à molestia, quæ indebitè infertur. §. *Idem hoc tit.*

Quò ad Postremum. Varii sunt effectus hujus criminis. In primis autem Episcopus non potest dispensare cum electo simoniacè, etiamsi ignorante electo sit commissa Simonia: unde si eo reclamante aliquid datum sit non committitur Simonia. §. *Planè. hoc tit. cum simil.* §. *Sed videamus. hoc. tit. c. penult. de Elect.* Cum eo autem, qui simoniacè simplex beneficium obtinuit, potest Episcopus dispensare, tribus tamen intervenientibus. Primò, quòd Simonia sit commissa ignoranter ab eo, cum quo dispensatur. Secundò, quòd beneficium sit simplex. Tertiò, quòd præcedat libera Resignatio. *d.* §. *Sed videamus. d. cap. penult. & in cap. de Simoniacè. eod.* Secundus effectus est, quòd simoniacè ordinans cum suo ordinato, & Clerico mediatore est deponendus; quòd si mediator Laicus fuerit, excommunicatur. §. *Ac veluti. hoc tit. cap. Si quis Episcopus. & c. Si qui à Simoniacis. & cap. de cætero. 1. q. 1. c. Cum satis.* ubi Abb. *eod.* & *c. Per inquisitionem. de Elect.* Si quis verò beneficium simoniacè fuerit consequutus, si per accusationem fuerit convictus, privatur beneficio, & deponitur: Si verò per inquisitionem, tunc privatur quidem beneficio, sed tamen post peractam pœnitentiam permittitur in suo ordine ministrare. §. *Quod si non h. t. cap. Presbyter. 1. quæst. 1.* Secundus casus probatur *in d. cap. Generaliter. il 2. de Accusat.* & est *tex in cap. Dilectus 2. eod.* Et quod dicitur de beneficio sic obtento, habet locum etiam in dignitate simoniacè impetrata: ut per Goffr. *in sua Summ. eod. num. 20.* argum. *c. Dudum Rothomag. extr. de Elect.* Unum tamen hìc à nobis notandum venit, quòd si quis parvulus propter parentum cupiditatem per pecuniam Ecclesiam sit consequutus, post liberam resignationem, cum eo poterit dispensari. Cætera videri possunt apud Goffred. *in sua Summa eod.* Et quoniam sæpè sæpiùs Beneficiati in suorum permutatione Beneficiorum faciunt ad invicem pacta Simoniaca; ad ea cognoscenda, leganturmeæ Discordiæ Forenses, tum *de Beneficiis. Discord. 51.* tum *de Jurisdictione Discord 51.* in quibus planè, & plenè ostenditur, quæ Pacta sint licita? & quæ sint Simoniæ vitio infecta?

TIT. IV.

De Hæreticis, Schismaticis, & Apostatis.

VIdimus de uno crimine, quod continet Dei læsionem, ut *in* §. *fin. supr. de Dupl. purgat.* sequitur nunc de aliis videre; & in hoc titulo videbimus:

1. *Quid dicantur Hæretici?*
2. *Qui dicantur Schismatici?*
3. *Qui dicantur Apostatæ?*
4. *Quid sit Apostasia, & quotuplex?*
5. *Quæ sint horum delictorum pœnæ?*

Quò ad Primum. Hæretici sunt, qui vanæ gloriæ, principatusque sui causa, vel alterius temporalis commoditatis, falsas opiniones gignunt, aut sequuntur; ut *hic in princ.* & *in cap. Hæreticus. 24. q. 3.* Et horum sex species enumerantur à Goffredo *in sua Summ. in tit. de Hæretic.* Primò, novas opiniones sequendo, & tunc dicitur *Hæresiarcha*, sicut Arrius, Sabellius, & Macedo, quorum Sectatores & ipsi hæretici dicuntur vel Arriani, vel Sabelliani, vel Macedoniani, *cap. Quid.* §. *Sabelliani*, & §. *Arriani*, & §. *Macedoniani. 24. q. 3.* Secundò, Scripturam aliter interpretando, quàm sensus Spiritus sancti flagitat. *cap. Hæresis. d. 24. q. 3.* Tertio loco dicitur hæreticus, qui à Sacramentis Ecclesiæ, & communione fidelium est divisus. *cap. Quod autem 4. quæst. 1.* Quartò, hæreticus dicitur Sacramentorum perversor, ut Simoniacus. *c. patet. 1. ult.* Quinto loco dicitur hæreticus, qui dubius est in fide. *c. 1. extr. de Hæret.* Sexto modo dicitur hæreticus, qui Romanæ Ecclesiæ privilegium, ab ipso Summo Ecclesiarum capite traditum, auferre conatur. *cap. 1. 22. d.*

Quò ad Secundum. Schismatici sunt illi, qui se ab unitate Ecclesiæ per inobedientiam separant, ut *hic in princ.* & Abb. *in c. Tua. de Schismat.* Shisma enim est illicita discessio eorum, inter quos unitas esse debet. *c. Schisma. 24. q. 1.* Et differt Schisma ab hæresi, quia hæresis in principio habet perversum dogma, quod non habet Schisma, sed in fine contingit aliqua hæresis. *c. Inter hæsim. 24. q. 3.* ita ut ex his possimus etiam concludere, quòd idem sit hæresis, & schisma, quia nullum schisma est, quod sibi aliquam tandem hæresim non confingat; ut *hic in princ.* & per Abb. *in Rubr. eod.* & per Host. *in Summ. eod. de Schismat.* & per Archid. *in d. cap. Inter.* & notatur *in cap. Quia diligentia. de Elect.*

Quò ad Tertium. Apostatæ sunt illi, qui à statu Fidei, Obedientiæ, vel Religionis, quam se tenere professi sunt, temerariè recedunt. §. *Apostatæ. inf. hoc. tit.* Et hinc etiam dicitur Apostasia, quasi post status, idest retrogradus status: & Apostata, quasi retrò stans, vel retrò abiens. *c. Non observetis. 26. quæst. 7. & c. fin.*

Quò ad Quartum. Tres sunt Apostasiæ species, ut *in d.* §. *Apostatæ*; & per Hostiens. *in Summ. eod.* §. *Quod species.* Et per Glossam, & DD. *in cap. 1. de Apostat.* Prima est perfidiæ, cùm quis scilicet à fide recedit. *c. Non potest. 2. q. 7. & cap. Quidam. de Apost.* Et *in cap. Contra Christianos. de Hæret. in 6.* Alia est inobedientiæ, cùm scilicet quis præceptum sui Superioris sponte transgreditur; sivè Patrum regulis, vel Constitutionibus non obtemperat. *c. Alieni. 3. q. 4.* & *c. Alieni. 2. q. 7.* & *cap. Si quis.* & *cap. Illud. de Majorit. & obed.* Tertia, Irregularitatis, & ea est, cùm quis ab ordine suo, sivè assumptæ Religionis recedit. *c. fin. dist. 50.* & *cap. Legi. 16. q. 1.*

Quò ad Postremum. Hæretici, si Clerici sint, deponuntur, & traduntur judicio sæcularis Judicis puniendi; & intellige, quòd Ecclesia tradit hæreticum clericum sæculari Judici, eum relinquendo. *cap. Ad abolendam. extr. eod. de Hæret.* §. 1. & *c. Cum non ab Homine. ext. de Judiciis. c. Novimus. de Verb. signif. c. Ad falsariorum. ext. de Crimin. falsi.* Ecclesia enim pro damnandis corporaliter supplicat. *c. Reos. 23. q. 5. l. Adjector. C. de Episc. audit.* Et privantur officio, & beneficio. §. *In hæresi. hoc tit. d. c. Ad abolendam.*

Laici verò puniuntur ad arbitrium Judicis sæcularis ad requisitionem Episcopi. *cap. Cum secundum eod. in 6. & cap. Ad Abolendam. eod.* primo enim bona hæreticorum post sententiam publicantur. §. *Bona. hoc tit. c. Negantis. & c. Excomm. eod. d. c. Cum secundum.* Quod extenditur etiam ad dotem uxoris ipsius hæretici, si scienter cum hæretico contraxerit. §. *Sed & hoc eod. cap. Accusatus.* §. *penult. eod. in 6. l. Quisquis. Ad l. Jul. majest.* §. *Interdum. Instit. de Hæred. qua ab Intest. defer.* Et

pro-

Et propter criminis enormitatem etiam post mortem hæretici, ipsius bona confiscantur. §. *Post mortem. inf. hoc tit. d. cap. Accusatus. §. penult.* Secundò privantur Sepultura Ecclesiastica. §. *Ecclesiastica. h. t.* Et tumulantes eos scienter excommunicantur, nec ante absolvuntur, quàm propriis manibus eos exhumaverint; & locus, ubi hæreticus est positus, perpetuò caret sepultura. *d. §. Ecclesiastica.* Et de hoc notatur *in cap. Potest. de Re judic. in 6. c. Quibusdam. de Pœnis. & c. Ubi periculum. §. Civitas. de Elect. in 6.* cum similibus. Tertiò descendentes ab hæretico usque ad secundum gradum, & descendentes ab hæretica usque ad primum beneficio Ecclesiastico, & officio publico privantur. §. *Sed & eorundem. hoc tit. d. c. Ad abolendam. cap. Filius. §. Quod si quis. de Pœnit. in 6. c. Statutum. 2. eod. in 6.* Hoc tamen non habet locum in filiis, & descendentibus eorum, qui emendati sunt, & unitati Ecclesiæ reincorporati; idest qui ab Ecclesia receperunt pœnitentiam; vel saltem eam recipere sunt parati. §. *Hoc tamen. cum seq. hoc tit. de. c. Statutum.* & facit *cap. Ex tenore. de Temp. ordin. & c. fin. de Furt.* Et nota, quòd suspecti de hæresi, nisi se purgent, sunt excommunicandi, & si in excommunicatione insorduerint, condemnantur tanquàm hæretici. §. *Si verò. h. t. c. Excommunicamus.* §. *Qui verò. & d. cap. Ad abolendam. eod.* Et si quis postquàm hæresim abjuraverit, iterum in eam inciderit, sæculari Curiæ puniendus traditur, non tamen ei pœnitentia denegatur. §. *Quod si. h. tit. de c. Ad abolendam. & cap. Super eo. eod. tit. in 6.*

Pœna autem Schismaticis est, ut excommunicetur, deponatur, bona ei confiscentur, & quæ ab eo gesta sunt, nulla declarentur. §. *Utcumque. hoc tit. c. Quoniam in fine. de Off. Ord. c. 1. de Schismat. in 6.* Et quomodo gesta per schismaticum nulla sint, vide per Abb. *in cap. 1. de Schismat. in fine.*

Apostatæ autem puniuntur, quia efficiuntur infames, & excommunicantur; & etiam aliis plectuntur pœnis secundùm diversitatem Apostasiæ. §. *fin. hoc tit.* Ita Abb. magistraliter *in cap. 1. de Apostat.* & per Host. *in sua Summ. de Apostat. §. Qualiter.* & per Goffred. *in summ. eod. num. 3.*

TIT. V.

De Sortilegis, Maledicis, & Sacrilegis.

ABsolutis antedictis speciebus delictorum, nunc ad alias species fit transitus, & agitur de delictis, quæ secundùm Canones possunt etiam puniri respectu Laicorum in foro sæculari: Et pro tituli expeditione videbimus:

1. *Qui dicantur Sortilegi?*
2. *Qui Maledici?*
3. *Qui Sacrilegi?*
4. *Quæ pœnæ sint contra hos delinquentes statutæ?*

Quò ad Primum. Sortilegi illi appellantur, qui prætextu Religionis per quasdam sortes divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione facta, futura promittunt, ut sunt Arioli, Aruspices, Incantatores, & similes personæ, quæ quasi inito pacto cum Dæmone inter homines fidem aucupari contendunt. §. *Sunt autem. hoc tit. cap. Sortilegi, 26. qu. 1. & qu. 5. c. Aliquanti.*

Quò ad Secundum. Maledici illi appellantur, qui impura lingua in Deum, vel in ejus Sanctos blasphemias inferre non erubescunt. §. *Diversa hoc tit.* Abb. *in c. 2. de Maled.*

Quò ad Tertium. Sacrilegi illi appellantur, qui vel circa personas, vel circa res, aut loca sacra delinquunt, ut sunt illi, qui res furantur sacras, Ecclesias incendunt, vel simili modo delinquunt. Committitur enim sacrilegium vel ratione rerum, vel ratione personarum. Ratione rerum, veluti cùm quis sacrum de non sacro, vel sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro aufert. Gloss. est *in l. Divus. ff. ad l. Juliam peculat.* & *cap. Quisquis. 17. q. 2.* Vel etiam si intta certos passus aliquid furatur. *d. c. Quisquis. §. Sacrilegium. hoc tit.* Immò committitur sacrilegium per turbationem solùm rerum Ecclesiasticarum. *c. Conquestus*, ubi Abb. *de Foro compet.* Contrahitur etiam per invasionem rerum patrimonialium ipsius Clerici, ut notat Abb. *in c. Cæterum. vers. nota ergo ex omnib. de Jud.* Ratione personarum sacrilegium perpetratur, cùm quis in Clericum, vel Monachum violentas, & impias manus injicit. *c. Si quis suadente. 17. quæst. 4.* Vel cùm personæ Deo dicatæ appetantur per coitum. *cap. Impudicas. 27. quæst. 1. §. Personarum. inf. hoc tit.* Sed de hoc cap. infra dicetur *in §. Penult. de Adult.* & *in §. Si quis igitur*, cum plurib. seqq. *inf. de Sent. excomm.*

Quò ad Postremum. In primis scias, quòd Sortilegium semper saltem hæresis suspicionem inducit, sivè committatur sortilegium circa aras idolorum, si thura, nefariæ preces emittantur, sacrificia offerantur, Dæmones consulantur, & si eorum responsa accipiantur. *cap. 11, quæst. 26. q. 2.* Item si quis associet sibi ad sortes exercendas hæreticos, vel facit prædicta cum Corpore, & Sanguine Christi; vel si, ut in sortibus possint habere responsa, puerum rebaptizant, ut refert Paulus Ghirlandus *in suo Tractatu*, quem de hac materia facit; sive si quis pro sortibus habendis non adoret Dæmones, sed solùm ad tentandam mulieris pudicitiam invocet, vel poculum amatorium misceat: quamobrem contra sortilegos antedictos Inquisitores hæreticæ pravitatis cognoscunt; ut *hic in princ.* facit *tex. in d. §. Sanè.* Et tradit Abb. *in c. cum sit. Vers. item & addo. d. For. compet.* Ad rem nostram, Sortilegi, & Incantatores dejiciuntur ab Ecclesia, & nisi resipiscant, perpetuo anathemate feriuntur. §. *Ariolorum. hoc nostr. tit. §. Expræmissis. 26. quæst. 5. c. Illud. sanè. in fin. 26. qu. 2.* Et si Clerici existant, degradantur. *d. cap. Aliquanti. 26. quæst. 5. & cap. Si quis ariolos.* & *cap. Admoneant. 26. q. 7.* & per Host. *in Summ. eod. §. Quæ sit pœna.* Et de eorum punitione extat Constitutio 46. Gregor. XV. quæ incipit: *Omnipotentis Dei, &c.* edita Die 20. *Martii* 1623. Illis autem, qui sunt maledici, debet pœnitentia injungi, quam si facere recusent, ab Ecclesia arceantur, & post mortem careant Ecclesiastica sepultura. §. *Diversa hoc tit. c. 2. de Maled. c. de Viro. 12. qu. 2. cap. Frater. 17. quæst. 4.* Blasphemare autem est attribuere aliquid Deo, quod illi non convenit; vel negare de eo, quod ipsi convenit; vel attribuere creaturæ, quod convenit soli Deo. Ita D. Thomas *2. 2. quæst. 13. art. 1.* ubi etiam Cajet. *in Verb. Blasphemia.* Et eadem pœna puniuntur etiam sacrilegi, Sed tamen advertendum est, quòd Sacrilegus quandoque pro modo delicti gravius punitur; interdum enim ultimo damnatur supplicio; ut per Host. *in Summa. eod. in fin.* Nunc Sacrilego pœnitentiæ beneficium penitùs denegatur, quod intellige in illo tantum crimi-

crimine, super quo non vult satisfacere; namque in aliis imponitur Pœnitentia, quæ licèt non sit fructuosa quò ad vitam æternam; tamen valebit ad mitius supplicium subeundum. *c. Ult. §. Ult. de Pœnit. d.* 4. & notat *in cap.* 2. *de Raptor.* Quandoque anathemate vincitur. *cap. Conquestus. de For. competen. d. cap. Quisquis.* 17. *q.* 4. *cap. Nulli.* 12. *q.* 2. *& c. Prædia.* Nunc perpetua infamia damnatus carceri traditur. *cap. Attendendum.* 17. *quæst.* 4. *c. In primis.* 2. *q.* 1. Nunc exilium ei imponitur, aut depositione coercetur. *cap. Si quis deinceps.* 17. *q.* 4. Aliquando etiam pecuniaria pœna mulctabitur. *d. c. Quisquis. cap. in litteris. de Rapt.* Sed non modò delinquentes his pœnis puniuntur, sed etiam consentientes, & cooperantes. Item Sacerdotes ipsis Pœnitentiam dantes, vel sepulturæ eorum intervenientes pari pœna puniuntur; vel & si ab iis eleemosynam recipiant. *§. Non solum. hoc tit. cap. Omnes.* 17. *q.* 4. & *ibi not.* & vide notata *in c. Ex transmissa, de Decim.* facit *cap. Super eo, de Rapt.*

TIT. VI.

De Furtis.

POstquàm supra *in §. fin.* tractatum est de quadam specie *Furti*, nempè de Sacrilegio, nunc in genere de *Furtis* tractatur, & circa tituli expeditionem videbimus:

1. *Quid sit Furtum?*
2. *In quibus Rebus consistat?*
3. *Quæ sit pœna Canonum in Fures?*
4. *Qui hac pœna teneantur?*

Quò ad Primum. Furti nomine quæcunque illicita Rei alienæ usurpatio continetur; sed nunc de his agitur Furtis, quæ speciali nomine destituta, generali Furti appellatione continentur, ut *hìc in princip. §. Item objicitur. & c. Pœnale.* 14. *q.* 5. Furtum verò *est contrectatio Rei alienæ, quæ fit animo lucrandi, invito Domino;* & dicitur à *Furvo,* ideſt *nigro;* eò quòd clam, & obscurè, & plerumque de nocte fit; vel à fraude, vel à ferendo, ideſt auferendo. *l.* 1. *ff. eod.* & refert Goffr. *in Rubr. ext. eod.*

Quò ad Secundum. Furtum committitur in rebus mobilibus, & corporalibus, non autem in immobilibus, vel incorporalibus, quæ nec tradi, nec contrectari possunt. *§. Quod autem. Instit. Civil. de Usucapien.*

Quò ad Tertium. Præter Leges Civiles, de Jure Canonico est constituta pœna in Fures, ut si fuerint hac infamia notati ad Ordines sacros promoveri non possint, quinimmò si sint promoti, ab iisdem dejiciendi sunt, & si depositi fiunt incorrigibiles, excommunicantur, & demum potestati sæculari tradi debent. *§. Fures. hoc tit. cap. Cum non ab homine. de Judic. cap. Tuæ. de Pœnis.* Et si Fures in prædando, vel furando occidantur, non est pro eis orandum. *cap. Fures. ext. eod. §. Et si dum. hoc tit.* Et ratio est, quia præsumitur, quòd decedant in peccato mortali. *cap. Placuit.* 23. *qu.* 5. *cap. Neque.* 88. *dist. cap. Pro obeuntibus.* 13. *q.* 2. Qui si vulnerati confessi fuerint, communio eis non est deneganda. *d. §. Et si dum. cap. Pœnitentes.* 50. *dist.* Et illis etiam sepultura conceditur. *cap. fin.* 13. *q. ult.* & not. *in cap.* 2. *eod.* Et dictum est supra *de Sepultur.* Et hoc procedit non solùm si confessi sint Sacerdoti, verùm etiam si Diacono, immò etiam Laico. *cap. Sanctum est. de Consecrat. dist.* 4. *cap. Quem pœnitet.* circa finem. *de Pœnit. dist.* 1. *cap.* 1. *in princ. dist.* 6. Sed advertas, quòd hoc casu Laicus non potest absolvere, quia non habet potestatem clavium, sed Deus remittit peccatum per contritionem; ut per Abb. *in cap.* 2. *eod.* Nec Papa posset dare talem potestatem non Sacerdoti, de quo notatur *in cap. Pervenit. dist.* 95. Verùm à pœna excusatur, qui propter necessitatem cibaria, vestem, vel pecus furatus fuerit. *§. Sed hæc. hoc tit. cap. Si quis propter. eod.* Etenim propter necessitatem omnia fiunt communia. *cap. Discipulos. de Consecrat. d.* 5. & *cap.* 1. *dist.* 42. & 12. *q.* 1. *cap.* 2. & *c. Quod autem.* 23. *q.* 8. & *c. Sicut. d.* 47. Qui tamen tali casu furatur, debet crêdere Dominum permissurum. *§. Furtum. Inst. Civil. de obl. quæ ex del. nasc.*

Quò ad Postremum. Non solùm tenetur furti is, qui ipsum committit, sed etiam ille, qui consilium ad furtum, aut auxilium dederit. *§. fin. hoc tit.* & not. *in c.* 1. *de Offic. delegat.* facit *§. Si verò opem. Inst. Civil. de Obligat. quæ ex delict. cap. Penult. eod.* Et nota secundùm Goffr. *in sua Summ. eod. n.* 8. Quòd consilium dat, qui persuadet, impellit, & instruit aliquem ad furtum faciendum: opem verò fert, qui ministerium, & auxilium præbet ad furripiendas res. *Instit. Civil. §. Interdum. eod. l. In furti actione. §. Rectè. ff. eod.* Et tenetur furti non manifesti. *l. Is qui opem. ff. eod. tit.* Non tamen de consilio quis tenetur; nisi furtum secutum sit. *d. l. Is qui. §. Si tu.* Item nota ex supradicto *§. fin.* quòd ille quoque reus est, qui furti conscius domino quærenti non indicat. *cap. Qui cum fure. ext. eod.*

TIT. VII.

De Usuris.

SUperiori titulo de Furtis dictum est, sed quoniam Furtum quodammodò committit, qui usuram exercet. *c. Si quis usuram.* 14. *q.* 4. ideò de Usuris hìc tractatur, & videbimus:

1. *Quid sit Usura?*
2. *Unde dicatur?*
3. *Quot sint ejus species?*
4. *In quibus rebus committatur?*
5. *Quæ pœnæ statuantur contra Usurarios?*
6. *Qui teneantur pœnis istis?*

Quò ad Primum. *Usura est quidquid ultra sortem mutuatam percipitur;* ut hìc *in princ. c. Plerique. & cap. Usura* 14. *qu.* 3. Cui descriptioni adde, *sive pacto, sive intentione aliquid sorti accedat. cap.* 1. *ext. eod. & c. Consuluit. cap. Si fœneraveris.* 14. *q.* 3.

Quò ad Secundum. Usura dicitur *ab usu,* quia scilicet pro usu pecuniæ recipitur, ut *hìc in princ.* & per Abb. & Goffr. *in Rubric. ext. eod.* vel ab *usu æris,* nam principaliter in usu pecuniæ committitur.

Quò ad Tertium. Duæ sunt species Usuræ. Alia est corporalis, & iniqua, quæ committitur inter homines, dum contractus exercent; & hæc subdividitur; Alia enim *est fœnus sortis;* Alia est *fœnus fœnoris.* Qui hanc secundam speciem exercent, etiam secundùm leges infamia notantur. *l. Improbum fœnus. C. Ex quibus causis infam. c. Infames. §. Tria.* 3. *q.* 7. Sed secundùm Jura Canonica in utraque specie ipso Jure infamia irrogatur, cùm in utraque committatur peccatum mortale. 6. *q.* 1. *c. Infames.* Altera species est spiritualis, & æqua; ut quando aliquid misericorditer tribuimus, ut à Domino multipliciter, & in perpe-

tuum

tuum tributam mensuram recipere valeamus. *c. Sicut non suo. 46. dist.* arg. *c. In singulis. 76. dist.*

Quò ad Quartum. Usura in solo mutuo proprie committitur, ut dicit Goffr. *in tit. præcit. n. 5.* Mutuum autem consistit in iis rebus, quæ pondere, numero, vel mensura continentur, ut æs, argentum, & aurum; vel quæ ad mensuram dantur, ut frumentum, vinum, & oleum: Sed nihilominùs præter has res committitur etiam Usura, ut si ego mutuem tibi aliquid ex his, quæ consistunt in pondere, numero, vel mensura, & tu pro usura promittis mihi equum, vestem, prædium, vel quid aliud; hoc enim casu Usura dicitur. *d. c. Plerique, 14. q. 3.*

Quò ad Quintum. Variæ sunt pœnæ à sacris Canonibus in usurarios statutæ, nempè infamia, excommunicatio, amissio Beneficiorum, & officiorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ privatio. *§. Multiplicibus, h. t. c. Quia in omnibus. eodem. c. Quamquam. eod. in 6.* Immò nec domus debent locari exercentibus usuras. *cap. primò. eod. in 6. cap. Si verò. de Sent. Excomm.* Accedat, quòd testamenta istorum non valent, etiamsi disponant in pias causas. *§. Testamenta.* cum sequenti. *h. t. d. c. Quamquam. eod. in 6.* Sed postquàm usuræ sunt extortæ debent restitui, vel ab his, qui receperunt, vel ab hæredibus, etiamsi non adsint personæ, quibus sit facienda restitutio, tunc enim in pauperes usuræ erogantur; quinimmò de necessitate debet fieri hujusmodi erogatio in pauperes; nisi paupertas evidenter excuset eum, qui debet facere restitutionem. *§. Planè. hoc tit. cap. Cum tu.* ubi Abb. *extr. eod.* Et nota, quòd in quantùm dicimus, paupertatem excusare, suppleas, quòd si venerit ad pinguiorem fortunam, tenetur, ut antea tenebatur. *c. Odoardus. de Solution.* arg. *l. Si debitoris. ff. de cessione honor.* & *c. Si quis de corpore. 26. q. 6.* & notatur in *c. Cum tu.* Illud etiam advertendum est, quòd Judex censura Ecclesiastica potest præcipere, ne fœnerator usuras conventas exigat, & ut exactas restituat, quamvis fuerit Juramentum interpositum de non repetendis usuris. *§. Sed & si quis hoc tit.* Et regula generalis est apud Theologos, & Canonistas, quòd Usurarius in Sacramento Pœnitentiæ absolvi non potest, nisi facta Usurarum restitutione, ut videre est apud Leotard. *de Usuris. quæst. 96. num. 19.* & apud Mastrium *in Theolog. Mor. disp. 5. num. 93.* Siquidem Usura est gravissimum peccatum, obligans ad restitutionem; & qui aliter asserit, hæreticus est. *Clem. unic. §. fin. de Usuris.* Ideò Usurarius non est capax Sacramentalis absolutionis ante factam restitutionem, vel idoneam cautionem præstitam de illa facienda. *cap. Quia in omnibus. De Usur. c. Quamquam. eod. tit. in 6.* ubi etiam statuitur, ne tradatur Ecclesiasticæ Sepulturæ, etsi pœnitens decesserit, ante factam ipsam Usurarum restitutionem. Concord. *Clem. 1. Verb. Manifestos. De Sepultur.* Quinimmò etiam Judæi publici fœneratores sunt puniendi, & excommunicatione mulctandi; scilicet eis interdicendo commercium cum Christianis. *§. Judæi quoque. hoc tit. cap. Post miserabilem. & c. Quanto. de Usuris.* non enim licitum est Judæis exercere Usuram cum Christianis, ut probat Leotardus *de Usur. qu. 100. num. 32.* & tenet Rota Romana *par. 5. recentior. Decis. 301. à num. 31. & seqq.* & notant mea Erotemata *cap. 79. n. 48. usque in fin.*

Quò ad Ultimum. Omnes tenentur pœnis supradictis, qui in mutuo recipiunt aliquid supra sortem, tribus casibus exceptis; videlicet, Damni emergentis, vel lucri cessantis, vel periculi rei mutuatæ in se suscepti. Primus casus est *Damni emergentis*, ideſt, quòd qui mutuò dat suam pecuniam alteri, hac de causa sentiat aliquod damnum; sunt tamen necessariæ tres conditiones, ne Usura committatur; *Una*, quòd nihil exigatur ultra damnum; *Altera*, quòd damnum sit verum, non autem fictum; & *Tertia*, quod Mutuatarius ab initio sit monitus de hoc damno, & consentiat illud compensare. Card. Toletus *in Summa. lib. 5. cap. 32. & 33.* & alii, quos ego allegavi in meis Decisionibus *Miscellan. decis. 33. num. 1. & 2.* Secundus casus est *Lucri cessantis*; illud scilicet, quod Mutuans lucratus esset cum ea pecunia, quam mutuo dedit; & in hoc pariter tres concurrere debent conditiones: *Una*, quod illa pecunia verè esset destinata ad negotiationem; *Altera*, quod Mutuans non habeat aliam pecuniam otiosam; & *Tertia*, quod non exigatur, nisi tantum, quantum verè lucratus fuisset ipse mutuans, detractis expensis solitis fieri in negotiatione, & hoc post annum, & volente, ac consentiente mutuatario, ut latiùs *in d. Decis. Miscellan. 33. num. 3. & 4.* ubi DD. Tertius casus est, si mutuans post datam pecuniam mutuo suscipiat in se periculum ejusdem pecuniæ, vel mercium, quas mutuatarius cum eadem pecunia emeret ad negotiandum, nam ratione *Periculi* potest licitè lucrum recipere; sed hæc una conditio necessaria est, ut non detur pecunia Mutuatario cum hac obligatione, persolvendi aliquid plus, ratione *Periculi*; sed relinquatur in sua libertate ineundi contractum Assecurationis *Periculi*: ut bene advertit Leotardus *de Usur. q. 23. n. 5.* ubi DD. cumulat; quibus addendi sunt Emanuel Gonzalez *in cap. Naviganti. n. 8.* & *ibid.* Fagnanus *n. 19. de Usuris*; & alii à me allegati in meis Discordiis Forensibus *de Jurisdictione, Discord. 31.* in qua plenè disserui de fœnore Nautico, de Cambiis maritimis, & de Contractibus Assecurationis, ostendens, quando sint liciti? & quando non? sed Usurarii.

TIT. VIII.

De Adulteriis, & aliis Conjunctionibus illicitis.

QUemadmodum in Vitiis Capitalibus post Avaritiam sequitur Luxuria, ita hic post tractatum de Usuris, quod est magnum Avaritiæ scelus, subnectitur Adulterium, tanquàm præcipuum Luxuriæ flagitium, & agitur de aliis illicitis conjunctionibus; & pro Tituli declaratione videbimus:

1. *Quid sit Adulterium?*
2. *Quotuplex?*
3. *Quo jure puniatur?*
4. *Quibus pœnis?*
5. *Quot sint species illicitarum conjunctionum?*
6. *Quibus pœnis earum singulæ mulctentur?*

Quò ad Primum. *Adulterium est alieni thori violatio.* Vel ut scribit S. Thom. 2. 2. *q 154. art. 8. Est illicitus concubitus conjugati, vel conjugatæ*; & dicitur Adulterium, quasi ad alieni thori accessus. *cap. Lex illa. §. Quam ergo. 39. q. 1.* & *cap. Non mœchaberis. 32. q. 5.*

Quò ad Secundum. Duplex est Adulterium, *Spirituale, & Carnale.* Adulterium Spirituale est

quodlibet mortale peccatum hominis Christiani; quoniam quælibet Anima Christiana est desponsata Christo, juxta illud *Oseæ* 2. 20. *Et sponsabo te mihi in fide.* Adulterium carnale est illud supra definitum, quod subdividitur in *Simplex, & Duplex.* Primum est, quando unus tantùm ex Adulteris est conjugatus. Alterum, quando uterque habet conjugem; & hoc gravius est: potissimum si adultera est conjugata. Mastrius *in Theol. Moral. disp.* 11. *num.* 125. & gravitas consistit, quia offenditur *Lex Divina*; nempè Matrimonium, quod est Sacramentum Ecclesiæ. *Laditur Lex Naturalis*, quæ præcipit, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Peccat in *Legem Canonicam*, quæ adeò detestatur hoc scelus, ut in primitiva Ecclesia Adulteros non admittebat ad Sacram communionem, nisi post Pœnitentiam Annor. 15. ut testatur S. Basilius *Epist.* 3. *ad Amphiloch.* & facit *capit. Quid in omnibus.* 32. *quæst.* 7.

Quò ad Tertium. Sciendum est ex communi DD. consensu, Adulterium esse delictum mixti Fori; & ideò puniri posse tam à Judice Ecclesiastico, quàm à Judice Sæculari. *cap. fin.* 32. *q.* 5. *cap. Tuæ. de Procurator. cap.* 1. ubi Gloss. *Verb. Canones.* Abb. *num.* 3. & Alciatus. *num.* 18. *De Offic. Ordinar.* Quod tamen est intelligendum, ut Sæcularis Judex procedere possit, quando agitur ad puniendum delictum Adulterii tantummodò; Judex autem Ecclesiasticus tum ad dictam punitionem; tùm ad sententiandum super thori separatione, in qua Laicus Judex non potest judicare. *d. cap. Tuæ. de Procurator. cap. Plerumque De Donat.* Abb. *in d. cap.* 1. *n.* 3. & *in c. Cum sit. n.* 23. *de Offic. Ordinar.*

Quò ad Quartum. Variis pœnis Adulterium punitur, tum de jure Divino, tum ex Legibus humanis. De Jure Divino punitur Adulter in anima, quæ cœlesti privatur beatitudine, juxta illud *Prov.* 6. 3. *Qui adulter est, perdet animam suam.* Ex Legibus humanis gravissimis pœnis castigantur Adulteri; nam ex Lege Mosayca hi lapidabantur, ut legitur *Levit.* 20. 10. ubi ita: *Si Mœchus quis fuerit cum Uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum Conjuge proximi sui, morte moriantur, Mœchus, & Adultera.* Hinc Susanna ducebatur, ut lapidaretur, ob impactum à Senibus Adulterium. *Dan.* 13. 62. & Mulierem deprehensam in Adulterio Judæi duxerunt pro hac pœna ad Salvatorem. *Joan.* 8. 5. Ex Jure Canonico Adulteri excommunicantur. *cap. Intelleximus. de Adulter.* Decernitur Divortium ad instantiam Conjugis innocentis. *cap. Significasti. & cap. Ex Litteris. De Divort.* Et Uxor adultera, si Maritus ita petat recluditur in Monasterio toto tempore Vitæ suæ. *cap. Gaudemus. de convers. Conjugat.* Item amittit Dotem. *cap. Plerumque. de Donat. inter Vir. & Uxor.* Ac si inter ipsos Adulteros facta sit promissio de futuro Matrimonio post mortem Conjugum suorum, insurgit Impedimentum Criminis dirimens, quo stante iidem non possunt inter se Matrimonium contrahere, *cap.* 1. *& 2. De eo, qui duxit in Matrimon. quam pollut per Adulter.* Summa Diana *Verb. Impedimenta Matrimon. num.* 9. Si verò Clericus committat Adulterium, deponitur ab officio, & beneficio; & detruditur in Monasterium ad agendam Pœnitentiam, Gloss. *in cap. Lator.* 7. *quæst.* 7. *cap. Si quis Clericus & cap. Romanus.* 81. *dist.* Decian. *lib.* 6. *cap.* 23. *num.* 18. & Menoch. *De Arbitr. Jud. cas.* 419. *num.* 60. Hodiè tamen hæc pœna non est in usu; sed arbitrio Episcopi Clericus Adulter est puniendus. *cap. At si Clerici. §. De Adulteriis. extr. de Judiciis.* & notat Antonellus *de Regimine Milit. Eccl. lib.* 6. *cap.* 33. *num.* 9. ubi DD. Illud etiam sciendum est, quòd si maritus aggrediatur Clericum repertum in Adulterio, & Clericus pro suæ vitæ defensione occidat Maritum, remanet irregularis. *cap. Petrus.* & ibi Abb. & DD. *de Homicid.* Sylvester. *Verb. Homicidium* 3. *quæst.* 4. Belletus *Disquis. Clerical. part.* 1. §. 5. *num.* 40. *de Disciplin. Cleric.* Ex Jure autem Civili Adulteri puniuntur pœna mortis. *l. Quamvis. in fin. C. de Adulter.* Auth. *Sed hodie. C. eod. tit.* Hæc tamen pœna non est in usu; sed secundùm qualitatem adulterantium, eos Judex punit vel fustigatione, vel carcere, vel exilio, aut pœna pecuniaria. Julius Clarus *in §. Adulterium. num.* 7. Et tandem non ignorandum, quòd Adulterii delictum quinquennio præscribitur, adeò ut transactis annis quinque de eo non recipitur accusatio. *l. Mariti. §. Quinquennium. ff. de Adulter. l. Adulter.* ubi Glossa, *C. eod.*

Quò ad Quintum. Præter Adulterium sunt aliæ novem species illicitarum Conjunctionum carnalium; videlicet *Fornicatio*, quæ est conjunctio soluti cum soluta; sed vaga; idest modò cum una, modò cum altera fœmina. *Concubinatus*, dum retinetur domi, vel extra domum Mulier soluta ad effectum coeundi cum illa, tanquam si esset Uxor. *Stuprum*; & est defloratio Virginis ipsa invita; quamvis largo modo stuprum dicatur etiam copula carnalis per vim habita cum vidua, vel alia Muliere honestè vivente. *Raptus*, & est violenta abductio fœminæ ex ejus domo, causa libidinis. *Incestus*; quando quis se carnaliter conjungit cum Consanguinea, vel Affine usque ad quartum gradum inclusivè. *Sacrilegium*, dum quis exercet carnalem copulam vel cum persona, Voto solemni Deo consecrata; vel cum quacunque alia, sed in loco Sacro. *Pollutio*, seu *Mollities voluntaria*; quæ est emissio seminis, delectationis causa manibus, vel alio modo, spontè facta. *Sodomia*; & est congressus libidinosus duorum ejusdem sexus; vel maris cum fœmina, sed extra istius vas naturale. Et *Bestialitas*, quæ est coitus hominis cum animalibus irrationabilibus. Hæ tres ultimæ species dicuntur conjunctiones carnales contra naturam; primæ sex, etsi illicitæ, secundùm naturam. Ita omnes Theologi, & Canonistæ, quos allegant mea Erotemata Ecclesiastica *De Sexto Præcepto Decalogi, cap.* 66. *& seqq.*

Quò ad Ultimum. Omnes supradictæ illicitæ Conjunctiones carnales, tanquàm enormia delicta, gravissimis pœnis in utroque foro puniuntur. Siquidem, licèt simplex Fornicatio de Jure Civili nec prohibita, nec punibilis sit, Julius Clarus *in §. Fornicatio. num.* 1. & Farinacius *de Delictis Carnis. quæst.* 137. *num.* 41. ipsa tamen prohibetur tum Jure Divino, ut *Exod.* 20. *Deuter.* 5. *Numer.* 25. & exclamat Apostolus Paulus *ad Thessalon.* 4. *ad Ephes.* 5. *& 1. ad Corinth.* 5. *& 6.* tum Jure Canonico. *capit. Nemo.* 32. *quæst.* 4. *capit. Audire.* 34. *dist. cap. Nubendi.* in fin. 27. *quæst.* 1. & *in cap. Fornicari.* 80. *dist.* ea ratione, quia ipsa est peccatum mortale, privans Fornicarios Regno Dei; quod adeo verum

verum est; ut asserentes contrarium sint hæretici. *Clem. Ad nostram. de Hæretic.* & habetur in Propositionibus damnatis ab Innocentio Papa XI. *Proposit.* 48. de qua Cardenas *in Crisi Theolog, Dissert.* 29. *cap.* 1. Neque obstat, quòd in Foro externo Fornicatores simplices, & Meretrices non puniantur; quia puniuntur ad nefandas libidines avertendas, ut ajunt DD. quos citat Barbosa *in Collect. ad cap. Omnis, dist.* 4. *n.* 4. Clerici tamen, ob simplicem Fornicationem, in Foro Ecclesiastico ad arbitrium Judicis puniuntur, etiam depositione, & beneficiorum privatione, ut probat Farinacius *d. quæst.* 137. *à num.* 14. *& seqq.* & Belletus *de Pœnis Clericor. §.* 2. *num.* 4. Porrò Laici Concubinarii quamvis de Jure Civili non castigentur. *toto tit. ff. & Cod. de Concubin.* De Jure tamen Canonico olim puniebantur arbitrio Episcopi. Antonellus *de Regim. Milit. Eccles. lib.* 8. *cap.* 29. *num.* 3. Hodiè ex Concilio Trident. *sess.* 24. *de Ref. Matrim. cap.* 8. si post trinam monitionem Concubinas non ejiciant, debent ab Episcopis excommunicari; & mulieres etiam exilio possunt mulctari, prævia invocatione Brachii sæcularis, vel aliis juris remediis juxta usum Regionis, ut plenè probat Pignatellus *tom.* 9. *Consult.* 139. Clerici verò Concubinarii olim de Jure Canonico censebantur ipso Jure suspensi. *cap. Quæsitum. de Cohabit. Clericor. & Mulier.* & celebrando fiebant irregulares. Gloss. *in cap. Cum dilectus. de Accusat.* Sed nunc servandum est Concilium Trid. *sess.* 25. *cap.* 14. *de Reform.* ubi est sancitum, quòd ab Episcopo moneantur, ut Concubinas dimittant: qui si post primam monitionem non paruerint, tertia parte fructuum beneficiorum, & Pensionum mulctentur; & si contumaces erunt etiam post secundam monitionem, fructus omnes amittant, & sint ab administratione beneficiorum suspensi. Quòd si inemendati persistant, post tertiam monitionem priventur in perpetuum Beneficiis, ac Pensionibus. Si verò Concubinas dimittant, at earum consortium repetant, excommunicentur. Antonell. *d. libr.* 6. *cap.* 29. *num.* 3. Thesaur. *de Pœnis Eccles. part.* 2. *Verb. Concubinatus. cap.* 1. & Pignatell. *d. tom.* 9. *Consult.* 139. Ubi autem Clerici tenentes Concubinas non habuerint Beneficia, vel Pensiones, puniendi sunt carcere, & aliis pœnis ad arbitrium Episcopi, ut in Concil. Trid. *d. sess.* 25. *c.* 14. *de Ref.* & notat Pignatell. *ubi suprà;* & mea Erotemata Ecclesiastica *d. cap.* 68. *à num.* 9. *& seqq.* ubi plura de hac materia, & præcipuè quòd in foro Conscientiæ Concubinarii non sunt absolvendi, nisi priùs ejiciant Concubinas; & ad eas ejectas non revertantur sub quovis prætextu, non solùm ad effugiendum periculum incontinentiæ; sed etiam ad scandalum evitandum.

Laicus, qui *Stuprum* commisit cum violentia, punitur pœna mortis, si sit completum. *l.* 1. *§. fin. ff. de Extraord. Crimin.* Gloss. *in c.* 2. *Verb. plectendus. de Adulter. & Stupr.* At si completum non sit, infligitur pœna extraordinaria arbitrio Judicis. Barbosa *in cap.* 2. *num.* 6. *de Adulter.* Et hæc de Jure Civili; At de Jure Canonico Stuprator tenetur Virginem stupratam vi, aut dolo in Uxorem ducere, vel dotare. *cap.* 1. *& 2. de Adult. & Stupr.* Navar. *in Manual. cap.* 16. *n.* 16. Si verò stuprum commissum sit à Clerico, punitur pœna depositionis, remanet infamis, & irregularis, tenetur dotare puellam, ac aliis pœnis corporalibus punitur arbitrio Judicis. Abb. *in cap.* 1. *&* 3. *de Adulter.* Farinac. *de Delictis Carnis. q.* 147. *n.* 108. & Diaz *in Praxi cap.* 85. *n.* 2.

Contra *Raptores* honestarum Mulierum, & eas per vim carnaliter cognoscentes infligitur de Jure Civili pœna mortis. Clarus *in §. Raptus.* Boherius *de Raptu Mulier. n.* 7. De Jure autem Canonico, iidem Raptores sunt ipso Jure excommunicati, tenentur raptam Mulierem dotare; & invalidum est eorum Matrimonium cum rapta, quamdiù ipsa in potestate Raptoris steterit; ex Concilio Trid. *sess.* 24. *de Matr. cap.* 6. Antonell. *d. libr.* 6. *c.* 30. *num.* 7. Quod si iidem Raptores sint Clerici privantur beneficiis, & usu Ordinum, remanent infames, & irregulares. Thesaur. *de Pœnis Eccl. part.* 2. *Verb. Raptus Mulieris. cap.* 2.

Incestuosi de Jure Civili privantur dignitate, & puniuntur ad arbitrium Judicis. Riccius *in Collect. part.* 1. *Decis.* 151. *& part.* 5. *Decis* 1869. De Jure Canonico sunt infames. *cap. Consanguineorum.* 3. *q.* 4. *c. Infames.* 6. *q.* 1. Sunt excommunicandi. *cap. Incestuosi.* 35. *q.* 8. & privantur facultate contrahendi Matrimonium. *cap. In Lectum.* & *cap. seq.* 34. *quæst.* 2. Quod si de facto contrahant Nuptias incestuosas, idest in gradibus prohibitis, sunt ipso facto excommunicati. *c. Non debet. de Consanguin. & Affinit.* Clem. *Unica.* & ibi Gloss. *eod. tit.* Filii sunt illegitimi, nec parentibus succedunt. *cap.* 1. 35. *q.* 7. & Jus non habent Conjuges incestuosi petendi debitum, nam semper committunt peccatum. Si autem in hoc delictum *Incestus* incidant Clerici, vacant ipso Jure eorum beneficia, & ab Ordinibus deponuntur, remanent infames, ac Irregulares. Guid. Papa *decis.* 239. Farinac. *qu.* 149. *à num.* 1. *& seqq.* de *Delict. Carn.*

Sacrilegium committens per copulam carnalem cum Moniali, si laicus est, pœna mortis est puniendus. Farinac. *d. q.* 146. *§. Sacrilegium.* Si verò Clericus, est omninò deponendus, & gravi pœna ad Arbitrium Episcopi castigandus; remanet infamis, & irregularis. Farinac. *ibid. num.* 26. Menoch. *de Arbitrar. Judic. lib.* 2. *casu* 360. *num.* 58. Qui verò copulam carnalem exercent in Loco sacro, pœna arbitraria tam Jure Civili, quàm Jure Canonico puniuntur. Antonell. *d. libr.* 6. *cap.* 36. *n.* 4. Confessarii autem, qui in Sacramento Pœnitentiæ sollicitant Mulieres ad turpia, sunt Sacro Inquisitionis Officio denunciandi, & ibi graviter puniendi, ut probant mea Erotemata Ecclesiastica *per tot. cap.* 72. *ubi DD.*

Tandem committentes illicitas Conjunctiones contra naturam, de Jure Civili feriuntur pœna mortis. *l. Cum Vir nubit. C. Ad leg. Jul. de Adult.* & de consuetudine igne comburuntur, & eorum bona confiscantur. Clarus *in §. Sodomia. vers. Sed quæro.* Et eadem pœna plectuntur Jure Canonico. Quarant. *in Summ. Bullar. d. verb. Sodomia.* adeò ut si Clerici sint, degradentur, & tradantur Judici sæculari morte puniendi, ut latè notant Criminalistæ agentes de delictis contra naturam; & novissimè Conciolus *in Resolution. criminal. d. Verb. Sodomia. resol.* 1. 2. & 3. Notant tamen Criminalistæ, quod delicta voluntariæ pollutionis, vel mollitiei, pœna extraordinaria puniuntur, quamvis & ipsa sint enormia, & contra naturam.

Ita Caball. *in Resol. Crimin. casu* 16. *num.* 6. ubi tales impudicos vocat *Mastrupatores.* Farinacius *de Delictis Carnis. q.* 148. *n.* 39. & Menoch. *de Arbitr. casu. num.* 47. In tremendo autem Dei judicio severissimè corripiuntur, tum privatione æternæ Beatitudinis, quia teste Apostolo. 1. *Cor.* 6. 9. *Neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores Regnum Dei possidebunt.* tum celeri morte temporali, ut legitur de duobus Filiis Judæ, maritis Thamar, quos Dominus juvenes Vita privavit *eo quòd rem detestabilem facerent, semen effundentes super terram.* Genes. 38.

TIT. IX.

De Crimine Falsi.

HOmo ditatus est à Deo in hac vita thesauris tribus, videlicet Honore, ac bona fama; Bonis temporalibus; ac ipsa Vita; in Superiori titulo actum est de Delictis carnis, quæ proximorum honorem, & bonam famam prædantur; in præsenti agendum est de Crimine Falsi, quod committunt illi, qui bona temporalia proximi sui sibi satagunt usurpare. Et pro expeditione Tituli videbimus:

1. *Quid sit Falsitas?*
2. *Quotuplex?*
3. *Quot modis committatur Falsum in contractibus, & in Judicio?*
4. *Quibus pœnis puniantur Falsarii de Jure Civili?*
5. *Quibus de Jure Canonico?*
6. *An detur Falsitas impunibilis?*

Quò ad Primum. *Falsitas est actus dolosus, veritatis mutandæ gratia, ad alterum decipiendum factus. l. Nec exemplum.* 20. *C. Ad legem Cornel. de Falsis.* Nicolius *Instit. Civil. libr.* 4. *tit.* 18. *num.* 80. Ex qua definitione colligitur, tria esse necessaria in falsitate, ut sit punibilis. Primò, quod commissa sit ex dolo, scienter, & ex prava voluntate; secus enim est, si committatur ex ignorantia, vel ex inadvertentia. Secundò, quòd ipsa Falsitas noceat alicui: si enim ex ea nullum nocumentum resultaret, nulla infligeretur pœna. Et tertiò, quòd immutata sit Veritas; siquidem absque veritatis immutatione, falsum non intrat. DD. quos cumulat Anton. Conciolus in suis *Resolut. Criminal. Verb. Falsum. resol.* 2. *num.* 1.

Quò ad Secundum. Duplex est Falsitas; Una, quæ committitur in contractibus, seu commerciis: & Alia, quæ patratur in judiciis; & de utraque in sequenti Quæsito.

Quò ad Tertium. In contractibus, & in commerciis Falsitas committitur, ut plurimùm, in numerando, in ponderando, in mensurando; & rem vitiosam scienter tanquam rem bonam, & perfectam tradendo. In omnibus casibus, qui dolosè Falsitatem committit, peccat mortaliter; & tenetur ad restitutionem; reficiendo scilicet proximum suum pro damno, quod ex tali fraude, & falsitate passus est, ut docet S. Thomas 2. 2. *qu.* 62. *art.* 6. & Rebellus *de Oblig. Just. part.* 1. *libr.* 2. *quæst.* 13. In judicio autem committit falsitatem, qui utitur scripturis falsis: vel in publicis Instrumentis, aut litteris Apostolicis, vel aliis authenticis Chartis aliquas litteras radit, vel mutat ad occultandum earum verum tenorem, & sensum Veritati contrarium indicandum. *l. Majorem. C. de Falsis. cap.* 1. *& tot. tit. extr. de Crimin. Falsi.* Item qui utitur falsis testibus in comprobanda sua intentione in judicio: ut latè docent Criminalistæ; & novissimè Antonell. *de Regim. Milit. Eccles. lib.* 6. *cap.* 26. atque Nicolius *Instit. Civil. de lib.* 4. *tit.* 18. *a num.* 80. *& seqq.* ubi sub *numer.* 85. explicat plures modos, quibus Litteræ Apostolicæ dicuntur falsificari, non solùm per rasuram; sed etiam per appositionem alterius canapis; chordulæ, vel plumbi, ut ibi per eum; & per Thesaur. *de Pœnis Ecclesiastic. part.* 2. *Verb. Falsum, cap.* 4.

Quò ad Quartum. Cùm crimen Falsi sit mixti Fori, sive committatur in re Ecclesiastica, sive in re profana, ut notant DD. *in cap. Cum sit generale. de Foro compet.* Pœna falsi de Jure Civili in homine libero est deportatio, & bonorum publicatio; in Servo autem est ultimum supplicium. *l.* 1. *ff. Pœna falsi. ff. ad Leg. Cornel. de falsis.* Sed quia hodie tales pœnæ non sunt in usu; sunt illæ infligendæ, quæ per statuta loci decernuntur; seu ad Judicis arbitrium, ideſt Fustigatio, seu condemnatio ad triremes, attenta gravitate, vel levitate falsitatis. *l. Sacculariis. §. Sunt quædam. ff. de Extraord. crimin. l. Hodie. ff. de Pœnis.* Antonell. *d. libr.* 6. *cap.* 26. ubi *num.* 2. scribit, quòd pars ipsa, falsitatem in causa committens, causam perdit. *l. Infraudem. §. Quoties.* ubi Glossa. *Verb. cadat. ff. de Jure Fisci.* & *num.* 8. subdit varias pœnas, quibus plectuntur Testes falsum deponentes tum in causa criminali, tum in causa civili; ac etiam eos subornantes secundùm gravitatem causæ, prout DD. *ibi* per eum allegati.

Quò ad Quintum. De Jure Canonico, præter supradictas pœnas de Jure Civili statutas, Falsarii si sint Clerici deponuntur. *cap. Ad Audientiam. De Crimin. falsi. cap. Ad falsariorum. eod tit.* Glossa. *in c. Cum non ab homine. Vers. postmodum. De Judic.* Falsificantes verò Litteras Apostolicas incurrunt in Excomunicationem Papæ reservatam per Bullam in Cœna Domini *can.* 6. Fautores verò, consulentes, aut mandantes falsificationem, ligantur excommunicatione contenta *in d. c. Falsariorum. de Crim. falsi;* quæ tamen non est Papæ reservata, ut tradunt Theologi, ac Canonistæ apud eundem Antonellum *d lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 2. & Thesaur. *de Pœn. Eccles. de Verb. Falsum. c.* 4. ubi *num.* 4. innuit novam Constitutionem Innocentii Papæ X. *diei* 8. *Aprilis* 1653. quæ confirmat prædictas Censuras, & addit alias gravissimas pœnas contra falsificantes Litteras Apostolicas tam datas sub plumbo, quàm in forma Brevis sub Annulo Piscatoris. Tandem qui falsificant Litteras Ordinariorum, aut Dimissorias, & cum eis promoventur ad Ordines, sunt ipso Jure suspensi; cumque de hoc crimine fuerint convicti, & condemnati, fiunt infames, ac irregulares. Thesaur. *ibid. c.* 5. *& in Verb. Ordo. cap.* 16.

Quò ad Sextum, & ultimum. Falsitas non punitur in duobus casibus. Primus est, quando non est *dolosa*, ideſt quando fuit commissa ex ignorantia, vel inadvertentia, absque culpa. *cap. Inter dilectos. de Excessibus Prælat.* Gloss. *in d. c. Ad falsariorum. Verb. dixerunt. de Crim. falsi.* ut si quis uteretur Scripturis apud suos majores repertis, quæ non continerent veritatem; & ipse crederet, eas esse veras; vel si quis expenderit monetam falsam, ab alio habitam tanquàm bonam: adeò ut, deficiente dolo semper falsitas sit impunibilis, tam pœna ordinaria, quàm extraordinaria, Jul. Clar. *in §. Falsum. num.* 33. Farina-

linacius *de Falsitate. quæst.* 150. *num.* 273. *& num.* 278. Menochius *cas.* 309. *num.* 2. & alii plurimi adducti per Conciol. *Verb. Falsum. resol.* 2. *num.* 2. & 3. Secundus casus est, quando Falsitas non est nocibilis; & nullum damnum alicui causare potest; ad hoc enim ut sit punibilis, debet esse non solùm, *Dolosa*, sed etiam *Damnosa*; ut si quis scriberet in proprio Libro se esse creditorem Titii Ducatorum centum; quia Scriptura non probat pro scribente; vel si quis in Testamento nullo, & invalido per alium facto, adjiceret legatum ad sui favorem; in his enim, & similibus casibus, quia Falsitas non nocet, remanet impunibilis. Castrens. *cons.* 130. *per tot. lib.* 1. Natta *cons.* §88. *per tot. part.* 4. Farinac. *d. quæst.* 150. *num.* 320. Conciol. *ubi supr. Resol.* 4. & Antonell. *de Regim. Milit. Eccl. d. lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 12. Sed utrum sint punibiles, qui fabricant Aurum Chimicum, seu Alchimicum, & illud pro vero auro expendunt? disputant DD. quos allegat Thesaur. *de Pœnis Eccl. d. part.* 2. *Verb. Falsum. cap.* 2. ubi plurimi pro utraque opinione; sed affirmativa est probabilior. quia Alchimia prohibita est per *Extrav. Unic. de Crimin. falsi.* Vide mea Erotemata *cap.* 22.

TIT. X.

De Homicidio.

TRia sunt bona temporalia, quibus homo à Deo in hac vita ditatur, videlicet Facultates, Honor, & Vita; cumque supra actum sit de delictis, quibus proximus læditur in facultatibus, nempè Furtis, & Usuris; necnon in honore, scilicet adulteriis; & falsitatibus; in præsenti agitur de crimine, quo offenditur in vita, quod est Homicidium; pro cujus criminis explicatione videbimus:

1. *Quid sit Homicidium?*
2. *Quotuplex?*
3. *Quale sit Homicidium necessarium?*
4. *Quale sit Casuale?*
5. *Quale sit Culpabile, & quot modis committatur?*
6. *Quibus pœnis Homicidium puniatur?*
7. *An in aliquo casu licitum sit Homicidium sui ipsius?*

Quò ad Primum. Homicidium communiter definitur à Canonistis, & Theologis, quòd sit *injusta Hominis occisio.* Ita Cardin. Toletus *lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 1. Dicitur *Injusta*, ad denotandum, quòd mors, quæ infertur per ministros Justitiæ malefactoribus, pro executione sententiæ à competentibus Judicibus contra eorum vitam servatis servandis, & juxta leges prolatæ, non dicitur Homicidium. Principes enim; & Judices ab eis delegati in suis Regnis ad regendos populos habent à Deo facultatem inferendi mortem committentibus delicta; contra quos leges hanc legem mortis decernunt; prout præcepit Deus per Moysem *Exod.* 22. in illis verbis: *Maleficos ne patiaris vivere.*

Quò ad Secundum. Sciendum est, plures à DD. assignari Homicidii divisiones. Prima est, quod aliud est ex publica, & aliud ex privata potestate. Ex publica est mors illata malefactoribus per sententiam Judicis ritè, ac rectè, & secundùm leges prolatam, ut dictum est supra. Item quando Reges, & Principes coacti sunt ad Jura suorum Regnorum defendenda committere bellum; omnes enim qui moriuntur, ex publica Auctoritate necati dicuntur. Ita Thesaur. *de Pœnis Eccles. part.* 2. *Verb. Homicidium c.* 1. Homicidium ex privata potestate est illud, quod ab Homine privato committitur, & hoc subdividitur; nam aliud vocatur inculpabile; nempè si sit casuale, vel necessarium; & aliud dicitur culpabile; quando ex odio, seu privata vindicta in proximum committitur vel per se, vel per alios, vel ex manifesta violentia, vel proditorie. Thesaurus *ubi sup. d. c.* 1.

Quò ad Tertium. Homicidium necessarium, & inculpabile est illud, quod quis committit ad defensionem propriæ Vitæ, vel Honoris, seu bonorum magni momenti, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ; videlicet cum tribus requisitis; *Uno*, quòd sit æqualitas armorum, quia non licet pugione ferire illum, à quo quis pugnis fuit impetitus. *Altero*, quòd repercussio fiat incontinenti; si enim intercesserit aliquod temporis spatium, erit vindicta; non necessaria defensio. *Tertiò*, quòd aggressus non possit aliter salvare suam vitam, vel suum honorem, aut bona magni valoris; si enim aliter potest sibi, honori suo, vel bonis prospicere, si occidat aggressorem, reus erit Homicidii. Bordonus *Decis. Miscellan.* 81. & ibi *texx. & DD.* & mea Erotemata Eccles. *cap.* 58. *à num.* 6. *& seqq.* ubi plura, & curiosa quæsita circa Homicidium necessarium commissum cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Quò ad Quartum. Homicidium Casuale est illud, quod casu, & præter intentionem agentis committitur, quia ut ait Aristoteles *lib.* 7. *Physicor. Casus est causa agens præter intentionem.* Et de hoc casuali Homicidio loquitur *l.* 1. §. *Divus. ff. Ad Leg. Corn. de Sicar. & l. Si putator. ff. Ad Leg. Aquil.* ac de eodem habentur *texx. in cap. Presbyterum. cap. Continebatur. cap. Significasti. extr. de Homicidio.* Necnon *in cap. de his. cap. Clerico c. Eo verò. c. Si quis voluntate. cap. Is, qui arbore. & cap. Sæpè.* 50. *dist.* Circa quod Casuale Homicidium, ut sit punibile, quamvis alii distinguant, an illud committens dabat operam rei licitæ, vel rei illicitæ? Verior tamen opinio est, quòd in utroque casu non mereatur pœnam; quando adhibuit sufficientem diligentiam; & tunc solùm sit punibile, quando agens fuit in lata culpa, vel levi, aut levissima, ut innuunt *texx. in c. Quæsitum. c. Quantum.* 50. *dist. & in c. Lator. c. Ex litteris. c. Significasti. & cap. Exhibita. de Homicidio.* prout etiam *in cap. fin. De his, qui filios occiderunt.* Quòd latè demonstrat Emanuel Gonzalez *in Comment. ad c. De catero. num.* 8. *De Homicid.* ubi plurima dat exempla Homicidiorum Casualium, quæ cum culpa, vel sine culpa committuntur, ibi à Studiosis videnda.

Quò ad Quintum. Homicidium culpabile est illud, quod ex voluntate directa committitur ab habente animum occidendi, vel causam dante actioni voluntariæ, ex qua sequitur homicidium. *l.* 1. *& l. Divus. ff. Ad Leg. Cornel. de Sicar. l. Cum autem. ff. de Ædilit. Edicto. cap. Sicut dignum. De Homicid. cap.* 1. §. *Si quis hominem. De pace tenenda in usib. Feudor.* Idcircò requiritur ad homicidium voluntarium, quòd dolo malo, animoque occidendi perpetretur; & sequatur actus occisionis. Undè infertur, quòd sæviens in cadaver inimici, aut illud obtruncans, etiam eo animo,

ut si vivum reperisset, occideret, non dicitur committere homicidium, ut notant DD. quos citat, & sequitur Eman. Gonzalez *in d. cap. De cætero. n. 5. De Homicid.* Duobus autem modis hoc Homicidium culpabile, & injustum solet committi. Primò manifestè in rixa, motu choleræ, & apertæ, ac violentæ aggressionis ob vindictam in manifestum inimicum. Secundò proditoriè, clam, seu per occultas insidias. Quare sciendum est, illum dici proditorem, qui occidit aliquem, cui tanquam socium, seu amicum se adjunxerat in via; nulla rixæ causa interveniente; & habetur pro regula, quòd Homicidium commissum sine præcedentibus inimicitiis, dicatur proditorium. Nicol. *in Instit. Civil. lib. 1. tit. 8. num. 31.* ubi id ampliat, etiamsi non occidat ferro, sed veneno, vel quolibet alio modo; & non solùm per se, sed per assassinos. Dicuntur autem Assassini, qui pecunia, vel alio pretio accepto, seu promisso, occidunt homines incautos, nihil tale ab eis præcogitantes. Maschard. *Conclus. 138. num. 1.* & alii DD. apud Farinacium *Consil. 96.* talesque dicuntur non tantùm exequentes, sed etiam mandantes. *cap. 1. de Homicid. libr. 6.* Conciolus *in Resolut. Criminal. Verb. Homicidium. resol. 5.*

Quò ad Sextum. Homicidium commissum ex necessaria defensione aut vitæ, aut honoris, aut bonorum nulla pœna punitur. *Clem. Si furiosus. de Homicid.* Farinac. *quæst. 125. num. 27. & num. 130.* ubi *text.* & DD. Sed utrùm in tali homicidio incurratur saltem Irregularitas ex defectu lenitatis? Sunt discordes DD. alii enim negant, sed alii affirmant, ut ostendit Thesaur, *de Pœnis Eccles. Verb. Homicidium, cap. 1.* ubi notat in principio, quòd dictam Irregularitatem ex defectu lenitatis incurrunt Judices condemnantes Malefactores ad mortem; & Milites in bello justo pugnantes; quod latiùs idem Thesaur. probat *in Verb. Bellum. cap. 1.* & *in Verb. Judicis laici munus.* Homicidium autem privatum voluntarium commissum ex odio, seu vindicta punitur pœna mortis. *tot. tit. ff. & Cod. Ad Leg. Cornel. de Sicariis.* Et de Jure Canonico causat Irregularitatem; itaut homicida promoveri non possit ad Ordines. *cap. fin.* ubi DD. *De Tempor. ordin. cap. 1. & seqq. De Homicid.* Concil. Trid. *sess. 14. de Ref. cap. 7. & sess. 24. de Ref. cap. 6.* etiamsi homicidium fuerit occultum, & super eo publicata non sit sententia, Glossa *in cit. cap. fin. de Tempor. Ordin.* Farinac. *quæst. 119. num. 56.* Et si homicida sit Clericus, ipso facto incurrit privationem beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ possidet; & fit incapax ad alia beneficia consequenda ex *d. cap. 7. sess. 14. Conc. Trid. de Ref.* & ostendit Thesaur. *de Pœnis Eccles. d. part. 2. Verb. Homicidium, cap. 1. num. 4.* Quòd si Homicidium commissum sit in personam Clerici, seu Sacerdotis, homicida incurrit excommunicationem Papæ reservatam, prout etiam si tantùm vulneraverit, vel percusserit. *cap. Si quis suadente. 17. q. 4.* & si sit Patronus Ecclesiæ amittit Juspatronatus. *cap. in quibusdam. De Pœnis.* Thesaur. *ubi supra cap. 4.*

Homicidium autem Casuale, commissum sine dolo, & sine culpa, nulla pœna punitur de Jure Civili, ut tradunt omnes Criminalistæ, quos allegat Farinacius *quæst. 126. num. 57.* novissimè Conciolus *d. Verb. Homicidium. Resol. 4. num. 1.* Neque de Jure Canonico, quia neque ex eo incurritur Irregularitas. *cap. Lator. cap. Ex litteris. cum seq. cap. Significasti. cap. Exhibita. & cap. Joannes. De Homicid.* Qui tamen texx. intelligendi sunt, quando Homicidium accidit absque aliqua committentis culpa, & dummodò dabat operam rei licitæ; quia si rei illicitæ vacabat, DD. sunt discordes, alii enim tenent adhuc non incurri in Irregularitatem; sed alii docent, Irregularitatem incurri; & ideò in facti contingentia videndi sunt DD. quos congerunt Thesaur. *de Pœnis d. part. 2. Verb. Homicidium. cap. 1. num. 1. in fin.* Emanuel Gonzalez *in Comment. ad d. cap. De cætero. num. 8. de Homicid.* & Fagnanus *in cap. Ad Audientiam. à num. 1. & seqq. De Homicid. tom. 6.*

Quò ad Ultimum. Dicendum est, nunquam esse licitum occidere seipsum. Farinac. *quæst. 128. num. 25.* Menoch. *de Arbitr. casu 284. num. 5.* & ideò qui sibi ipsi mortem infert, privatur Ecclesiastica sepultura, oblationibus, & suffragiis Ecclesiæ. *cap. Placuit.* & ibi DD. *23. q. 5.* & si sit Clericus, incurrit excommunicationem Papæ reservatam, ut demonstrat Thesaurus *de Pœnis Eccl. d. part. 2. Verb. Manus. cap. 1. num. 1.* ubi sub *num. 5.* limitat prædictas pœnas, ut non procedant contra eum, qui ex furore, vel dementia sibi manus violentas intulit; & idem dicendum est de infirmo, qui recusat sumere medicinas à Medico præscriptas; vel nimia inedia, vel immoderatis corporis afflictionibus sibi accelerat mortem, si ob finem mortificationis, & ob acquisitionem virtutum id agat: ut dicunt mea Erotemata Eccles. *cap. 11. quæs. 7. & cap. 58. quæs. 1.*

TIT. XI.

De Injuriis, & Damno dato.

QUoniam proximus offenditur non solùm per homicidia, vulnera, & mutilationem membrorum, de quibus supra disseruimus; sed etiam per injurias, & illationem damnorum; idcircò de his in præsenti breviter est agendum; & videbimus:

1. *Quid sit Injuria?*
2. *Quot modis committatur?*
3. *Quæ actio competat pro injuriis?*
4. *Quibus competat?*
5. *Quibus pœnis puniantur injuriantes?*
6. *Damna illata quomodo resarciantur?*

Quò ad Primum. Injuria est verbum generícum, significans omne id, quod contra Jus committitur, ut notant DD. *in l. 1. ff. de Injur.* propriè tamen est *Contumelia illata contra honorem, vel bonam famam alicujus, ad eum contemptibilem reddendum.* Bart. *in l. Eum, qui. eod. tit.* Picardus *in Instit. Civil. lib. 4. tit. 4. num. 17. cap. Quid dicam. 14. q. 4.*

Quò ad Secundum. Tribus modis infertur contumelia, & committitur injuria in aliquem, videlicet Verbis, Calamo, & Factis. Injuriatur Verbis ille, cui improperatur aliquid, quod ejus famam gravat apud bonos, & reddit eum contemptibilem, etiamsi improperium illud non sit criminosum; ut si quis appellet aliquem spurium, vel bastardum; aut consimili injurioso titulo nominet. *l. 3. ff. de Liber. & posthum. l. Turpia legata. ff. de Leg. 1.* Abb. & Felinus *in c. Cum te. De jurejurand.* etiamsi quod objicitur, verum sit; quando per modum contumeliæ profertur. *l. 2. C. de Offic. Rector. Provinciæ.* Et Hostien. *in tit. de Injur. num. 6.* Exemplum habemus in Scriptura Sacra de Semei injuriante Regem David fugien-

tem

tem à seditione populi, excitata per Absalonem filium ejus; ita enim improperabat Regi: *Egredere, egredere Vir sanguinum, & Vir Belial. Reddidit tibi Dominus universum sanguinem Domus Saul; quoniam invasisti Regnum pro eo. 2. Reg.* 16. 8. Præcipuè autem quis injuriatur, cùm ab alio ei datur *Mentita*; & ei dicit, *Tu mentiris*; hæc enim verba sunt valdè injuriosa, & contumeliosa; significant enim, & inferunt, Tu es homo falsus, mendax, tristis, ac impius. Clar. *in §. Injuria. post princ.* & ibi Bajard. *num.* 20. Farinac. *q.* 105. *num.* 310. ubi DD. & Menochius *cons.* 41. *num.* 8. & 9. Novissimè Conciol. *in Resolut. crimin. Verb. Injuria, resol.* 2.

Secundò, quis injuriatur Calamo, quando alter contra eum scribit libellum famosum; vel componit carmina; aut cantilenas, historias, vel alias scripturas infamatorias. *l.* 5. §. *fin. ff. de Injur.* Item si quis in judicio vel agendo, vel excipiendo, objecerit Adversario rem aliquam, quæ ejus lædat æstimationem; & non probaverit, eam esse veram. *l. Item apud.* §. *Ait Prætor.* & ibi Glossa. *ff. hoc eod. tit.* Prout etiam mittens Litteras ad superiorem sine subscriptione, ac nomine scribentis, in quibus narrentur defectus alicujus personæ, qui probari non possint, ideòque his litteris, quæ vulgò dicuntur *Lettere Orbe*, nulla fides est præstanda. *cap. Inquisitionis. De Accusationib.* Nicol. *Instit. Civil. lib.* 4. *tit.* 4. *n.* 4. Quamvis Superior non malè agat, si stet attentus super contentis in illis; & secretas informationes sumat extrajudicialiter pro veritate sciendâ, pro bono regimine populorum; ut pluries respondisse Sacram Congregationem notat Nicolius *d. lib.* 4. *tit.* 4. *num.* 5.

Facto autem infertur injuria; si quis alteri det alapam in faciem; vel pileo, aut birretto alterius faciem percutiat? vel pedem injiciat in ventrem, aut lapides in alium mittat, ut contra Regem Psalmistam faciebat præcitatus Semei, qui 2. *Reg.* 16. 6. *Mittebat lapides contra David, & contra universos Servos Regis David.* Ulteriùs Injuria dicitur facto inferri etiam per nutus, & signa, ut si quis contra Uxoratum erigat duos digitos, indicem scilicèt, & auricularem in forma duorum cornuum; vel ad ostium ejus domus appendat cornua; tunc enim committit in eum atrocem injuriam, ac majorem, quàm si ei dixisset cornutum, vel adulteræ maritum. Nicol. *ubi sup. sub. num.* 6. *Vers.* 4. Qui simul *Vers.* 4. subdit, quòd injuriam facit ille, qui honestam mulierem tacitus insequitur, & cum ea adambulat quocumque vadat; assidua namque frequentia præbet, quasi nonnullam infamiam; prout etiam illi, qui tempore bacchanalium utuntur cappa Eremitarum, vel veste aliorum Religiosorum; quasi in eorum contemptu; & ideò iidem agere possunt contra ipsos actione injuriarum. *d. l. Item apud.* §. *Ait Prætor. Vers. Generaliter ff. de Injuriis.*

Quò ad Tertium. Pro injuria competit duplex actio; nempè Civilis, & Criminalis. Hæc datur ad pœnam; illa verò ad æstimationem damni; ut tradunt Jul. Clarus *in §. Injuria. num.* 5. *Vers. scire debes.* Farinacius *quæst.* 105. *num.* 28. & Conciol. *d. Verb. Injuria. Resol.* 1. ubi *num.* 2. declarat hanc conclusionem, dicens, quòd si in judicio prius sit intentata per injuriatum actio Civilis ad injuriæ æstimationem; non potest postea per eundem intentari actio Criminalis ad pœnam Fisco applicandam; quia per unam censetur alteri præjudicatum, cùm utrumque judicium tendat ad vindictam ad text. *in l. Prætor. edixit.* §. *Si dicatur. &* §. *seq.* ubi Glossa *ff. hoc tit.* & notat Abb. *in cap. cum te num.* 24. *de sentent. & re judic.* Hoc tamen limitant DD. ut habeat locum, quando fuit intentata actio Civilis ad injuriæ æstimationem; secus tamen est, si illa sit intentata ad damna, & interesse tantùm; tunc enim potest adhuc intentari actio Criminalis ad pœnam. *d. l. Prætor edixit.* §. *Quid ergo.* & ibi Gloss. *ff. de Injur.* Farinac. *d. quæst.* 105. *num.* 30. ubi DD. & Thesaur. *decis.* 18. *num.* 11. Porrò omnis altercatio cessat, quando qui intentat actionem Civilem, protestatur id facere sine præjudicio actionis Criminalis; & è contra; tunc enim post intentatam unam actionem potest deveniri ad aliam. Conciol. *d. resol.* 1. *in fin.*

Quò ad Quartum. Actio injuriarum non solùm competit ei, cui facta est injuria, sed etiam illis, in cujus potestate est ipse injuriatus. Hinc si injuria illata sit Filiofamilias, agere potest actione injuriarum non solùm ipse Filius, sed etiam illius Pater, vel Avus; prout etiam, si injuriata fuisset Filia habens Patrem, Maritum, & Socerum, quatuor sunt personæ, quæ possunt uti actione injuriarum contra injuriantem; nempè ipsa Filia, ejus Pater, ejus Maritus, & ejus Socer. *l. Cum qui* §. *fin. & l. Sed si unius. ff. h. t.* Nicolius *Institut. Civil. lib.* 4. *tit.* 4. *à num.* 9. *& seqq.* ubi *num.* 15. infert, quòd sicut olim Dominus exercebat hanc actionem pro injuria facta Servo suo. *l. Item apud.* §. *Ait. Prætor. ff. de Injur.* ita nunc Herus agere potest pro injuria illata famulo suo; dummodò ipse gerebat officium, vel negotium ejusdem Heri sui. *d. l. Item apud.* §. *Si quis Virgines. Vers. Comitem. & l. Quisquis. ff. Ad Leg. Jul. Majest.* Et ex his inferunt DD. quòd pro injuria facta Clerico, Monacho, Doctori Collegiato, vel Discipulo, agere potest ad vindictam, & ad æstimationem Episcopus, Abbas, Collegium atque Magister. Nicolius *ubi supra, num.* 16. *in fin.* Guido Pap. *decis.* 464. Graff. *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 62. *num.* 32. & Antonellus *de Regim. Milit. Eccl. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 2. ubi alios cumulat.

Quò ad Quintum. Injuriam alicui inferentes puniuntur de Jure Civili pœna arbitraria, secundùm majorem, vel minorem injuriæ gravitatem. §. *Pœna autem. Instit. Civil. de injuriis;* itaut aliquando qui injuriam fecit, mulctetur exilio, vel carcere, vel pœna pecuniaria. Fisco applicanda, vel ad petendam veniam ab injuriato, seu ad compensandam alio modo injuriam illatam. Julius Clarus *in d. §. Injuria. Vers. Sed quæro.* Riccius *in Collect. decis.* 1841. *part.* 5. Gratian. *Decis.* 199. & Surd. *Decis.* 89. *num.* 9. De Jure autem Canonico variæ sunt pœnæ secundùm varietatem personarum, quibus facta est injuria. Siquidem generaliter statutum est, ut qui condemnati sunt actione injuriarum sive civiliter, sive criminaliter, incurrant infamiam Juris. *cap. Cum te, De Sent. & re judic.* ubi Abbas *num.* 1. quod est conforme etiam dispositioni Juris Civilis. *lib.* 1. *ff. de His, qui notant. infam.* & per consequens remaneant Irregulares; dummodò injuria non fuerit levis, sed pertingat ad peccatum mortale. Innocent. Host. & Felin. *in d. c. Cum te.*

In

In ea tamen Episcopus potest dispensare. *cap. At si Clerici. §. De Adulteriis. De Judic.* Thesaur. de Pœnis Eccles. *d. part. 2. in Verb. Injuria. c. 1. per tot.* Si verò injuria illata sit non solùm verbis, sed facto in Ecclesiasticas personas; si injuriatus fuerit Clericus, aut Monachus, aut Religiosus, tunc qui injuriam intulit, remanet excommunicatus per text. *in cap. Si quis suadente diabolo.* 17. *q.* 4. non tam percutiendo Clericum vivum, sed etiam mortuum. Felin. *in cap. A nobis. il. 2. n.* 4. & Barbosa *ibid. n.* 47. *de Sentent. Excommunicat.* Ac eandem Excommunicationem incurrunt non solùm injuriosè percutientes, sed etiam mandantes, consulentes, incitantes, consentientes, & percussionem ratam habentes, si eorum nomine sit facta. *c. Cum quis. De Sent. Excomm. in 6.* Thesaur. *d. Verb. Injuria. c. 2. Ampliat. 6.* ubi notat, absolutionem esse reservatam Papæ, nisi percussio, & injuria esset levis; ab hac enim Episcopus posset absolvere. *c. Pervenit.* ubi Abb. & DD. *de Sent. Excommun.* Quod si injuria facta sit in personam Episcopi, non solùm qui eam intulerit, est excommunicatione Papæ reservata illigatus per *Clem. 1. de Pœnis.* & per *cap. 11. Bullæ in Cœna Domini*, sed etiam remanet privatus Feudis, locationibus, officiis, & beneficiis spiritualibus, ac temporalibus, quæ obtinet ab Ecclesia, cui Episcopus offensus præest; & ejus filii, per lineam masculinam descendentes, usque ad secundam generationem redduntur ipso facto inhabiles ad Ecclesiastica beneficia in Civitate, & Diœcesi ejusdem Episcopi obtinenda, omni spe dispensationis adempta, ut latè demonstrat idem Thesaur. *d. part. 2. Verb. Injuria. cap.* 3. Easdem pœnas multò magis incurrunt, qui injuriam gravem inferunt in personas Nunciorum Apostolicorum, seu S. R. E. Cardinalium; & (quod nunquam eveniat) in personam Summi Pontificis; *cap. Felicis. de Pœnis in 6. d. can. 11. in Bulla Cœnæ Domini*; & tradit Thesaur. *ubi supr. cap.* 4. & Antonell. *de Regimin. Milit. Eccl. d. lib. 6. cap.* 13. §. 2. ubi *n.* 21. notat, quod licèt Clerici Laicos injuriantes debeant eis competenter satisfacere; non tamen decet, quod ipsi Clerici genua flectant, vel aliud faciant, quod tendat in opprobrium Cleri. *cap. Quando.* 86. *dist.* Graff. *part. 2. lib. 2. c.* 17. *n.* 38.

Demum, si injuria illata sit calamo, idest per libellum famosum, carmina, aut alias scripturas infamatorias, de Jure Civili Auctores earum veniunt plectendi pœna capitis per *text. in l. Unic. C. de Famos. libell.* quamvis Julius Clarus *in Pract. Crimin. §. fin. quæst.* 68. *Vers. Libelli famosi* notet, quod tam rigorosa pœna non sit in usu: sed prædictos Auctores puniri pœna extraordinaria, videlicet vel fustigationis, vel ictuum funis, vel ad summum pœna triremium juxta facti; & personarum qualitatem. De Jure autem Canonico tales excommunicantur, ac verberibus corripiuntur. *c. Qui in alterius. 5. qu. 1.* Et si Clerici sint. deponuntur. Sylvest. *in Verb. Libellus. n. 5.* Quod si Libelli famosi compositi sint contra statum Ordinis Prædicatorum, vel Minorum, aut aliarum Religionum habentium communicationem Privilegiorum, Auctores eorundem Libellorum sunt ipso Jure excommunicati ex Constitution. Alexandri Papæ IV. Incipien. *Ex alto*; quam refert Bonacina, relatus ab Antonello *de Regimin. d. lib. 6. cap.* 14. *num.* 4. ubi alias ampliationes, ac limitationes ponit circa hanc pœnam.

Quò ad Sextum. Si quærimus, quomodo resarciantur damna illata? advertendum est, nos loqui de damnis, non dolo, fraude, aut injuriosè commissis, sed de illatis ex mera negligentia, vel ex culpa levi tantùm; ut si quis negligat custodire sua animalia; & hæc damnum inferant in campis alienis, vel aliquis nesciens frænare equum ferocem, super quem ascendit, ab eo aliquis in via impetu, vel calcibus impetatur, aut murator reficiens tegetes domus projiciat saxa, vel ligna; non appositò signo, quibus Viatores offendantur; aut alius è fenestra projiciat in viam publicam aquam maculosam, vel brodium, quo transeuntis vestes maculentur; sive dominus canis rabidi non teneat illum bene alligatum, adeò ut insiliat in transeuntes, eosque mordeat, aut feriat. In his omnibus, & similibus casibus datur actio tam Civilis, quam Criminalis contra actorem damni; in quem Judex pro suo arbitrio profert Sententiam ad resarciendum damnum, attenta quantitate ejus, & qualitate personæ, cui damnum fuit illatum. *l. Si Servum meum. ff. Ad Leg. Aquil. l. Interdum. ff. de Public. judic. l. Prator. edixit. ff. de Injur. l. Qui Ædes. & l. penult. ff. de Incend. ruina. & naufrag. l. 1. §. Sed & si canis. & l. 2. ff. Si quadrupes pauper. fec. dic.* Nicolius, & DD. *in libr. 4. Institut. Civil. tit. 3. De Lege Aquilia*, ubi latè agunt de damnis ex mera negligentia, & sola levi culpa illatis.

TIT. XII.

De Ecclesiasticis Censuris.

QUoniam de Jure Canonico delicta, de quibus hucusque egimus, ut plurimùm Ecclesiasticis Censuris plectuntur, & castigantur, ideò de his in præsenti est agendum; & pro intelligentia earundem videbimus:

1. *Quid significet hoc Vocabulum* Censura?
2. *Quid sit Censura Ecclesiastica?*
3. *Quotuplex sit?*
4. *Qui possint fulminare Ecclesiasticas Censuras?*
5. *Contra Quos possint fulminari?*
6. *Quæ sint necessaria pro validitate Censuræ?*
7. *Quæ causæ excusent ab incurrendis Censuris?*
8. *Quis possit absolvere ab Ecclesiasticis Censuris?*

Quò ad Primum. Hoc Verbum *Censura*, generaliter sumptum, judicium innuit de aliqua re, digna laude, vel vituperatione; hinc Revisores librorum vocantur Censores; & hoc nomine appellabantur apud Romanos illi, ad quos spectabat indagare mores populorum; ne indigni admitterentur ad honores. Sic etiam in Serenissima Republica Veneta creantur Censores, quorum officium est observare, ne Leges, quibus ipsa regitur, ab aliquo offendantur. Specialiter autem sumpta hæc Vox *Censura* significat aliquam pœnam correctivam, & medicinalem alicujus transgressionis, ut notat Navarr. *in Summa. cap. 27.* & olim etiam vocabatur *Pressura*; ut eam nominat Rabanus *in cap. Non in perpetuum. 24. q. 3.* & etiam *Clausura*; ut in Regula S. Benedicti *c. 6.* Magrius *in Hierolex. iisdem Vocibus.*

Quò ad Secundum. Censura Ecclesiastica est *Pœna Spiritualis, & medicinalis, privans usu aliquorum bonorum spiritualium, imposita per Ecclesiæ potestatem, à Deo sibi concessam, ut fidelis baptizatus à contumacia discedat, & à culpa, propter quam infligitur, emendetur.* Dicitur, *Pœna*, idest punitio, *Spiritualis*, ad differentiam punitionum corporalium. *Medicinalis*,

dicinalis, quia intentio Ecclesiæ est mederi animabus per *Censuras. cap.* 1. *De Sent. Excomm. in* 6. Dicitur *privans usu aliquorum Spiritualium bonorum*, qualia sunt Sacramenta, Sacrificia, Orationes; non autem supernaturalium; utpotè Fides, Spes, Charitas, Character, quæ omnia retinere potest, qui aliqua censura est irretitus. Dicitur *imposita per Ecclesiæ potestatem, à Deo sibi concessam*, ut legitur *Matth.* 18. in illis verbis Christi: *Si peccaverit in te frater tuus &c. dic Ecclesiæ: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo.* Quæ verba intelliguntur de foro externo per Censuras. *cap. Solitæ. de Major. & Obed.* S. Thomas 3. *part. quæst.* 1. *art.* 2. & Scotus *in* 4. *dist.* 19. §. *De quinto*, quod demonstrat Mastrius *in Theolog. Moral. disp.* 13. *num.* 4. & 5. ubi probat etiam ab Apostolis fuisse fulminatas Censuras: & auctoritatem eas fulminandi esse de Jure Divino. *cap. Nemo.* 11. *q.* 3. *& in Extravag. Unam Sanctam. De Major. & Obed.* Hanc autem potestatem censuras fulminandi in toto orbe, & contra quoscunque habet eminenter Pontifex Romanus, tanquàm Christi Vicarius; alii autem Episcopi, & inferiores Prælati in eorum Diœcesibus tantùm, ac dependenter à Papa, ut ego ostendi in meis Decisionibus *de Pœnit. decis.* 19. *à n.* 22. *& seqq.* Dicitur in definitione, *Ut fidelis baptizatus à contumacia discedat*; quia non baptizati non possunt censuris puniri; sed tantùm qui sunt fideles, ac in Ecclesia, ad hoc ut à propriis excessibus emendentur. Subditur, *& à culpa, propter quam Censura infligitur.* Siquidem non est fulminanda Censura contra aliquem nisi ob culpam, & culpam gravem. *c. Nullus.* 15. *qu.* 3. *cap. Sacro. De Sent. Excommunic.*

Quò ad Tertium. Quintuplex datur divisio Censuræ à Doctoribus, tum Theologis, tum Canonistis. Una est, quòd Censura est triplicis generis, nam alia vocatur *Excommunicatio*, alia *Suspensio à Divinis*, & alia *Interdictum*; ut legitur *in cap. Quærenti. de Verb. Signific.* in *cap.* 1. & in *cap. Statum. de Sent. Excommun. in* 6. Altera, quòd Censura alia est à Jure, quæ scilicet statuta est in Canonibus Sacris, & alia est ab homine; videlicet quam fulminant Judices Ecclesiastici juxta factorum contingentiam. Tertia, quòd alia Censura est comminatoria, & alia latæ Sententiæ: illa non incurritur, nisi Judex proferat suum Decretum, quo declaret reum illigatum censura: hæc verò afficit ipso Jure, vel ipso facto, cujus causa est fulminata. Quarta divisio est, quòd alia Censura dicitur justa, & alia injusta; & hæc talis est, si Judex eam infligat non servato Juris ordine. Quinta tandem; quòd alia est valida, & alia invalida; & hæc ita dicitur, Si Judex non habeat legitimam auctoritatem; vel procedat absque justa causa, aut nulla præmissa monitione, ut latè demonstrant DD. quos citat, & sequitur Mastrius *in cit. disp.* 13. *n.* 8.

Quò ad Quartum. Omnes sequentes possunt fulminare Ecclesiasticas Censuras, videlicet; Primò Papa, ut dictum est, per totum orbem, & contra quoscunque. *c. Unam Sanctam. de Major. & Obed. c. Decreto.* 2. *q.* 3. *cap. Multum.* 3. *q.* 6. Secundò, Concilia generalia, & Provincialia. *cap. Grave nimis. de Præbendis.* Illa in universos; hæc in sibi subditos. Tertiò, Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum. *cap. Unic. de Majorit. & Obed. in* 6. Quartò, Legati à Latere per Summum Pontificem creati. *cap. Legatus. de Offic. Leg. in* 6. Quintò, Archiepiscopi, Patriarchæ, & Episcopi, ac alii Prælati, habentes territorium cum quasi Episcopali Jurisdictione, respectu suorum subditorum. *cap. Ad reprimendam. cap. Cum Episcopus. de Offic. Ordin. in* 6. Concil. Trident. *sess.* 6. *cap.* 3. *& sess.* 14. *cap.* 4. *de Reform.* Sextò, eorundem Vicarii Generales. *cap. Licet de Offic. Vicar.* Septimò, Capitulum Sede Episcopali vacante, sive ejus Vicarius Capitularis. *d. cap. unic. de Majorit. in* 6. Concilio Trident. *sess.* 24. *cap.* 16. *de Reform.* Et Octavò, omnes Superiores Religionum inhabitantes intra eorum Monasteria. *cap. Cum in Ecclesia. de Præbend.* Ex his sequitur, Parochos non posse fulminare Censuras in suos Parochianos, quia non habent Jurisdictionem in foro exteriori, sed tantùm in interno, ac pœnitentiali. Gloss. *in cap. Nemo.* 2. *q.* 1. Nisi consuetudo eam illis contulisset. Abb. *in cap.* 3. *n.* 10. *de Offic. Ordin.* Mastrius *d. disp.* 13. *num.* 11. Vel nisi specialiter talis facultas eis committatur; siquidem omnes supradicti Pontifices, ac Prælati possunt delegare eorum auctoritatem ferendi censuras, dummodò eam delegent homini baptizato, & Clerico non conjugato; nam non baptizati, laici, Clerici conjugati, & fœminæ non sunt capaces talis delegationis. *cap.* 1. *& cap.* 3. *de Presbyt. non baptiz. c. Dilecta. de Major. & obed. cap. de Monialib. de Sent. Excomm. cap. Innova.* 16. *q.* 7. *& cap. Sanè. de Cleric. Conjug.* Nisi à Papa eis talis facultas demandaretur. Mastrius *d. disp.* 13. *n.* 12. ubi DD.

Quò ad Quintum. Tam Theologi, quàm Canonistæ firmant hanc Regulam, quòd soli homines vivi, baptizati, rationis, ac doli capaces, & subditi illius, à quo fertur Censura, possunt Censuris ligari. DD. apud Mastrium *d. disp.* 13. *num.* 16. Hinc bruta, homines mortui, non baptizati, pueri, amentes, & non subditi, non possunt censuris feriri. Et quamvis aliquando locustæ dicantur excommunicari, id impropriè dicitur, nam propriè maledictioni submittuntur, ut scripsi in meis Decisionibus *de Sacrific. Missæ decis.* 42. *num.* 39. quemadmodum mortui, qui in vita incurrerunt censuram, possunt declarari incursi in eam; prout etiam post mortem, si priùs dedissent signa pœnitentiæ, possunt ab ea absolvi, & absolutos declarari, ut tradantur Ecclesiasticæ Sepulturæ; *cap. A nobis. & cap. Sacris. de Sent. Excom.* Sed utrum Communitas, vel Collegium possit Censuris irretiri? Distinguunt DD. dicentes, quòd Suspensione, vel Interdicto irretiri possunt, *cap. de Sede Vacante. de Sent. Excomm.* Secùs autem Excommunicatione. *cap. Romana. eod. tit. in* 6. & dicunt mea Erotemata. *c.* 147. *à n.* 16. *& seqq.* ubi alii casus excepti ponuntur, ibi à Studiosis videndi.

Quò ad Sextum. Ad validitatem Censuræ necesse est, ut ea infligarur ob peccatum mortale, & ideò ubi non committitur culpa mortalis, ibi Censura infligi non potest. *cap. Nemo Episcoporum. cap. Nullus Sacerdotum.* 11. *q.* 3. Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 3. *de Ref.* Mastrius *d. disp.* 13. *n.* 23. ubi notat, quòd ipsum peccatum debet esse exterius,

nam propter merè internum Censura ferri non potest; quia Ecclesia non judicat de occultis. *cap. Erubescat. & cap. Sicut tuis. de Simon. cap. Christiana. 32. quæst. 5.* Est tamen verum, quod minor Excommunicatio, & levis Suspensio potest infligi ob culpam venialem. Toletus, Bonacina, & alii apud Mastrium *d. disp. 13. num. 23. & 24.* ubi subdit, quòd neque pro delicto præterito, vel non completo Censura ferri potest, quia debet præcedere monitio, & subsequi contumacia, ac inobedientia.

Quò ad Septimum. Quatuor sunt causæ principales, quæ excusant ab incursu Censurarum. Prima est ignorantia invincibilis tum Juris, tum facti habentis annexam Censuram. *cap. Si verò. de Sent. Excomm cap. 2. eodem tit. in 6.* Secunda est impotentia faciendi id, quod sub pœna censuræ faciendum præcipitur, sivè illa sit physica, sivè moralis tantùm. Mastrius *d. disp. 13. num. 27.* Tertia est appellatio legitimè interposita à comminatione Censuræ ad Superiorem. *c. Si à Judice. de Appellat. in 6.* Quarta est remissio, quam facit Creditor in favorem debitoris; quapropter si Clericus suspendatur à Divinis, nisi intra mensem debitum solvat; si Creditor prorogaverit ei dictum terminum, Clericus non erit suspensus. DD. apud Mastrium *d. disp. 13. num. 29.*

Quò ad Ultimum. Distinguere oportet, An Censura sit lata à Jure, vel ab homine? Primo casu, si nulli sit reservata, in foro exteriori ab ea absolvit Superior censurati; in foro interiori omnis Confessarius. *cap. Nuper. de Sent. Excommun.* Si verò sit reservata Papæ, tunc si delictum est publicum, solus Papa absolvere potest; at si sit occultum ex concessione Concilii Tridentini *sess. 24. de Ref. cap. 6.* Episcopo licitum est absolvere; exceptis tamen Censuris fulminatis in Bulla Cœnæ Domini, & inflictis ob hæresim, ob Duellum, ob Simoniam realem, ob violatam Clausuram Monialium ob malum finem, & ob violationem Ecclesiasticæ Immunitatis; quia etsi hæc delicta sint occulta, Episcopi non valent ab eis absolvere, nisi irretitus Censura non possit ob senium, vel morbum, aut paupertatem accedere ad Papam, ut probavi in meis Decisionibus *de Pœnitent. decis. 45. à num. 5. & seq.*

Secundo casu, Si Censura lata sit ab homine, nullus ab ea absolvere potest, nisi qui eam fulminavit, vel ejus Superior; aut ejus Successor, vel Delegatus; excepto semper articulo mortis, in quo omnis Confessarius potest absolvere pœnitentes à quibuscunque Censuris Concil. Trid. *sess. 14. de Ref. cap. 7.* sub conditione tamen, ut sic absolutus, si periculum mortis evadat, teneatur comparere coràm Superiore, & facere quod sibi præscripserit; aliàs reincidat in Censuram. *cap. Eos. de Sentent. Excommun. in 6.* Corollarii loco notandum est, quòd qui pluribus est alligatus Censuris potest absolvi ab una, & non ab alia; ad differentiam peccatorum, quorum absolutio non potest dimidiari; sed vel à nullo, vel ab omnibus eadem vice est concedenda. Mastrius *d. disp. 13. num. 31.* ubi quod absolvendus à Censuris debet prius præstare debitam satisfactionem; & aliquando jurare de eodem delicto non ampliùs committendo. *cap. Ex tenore. de Sent. Excommunic.*

TIT. XIII.

De Sententia Excommunicationis.

Dictum est supra circa divisionem Censurarum, quòd tres sunt, nempè Excommunicatio, Suspensio à Divinis, & interdictum; idcircò in præsenti titulo agendum est de Excommunicatione, ac pro hujus Tituli explicatione videbimus:

1. *Quid sit Excommunicatio?*
2. *Quotuplex sit?*
3. *Quæ requirantur pro validitate Excommunicationis?*
4. *Qui sint effectus tum majoris, tum minoris Excommunicationis?*
5. *An aliquando liceat communicare cum Excommunicato, etiam non tolerato?*
6. *Quis possit absolvere ab Excommunicatione?*
7. *Quæ causæ excusent ab incursu Excommunicationis?*

Quò ad Primum. Duæ sunt definitiones Excommunicationis apud Theologos. Una est, quòd *Excommunicatio est Ecclesiastica Censura, qua homo Christianus bonis fidelium communibus privatur.* Ita Eminentiss. Card Toletus *in Summ. lib. 1, cap. 4. num. 1.* ubi declarat, tria esse bona communia fidelium, quibus per Ecclesiæ potestatem Christianus privari potest; nempè exterior conversatio; Sacramentorum participatio; ac Orationes, Suffragiaque Ecclesiæ *cap. Omnis Christianus 11, q. 3.* Alia est, quam ponit Scotus *in 4. dist. 19. §. De quinto.* Videlicet: *Excommunicatio est Censura, qua quis ab Ecclesiastica Communione fidelium separatur.* Dicitur *Censura*, tanquam genus: quia sub hac voce comprehenduntur etiam suspensio à Divinis, & interdictum. Dicitur, *qua quis separatur ab Ecclesiastica communione fidelium*, ad differentiam prædictæ Suspensionis, ac Interdicti; quæ privant exercitio vel activo, vel passivo Divinorum Officiorum; non autem exteriori conversatione. Dicitur *Ecclesiastica*; non autem Spirituali; quia privatio comprehendit illa tria bona à Cardinale Toleto explicita; non autem Fidem, ac alias Christianas virtutes, ut latè demonstrat Mastrius *in sua Theolog. Mor. disput. 13. numer. 33.*

Quò ad Secundum. Duplex datur divisio Excommunicationis. *Una*, quòd alia est major, alia est minor. *Altera*, quòd alia est à Jure, & alia ab Homine. Circa primam divisionem; Major Excommunicatio est illa, quæ infligitur ob grave peccatum, vel ob contumaciam, & inobedientiam; & hæc privat antedictis tribus bonis, quæ continentur in hoc carmine: *Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.* Minor illa est, quæ contrahitur per conversationem cum Excommunicatis majori Excommunicatione non toleratis. *cap. Nuper de Sent. Excommunicat.* & privat sola passiva participatione Sacramentorum. *cap. Si celebrat. de Cleric. excommun. ministr. & cap. penult. de Sent. excommunic.* Porrò Excommunicati non tolerati sunt duo tantùm, nempè Notorii percussores Clericorum; & illi, qui nominatim denunciati sunt excommunicati à Superiore. Ideò ex Decreto Concilii Constantiæ, cui præfuit Martinus Papa V. & quod legitur apud Card. Toletum *in Summ. lib. 1. cap. 12. num. 2.* prædicti duo sunt tantummodò vitandi; non autem alii; etsi sciamus, eos incurrisse in aliquam majorem excommunicationem, ut tenent DD. apud Mastrium *de disput. 13. num. 34* quamvis contrarium scribat Fagnanus *in cap. Quod à Prædecessore*

num.

n. 55. de Schismatic. tom. 6. ubi ait, omnes notorios esse vitandos. Igitur minori excommunicatione affectus valide ministrat aliis Sacramenta; etsi venialiter peccet. *cap. ult. de Clerico excomm. ministran.* & celebrando non fit irregularis; at Pœnitentiæ Sacramentum recipere non potest; nisi priùs ab eadem minori excommunicatione à Confessario absolvatur. Mastrius *d. disp.* 13. *num.* 36. ubi quòd omnis Confessarius approbatus potest ab ea absolvere. Circa secundam divisionem Excommunicationis sciendum est; quòd illa dicitur *à Jure*, quæ infligitur per Canonem, aut per Ecclesiasticam Constitutionem; quæ durat etiam post mortem Legislatoris. Illa verò vocatur *ab Homine*, quæ per Judicem ex legitima causa promulgatur contra reos; & hæc expirat per mortem Judicis, aut per ejus remotionem ab Officio, ut docet Mastrius, alios DD. cumulans *d. disp.* 13. *num.* 37.

Quò ad Tertium. Ut valida sit Excommunicatio, tria sunt necessaria, nempè *Auctoritas* in Superiore Excommunicante; *Peccatum grave*, seu contumacia, & inobedientia scandalosa in Excommunicando: atquè *Solemnitates* à Jure præscriptæ in ferenda Excommunicatione; scilicet præcedens monitio, ac citatio, ut tradunt DD. apud eundem Mastrium *d. disp.* 13, *num.* 38. & 67. Est tamen verum, quòd aliquando major Excommunicatio infligi potest ob levem culpam; si ex hac scandalum soleat generari; ut notat Volpi *in suis Resolut. Moralib. resol.* 14. *num.* 4. & 5.

Quò ad Quartum. Effectus majoris Excommunicationis sunt sequentes. 1. Quòd Clericus Excommunicatus exercens aliquem Ordinem fit irregularis. 2. Quòd si per annum in Excommunicatione insordescat, sit suspectus de hæresi. Glossa *in cap. Contingit. de Dolo, & contum.* Concil. Trid. *sess.* 25. *de Ref. cap.* 3. *in fin.* 3. Quòd venit privandus Ecclesiasticis beneficiis. 11. *q.* 3. *cap. Rursùs.* & *cap. Cum bonæ. de Ætate, & qual.* 4. Ut sit incapax suffragiis Ecclesiæ, nempè Sacrificiis, Orationibus, & Indulgentiis. *cap. A nobis.* & *cap. Sacris. de Sent. Excomm.* excepta Feria 6. in Parasceve, in qua ob mortem Redemptoris nostri, & ex nimia pietate Ecclesiæ, ipsa orat etiam pro Hæreticis, ac Schismaticis, qui sunt Excommunicati. Mastrius *d. disp.* 13. *num.* 41. 43. & 44. notans, Orationes publicas non esse faciendas pro Excommunicatis non toleratis; privatas autem pro eorum conversione non esse prohibitas. *cap. Alma Mater.* ubi DD. *de Sent. Excomm.* 5. Sacerdos excommunicatus, etsi toleratus, ministrans, aut recipiens Sacramenta, peccat mortaliter. *cap. Cum illorum. cap. Si quem. de Sent. Excomm. cap. Si celebrat. de Cleric. excomm. ministr.* & 3. *quæst.* 4. *cap. Engeltrud.a.* 6. Ministrans fit etiam irregularis. *cap. Licet.* & *cap. ult. de Clerico excomm. ministr.* ac 11. *q.* 3. *cap. Si quis.* necnon *cap. Is, qui.* & *cap. Is, cui. de Sent. Excomm.* Nisi excusetur ignorantia invincibili, aut metu mortis, infamiæ, jacturæ bonorum, vel periculo alicujus gravis damni. *cap. Apostolicæ. de Clerico excomm. ministr.* & DD. quos cumulat Mastrius *d. disp.* 13. *n.* 45. & 46. 7. Si verò ipse accedat ad Sacramentum Pœnitentiæ, invalidè illud suscipit; ut ego ostendi in meis Decisionibus *de Pœnitent. decis.* 31. *num.* 9. & 10. 8. Similiter si Excommunicatus sit Sacerdos, & audiat Confessiones, invalidè absolvit, quia privatus est omni Jurisdictione. *c. Ad probandum. de Sent.* & *re judic. c. Romana. de Offic. Vicar. in* 6. & 24. *q.* 1. *cap. Audivimus.* At id est intelligendum de Excommunicato non tolerato, vel publico Clerici percussore; nam cæteri ob *Extravag. Ad evitanda. Concilii Constant.* valide absolvunt. Mastrius *d. disp.* 13. *num.* 50. & 51. Ego in Decisionibus meis *de Pœnitentia. decis.* 45. *num.* 2. 9. Si Excommunicatus non toleratus, vel publicus Clerici percussor se immisceat in Divinis Officiis cum aliis Clericis, est ab eis expellendus; nam prædictus non est admittendus in Ecclesia; nisi ad audiendas Conciones. *cap. Si quis Episcopus* 4. *q.* 3. *c. Is, qui. de Sent. Excom. in* 6. *c.* 1. *de Sentent.* & *Re judic. in* 6. 10. Moriens Excommunicatus non toleratus, vel Clerici publicus percussor absque pœnitentia privatur Ecclesiastica sepultura. *cap. Sacris. de Sepult.* & *Clem.* 1. *eod. tit.* 11. Quilibet excommunicatus majori excommunicatione ad beneficia, seu Ecclesiasticas Dignitates non potest valide promoveri. *cap. Pastoralis.* ubi DD. *de Clerico excommun.* Circa autem obtenta antè Excommunicationem non est eis privatus, antequàm publicetur à Judice privationis Sententia. *cap. Pastoralis. §. Verum. de Appellat.* At tenetur restituere fructus. *ibid. §. fin.* & *c. Quod autem.* 23. *q.* 7. & *cap. Præter.* 22. *dist.* 12. Si à non tolerato conferantur beneficia, collatio est invalida; & provisus censetur intrusus, ac ea dimittere debet, & fructus restituere. *c. Quia diversitatem. de Conces. Præbend. cap. Tanta. De Excessib. Prælat.* & *cap.* 1. *Ne Sede Vacante in* 6. 13. Tandem Excommunicati non tolerati non possunt stare in Judicio. *cap. Præsidentes. de Hæretic. cap. Decernimus. de Sent. excom. cap.* 1. *de Except. in* 6. *cap. Veniens. de Testib. cap. Intelleximus. de Judic.* Si tamen de facto Matrimonium contrahunt; aut Professionem religiosam faciant; valide agunt. *cap. Significasti.* & *cap. Cum illorum. de Sent. excom.* ea ratione, quia nullo canone illa irritantur. Mastr. *d. disp.* 13. *num.* 56. ubi idem tenendum sentit de validitate privatorum contractuum, ac activæ, & passivæ factionis testamenti, nisi insequutus fuisset hostiliter Cardinales, aut protector hæreticorum. *cap. Felicis. de Pœnis in* 6. *c. Excommunicamus. de Hæreticis in* 6.

Effectus autem Minoris Excommunicationis est peccatum mortale, si communicatio cum Excommunicato non tolerato, vel publico percussore Clerici fiat in rebus divinis; venialis verò culpa, si communicatio fiat in rebus humanis tantùm; & absque contemptu Clavium Ecclesiæ. *cap. Si celebrat. De Clerico excom. ministr.* Mastrius *ubi supr. num.* 58.

Quò ad Quintum. Licitum est communicare cum excommunicatis etiam non toleratis, quando communicatio prædicta sit vel ex ignorantia, vel ex utilitate, aut ex necessitate, juxta casus contentos in hoc carmine, videlicet:

Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse

Quorum verborum sensus talis est. *Utile*, ideſt monendo, & hortando Excommunicatum ad pœnitentiam. *Lex*, ut in Uxore, vel in debitore. *Humile*, ut in Filiis, ac Servis. *Res ignorata*, quando vere quis nescit, illum esse excommunicatione majori irretitum. *Necesse*, si verè urgeat gravis aliqua necessitas spiritualis, vel temporalis, tum in ipso communicante, tum in eodem excommunicato. *c. Quoniam multos.* 11. *q.* 3. *cap. Inter alia. §. Illud. de Sent. Excomm.* Mastrius *d. disp.* 13. *n.* 60.

Quò ad Sextum. Ad sciendum, quis possit absolvere ab Excommunicatione, quatuor sunt Regulæ observandæ. *Una* est, quòd si Excommunicatio sit reservata Papæ, solus Papa potest ab ea absolvere. Si sit reservata ab Episcopo, solus ipse Episcopus. St sit lata à judice, solus ille Judex, vel ejus Superior in causa appellationis. Quæ autem Excommunicationes sint reservatæ Papæ? vel Episcopis? notant Cardin. Toletus *lib. 1. cap. 18. & seqq.* Busembaum. *l. 7. cap. 2.* Abelly *cap. 6. de Censuris, sect. 2.* & Mastrius *d. disp. 13. à num. 69. & seqq. Altera* Regula est, quòd in articulo mortis omnes Confessarii possunt absolvere à quacunque Excommunicatione cuicunque reservata. Mastrius *d. disp. 3. num. 61. & seq. Tertia* Regula est, quòd Episcopi possunt absolvere etiam ab Excommunicationibus Papæ reservatis, si delictum sit occultum. Exceptis tamen illis contentis in Bulla Cœnæ Domini; ac illis inflictis ob Hæresim, ob Duellum, ob Simoniam realem, ob violatam Monialium clausuram ad malum finem; & ob læsam Ecclesiasticam Immunitatem; ut dictum est supra *in Tit. præced. Quarta* Regula est; quòd publicus percussor Clerici absolvi potest ab Episcopo, si sit Impubes, vel Senex, vel Mulier, vel Filiusfamilias, vel Regularis, vel si ob grave impedimentum accedere non possit ad Apostolicam Sedem; ut docent DD. quos citat Mastrius *d. disp. 13. num. 63.* & alii, quos allegavi in meis Decisionibus *de Pœnitentia. decis. à num. 5. & seqq.* ubi hæc tertia, & quarta Regula fuit concludentissimè comprobata.

Quò ad Ultimum. Quatuor sunt causæ, quæ excusant ab incurrenda Excommunicatione, quas retuli supra *in Tit. anteced. in responsion. Ad Septimum*, videlicet ignorantia invincibilis, Impotentia vera, Appellatio legitima, & Remissio ejus, quam faceret ille, ad cujus instantiam esset inflicta excommunicatio; & ideò ad dicta ibidem studiosus Lector recurrat.

TIT. XIV.

De excommunicatione contra pugnantes in Duello.

INter præcipuas Excommunicationes à Jure latas, satis conspicua, ac frequens reputatur illa, qua plectuntur pugnantes in Duello; idcircò post explicitam materiam Excommunicationis in genere, agendum est in specie de hac Excommunicatione ob Duellum; & pro ejus intelligentia videbimus:

1. *Quid & quotuplex sit Duellum?*
2. *Quo Jure prohibitum sit Duellum?*
3. *Quæ pœnæ sint statutæ contra pugnantes in Duello?*
4. *An aliquando sit licitum pugnare in Duello?*
5. *Quis possit absolvere ab Excommunicatione incursa ob Duellum?*

Quò ad Primum. *Duellum est duorum, vel etiam plurium singulare certamen, quod ex condicto, uno indicente, & altero acceptante, suscipitur, prævia designatione loci, temporis, & armorum.* Ita Bonacina *tom. 1. de Censuris. disp. 2. quæst. 6. punct. 1.* & Mastrius *in Theol. Moral. disp. 10. num. 12.* Dicitur *duorum, vel plurium singulare certamen*, ad differentiam belli; quod consistit in multitudine Militum; & in pugna universali. Dicitur *ex condicto*, ideſt ex provocatione ad pugnandum in Duello per unum facta, & per alterum suscepta; & ideò si ex calore iracundiæ aliqui se invitent ad pugnandum, & statim pugnent, non dicuntur committere Duellum, neque incurrunt pœnas contra pugnantes in Duello inflictas; quia hi pugnant non præmeditatè, neque prævia conventione, sed ex furore animi irati. Antonellus *de Regimin. Milit. Eccles. lib. 6. cap. 16. num. 4.* Marcellus Vulpes *in præxi. cap. 1. num. 49.* Dicitur *prævia designatione loci, temporis, & armorum*, quia hæc tria necessaria sunt ad quidditatem Duelli; quapropter si quis dixerit suo Adversario, pugnabis mecum, cùm te invenero in tali loco; etiamsi postea eum ibi inveniat, & secum pugnet, non censetur committere Duellum. Antonellus *d. cap. 16. num. 5.* Lezana *in Summa. tom. 3. Verb. Duellum. num. 3.* Collegium Salmanticen. *tom. 12. tract. 10. de Censur. cap. 4. num. 33.* Similiter qui ex condicto pugnant non armis, sed pugnis, non videntur Duellum facere, nec pœnas incurrere contra Duellistas latas. Salmanticen. *ibid. num. 34.* & Naldus *Verb. Duellum. n. 2.*

Duplex autem est Duellum secundùm Theologos, & Moralistas. Unum *Solemne*; & est illud, quod fit in aliquibus locis ex publica auctoritate; & Principe permittente. Alterum *Minus solemne*, seu *Privatum*; quando duæ personæ privatæ, aut tres, vel quatuor ex condicto conveniunt ad pugnandum simul, loco, tempore, & armis inter se conventis. Thesaur. *de Pœnis Eccles. part. 2. Verb. Duellum. cap. 1.* & Sanchez *in Decalog. lib. 2. cap. 39. num. 22.* Utrumque tamen est illicitum, & damnatum.

Quò ad Secundum. Duellum est prohibitum. *Primò* de Jure Divino; nam ab eo vetitum est hominibus exponere propriam vitam periculo mortis absque urgentissima causa. Mastrius *d. disp. 10. num. 112.* ubi DD. *Secundo* de Jure Civili per *text. in l. Unica. Cod. de Gladiator. Tertiò* de Jure Canonico *in cap. Monomachiam. 2. quæst. 5. in cap. 1. & 2. de Clericis pugnan. in Duello.* Ex Bulla Pii Quarti Incipien. *Ea, quæ à Prædecessoribus, &c.* & est in Bullario *Const. XXI.* Ex Concilio Tridentino *sess. 25. de Ref. cap. 19.* Ex Bulla Gregor. XIII. Incipien. *Ad tollendum &c.* & est inter ejus Constitution. 78. Et ex Bulla Clementis VIII. quæ incipit. *Illius vices &c.* ac est *Const. XI.* inter illas ejusdem Pontificis, de quibus omnibus latè differunt Thesaur. *d. part. 2. Verb. Duellum. à cap. 1. usque ad cap. 5.* & Novarius in Summa Bullarii *part. 1. Commentar. 51. & pag. 2. Comment. 62.* ubi plures DD. alleganur.

Quò ad Tertium. Pugnantes in Duello, *Primò* committunt peccatum mortale gravissimum. *Secundò* incurrunt infamiam, & proscriptionem bonorum; ac alias pœnas contra Homicidas statutas; & *Tertiò* ex supra citatis Pontificiis Constitutionibus tum ipsi pugnantes in Duello, tum eorum Fautores, Consultores, Patrini, atque Spectatores incurrunt in excommunicationem latæ Sententiæ, Summo Pontifici reservatam; & morientes ex vulnere in Duello inflicto carent Ecclesiastica Sepultura. *Quartò* ulteriùs si prædicti pugnantes, vel consulentes, aut coadjuvantes Duellum, sint Clerici, remanent infames, irregulares, & privati Beneficiis, ac Pensionibus ultra pœnas supradictas, ut latè ostendunt Novarius, & Thesaur. *ubi supr.* ac Antonellus *de Regim. Milit. Eccl. d. lib.*

d. lib. 6. cap. 16. nec non Mastrius *d. disp.* 10. *num.* 114.

Quò ad Quartum. Si quærimus, An aliquando liceat acceptare Duellum, & in eo pugnare? Firmanda est Regula negativa; itaut neque Vir Nobilis provocatus ad Duellum sub pœna infamiæ, possit illud acceptare; quia cùm sit actus prohibitus tum Jure Divino, tum Constitutionibus Ecclesiasticis, ac Legibus Civilibus, debet respondere provocanti: *Te non formido? & si in aliquo loco me invaseris, me defendam. Tuum autem Duellum non accepto, quia Deum timeo, & Ecclesiæ obedio, ac Legibus Divinis, Ecclesiasticis, & Humanis contraire non debeo.* Idcircò hic notanda est Propositio damnata ab Alexand. VII. Anno 1665. 42. quæ asserebat; quòd *Vir Equestris ad Duellum provocatus, potest illud acceptare; ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Ita Colleg. Salmanticen. *d. cap.* 4. *num.* 38. ubi DD. qui tamen ab hac Regula tres casus excipiunt. *Primus* est, si quis provocetur ad Duellum ab inimico associato à Sicariis, à quibus statim sit confodiendus, nisi acceptet Duellum; talis enim acceptatio esset ad necessariam suæ vitæ defensionem. *Secundus* est, si quis innocens sententiaretur à Judice ad acceptandum Duellum; aliàs à carnifice occideretur, *Tertius* est, si ad finiendum bellum, & ad parcendum toti exercitui, proponatur Duellum inter duos, vel aliquos particulares Milites habendum; ut legitur in Vita Sancti Wenceslai Ducis Boemiæ die 28. Septembris in Breviario Romano. Diana *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 1. Et Colleg. Salmanticen. *d. tom.* 12. *tract.* 10. *de Censuris. cap.* 4. *num.* 39.

Quò ad Quintum, & Ultimum requirens; *Quis possit absolvere ab excommunicatione incursa ob Duellum?* Regula est pariter firmanda, quòd solus Papa potest ab ea absolvere, quia per Constitutiones Pontificias supra relatas, ei soli est absolutio reservata. Nihilominùs Moralistæ dant duas exceptiones huic regulæ: *Una* est, si Duellum fuisset occultum; tunc enim Episcopus vigore Concilii Tridentini *sess.* 24. *de Reformat. cap.* 6. posset absolvere. At ego hanc exceptionem confutavi in meis Decisionibus *de Pœnitentia. dec.* 45. *num.* 6. ubi Studiosus Lector videat. *Altera* est, si Duellista ex legitimo impedimento non possit recurrere ad Papam, nam tunc eum absolvit Episcopus. Lezana *d. Tom.* 3. *Verb. Duellum. num.* 13. & Pellegrinus *in tractat. de Duello. qu.* 37.

TIT. XV.

De Excommunicatione contra violantes Clausuram Monialium, & Virorum Regularium.

ACtum est de Excommunicatione inflicta ad retrahendos Laicos ab interitu corporis, & animæ per Duellum; restat agendum de alia Excommunicatione lata pro corporali, & spirituali salute Virginum, quæ se dedicaverunt Deo per Vota solemnia Paupertatis, Castitatis, ac Obedientiæ, cum obligatione vivendi in perpetua Clausura; pro cujus intelligentia videbimus:

1. *Quid, & Quotuplex sit Monialium Clausura?*
2. *Quo tempore, & quo Jure sit introducta?*
3. *Quot modis violetur Monialium Clausura?*
4. *Quæ pœnæ sint inflictæ contra violantes Monialium Clausuram?*
5. *An sint casus, in quibus liceat Monialibus exire de Clausura.*
6. *Qui possint absolvere ab Excommunicatione incursa ob violatam Monialium Clausuram?*

Quò ad Primum. Duplex est Clausura Monialium, *Materialis* scilicet, & *Formalis.* Clausura Materialis est locus clausus; ac muris septus, & ostiis occlusus, in quo habitant Virgines Deo consecratæ, & in quem hominibus non est liber ingressus. *l.* 3. §. *Subvenitur. ff. Ad Senat. Consult. Syllan.* Gibalinus *de Clausura Regular. disquis.* 1. *in princip.* Formalis Clausura est Lex prohibens Monialibus egressum de Monasterio; ingressum in illud, & accessum ad colloquendum cum Monialibus absque necessaria causa, & legitima licentia cuicumque personæ. *cap. Perniciosam.* 18. *quæst.* 12. *cap.* 1. *de Statu Regular. in* 6. Bonacina *de Clausura Monial. q.* 3. *punct.* 1, & 2.

Quò ad Secundum. Clausura Monialium Deo consecratarum est antiquissima; tum quia erat in usu etiam in Lege Mosayca, in qua Mulieres servitio Divino mancipatæ, morabantur in exedris Templi, ut legitur 2. *Machab.* 3. 19. & de Anna Prophetissa filia Phanuel; *quæ*, ut scribit S. Lucas 2. 36. *non discedebat de Templo, jejuniis, & obsecrationibus serviens nocte, ac die*; tum etiam quia ab initio Ecclesiæ fuerunt in usu Monasteria Virginum, Deo addictarum; quas salutat S. Ignatius Martyr, *Epist.* 10. 12. & 15. & de eis meminit S. Clemens Papa apud *S. Epiphan. Hæres.* 30. ac de illis testantur S. Ambrosius *lib.* 3. *de Virginib.* S. Hieronymus *lib.* 1. *adversus Jovinian.* & S. Augustin. *Epist.* 109. Quamvis tunc clausura non esset omninò absoluta; quia ex urgenti causa, & cum debita licentia, ac convenienti comitatu poterant Moniales aliqua vice de Monasterio exire. S. Antonin. *in Summ.* 3. *p. tit.* 20. *cap.* 2. §. 3. *Vers. Egressum autem Monialium.* & Gibalin. *de Clausur. d. disquis.* 1. *cap.* 1. §. 2. Absoluta verò, & de necessitate imposita est Clausura Monialibus Deo professis per Legem Ecclesiasticam; *Primò*, per Constitutionem Bonifacii Octavi Summi Pontificis circa finem tertii decimi sæculi, quæ habetur *in cap. Periculoso. De Statu Regular.* cùm enim eo tempore vel ob excedentem malitiam hominum, vel ob nimiam calamitatem temporum, Synodalia Decreta, & Prælatorum inferiorum Leges pro custodia Virginalis innocentiæ non sufficerent, prædictus Bonifacius Octavus Papa indixit omnibus, & quibuscumque Monialibus perpetuam Clausuram; itaut iisdem non liceret ampliùs egredi de Monasteriis; nisi ex causa morbi contagiosi; neque ad eas daretur Virorum accessus, vel ingressus, nisi ex rationabili causa, & cum legitima Episcopi licentia. *Secundò*, hanc Constitutionem Bonifacii VIII. confirmavit Concilium Tridentinum *sess.* 25. *de Regular. c.* 5. addita pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ ab inobedientibus. *Tertiò*, easdem Clausuræ Monialium Leges innovavit Sanctus Pius V. Papa Anno 1566. per Bullam Incipien. *Circa Pastoralis*, & per aliam Anno 1570., quæ incipit, *Decori, & honestati*; addita pariter pœna excommunicationis Sedi Apostolicæ reservata contra transgredientes. *Quartò* tandem ad majorem firmitatem prædictæ Monialium Clausuræ emanarunt aliæ

Constitutiones Gregorii XIII. Gregorii XV. & Pauli V. qui etiam revocaverunt quascunque licentias sublimibus personis ab Apostolica Sede concessas ingrediendi Monasteria Monialium; quas omnes Constitutiones referunt Barbosa in Collect. DD. *ad d. cap. Periculoso. de Statu Regular. in 6.* & Tamburin. *de Jure Abbatissar. disp. 16. quæs. 2. & 3.*

Quò ad Tertium. Tribus modis violatur Monialium clausura; per *egressum* earundem de Monasterio; per *ingressum* Virorum in Monasteria ipsarum; & per *accessum* ad ostia, vel Crates Monasteriorum ad colloquendum cum ipsis Monialibus; deficiente tamen rationabili causa, & legitima licentia in omnibus tribus modis supradictis; ut notat Barbosa *in d. cap. Periculoso. De Statu Regular.* & DD. ibi per eum collecti, ac citati.

Quò ad Quartum, in quo quæritur, Quæ pœnæ sint infligendæ contra violantes Monialium clausuram? Respondetur *Primò*, quòd si violatio fit per egressum à Moniali factum (exceptis casibus à Jure permissis, de quibus infra) ipsa incurrit duas pœnas; *Una* est Excommunicatio latæ sententiæ, cujus absolutio est Papæ reservata, per Bullam Incipien. *Decori. la* 8. Sancti Pii Quinti; ut notant Barbosa *in d. cap. Periculoso. num.* 20. *De Statu Regular. in 6.* Thesaurus *de Pœnis Ecclesiast. part. 2. Verb. Clausuram violans. cap.* 8. Sanchez *in Decalogum. lib. 6. cap. 15. à num.* 63. & Donatus *de Regularib. tom. 4. tract. 4. q.* 8. *Altera* pœna est privatio omnium Dignitatum, si quas habebat; necnon amissio suæ Dotis, tum de Jure Civili. *l. Deo nobis.* 54. §. *Hujus autem. C. de Episc. & Cler.* & in Auth. *Si qua mulier. C. de Sacrosanct. Eccl.* tum de Jure Canonico, ut per *cap. Abbates.* 18. *q. 2. cap. Verùm. De Conditionib. appositi.* & docent, tum Moralistæ Lezana *in Sum. tom. 3. Verb. Dos Monialium. num.* 6. Donatus *tom. 1. part. 2. tract. 5. q. 58. & tom. 4. tract. 4. q.* 19. tum Canonistæ Navarr. *Commentar. 4. de Regularib. num.* 24. *Vers. Undecimo.* & Surdus *de Alimentis. tit. 9. quæst.* 27. tum etiam Criminalistæ Decian. *lib. 5. cap. 73. num.* 16. atque Farinacius *de Hæresi. quæst.* 183. §. 8. *n.* 114. quorum omnium verba ego retuli in meis Discordiis Ferensibus *part. 4. de Regularib. Discord. 44. à num. 5. & seqq.* Et non solùm incurrunt prædictas pœnas ipsæ Moniales è clausura egredientes, sed etiam illas comitantes, ac receptantes. Thesaur. *d. part. 2. Verb Clausuram Monialium c. 8. Vers. Aliter.* & Barbosa *in Collect. DD. ad d. cap. 1. de Statu Regular. num.* 20. *Secundò*, si violatio clausuræ Monialium fiat per ingressum, omnes ingredientes, & eos introducentes, ac recipientes, (extra casus licitos, ac necessarios, & cum debita licentia) pariter incurrunt excommunicationem Summo Pontifici reservatam, tum ex Concil. Trid. *d. sess. 25. de Regular. cap. 5.* tum ex Constitutionibus Gregorii XIII. incipien. *Ubi gratiæ*, ac Pauli V. quæ incipit *Monialium status*; ut demonstrat Donatus *d. to. 4. tract. 5. quæst. 1. & 2.* & declaravit Sacra Congregatio Episc. & Regular. apud Pignatellum *tom. 6. consult. 85. n. 251. & 252.* & tantò magis si ingressus sit ad malum finem, ut ego ostendi in meis Decisionibus *de Eucharistia. decis. 18. num. 30. & 31.* ubi quòd neque Superioribus licitum est intrare Monasteria Monialium absque legitima causa, aliàs incurrunt easdem pœnas. *Tertiò*, si violetur Monialium clausura per accessum ad crates, & colloquutoria Monasterii à personis prohibitis, hæ ultra peccatum mortale incurrunt pœnas, ac Censuras per Ordinarios locorum inflictas, etiamsi accedentes, & colloquentes cum Monialibus sint Regulares.

Quò ad Quintum. Circa casus, in quibus licitum sit Monialibus exire de Clausura; quamvis Sanctus Pius V. in præcitatis suis Constitutionibus expresserit tantùm tres Casus, scilicet *Magnum incendium*, morbum *Lepræ*, & morbum *Epidimiæ*; & disputent Doctores, an hi tres Casus expressi sint taxativè, vel exemplificativè, ut scribit Barbosa *alleg.* 102. *num.* 16. & Giballin. *Disquis. 1. cap. 6. n.* 33. verior tamen opinio est, quòd dicti tres casus stent exemplificativè, ut probant Sanchez *in Decal. lib. 6. c. 15. num.* 37. Novarius *in Summ. Bullar. part. 1. Comment. 41. num.* 14. Ventriglia *tom. 1. Annot. 5. §. 2. n.* 25. & Zacchias *in QQ. Medicoleg. libr. 3. tit. 3. quæst. 6. n.* 10. necnon *in Consil.* 64. *per tot.* Idcircò communiter DD. addunt alios casus licitos pro egressu Monialium de clausura, nempe Alluvio fluminis, vel procellæ, ac Sæviens Bellum, ex quibus immineret ruina Monasterii, vel direptio Monialium. Giballin. *d. Disquis. 1. c. 6. num.* 33. & quodcunque aliud periculum influens in totam Monialium communitatem. Ex qua doctrina colligitur, quod si morbus, vel periculum immineat alicui particulari ex Monialibus, ei non licet è clausura exire: quòd si morbus esset pestilentialis petenda esset licentia à Sacra Congregatione, & non sufficeret permissio Episcopi; nisi temporis angustia aliud suaderet. Ventriglia *d. tom. 1. Annot. 5. punct. 2. n.* 29. Prout etiam ejusdem Sacræ Congregationis licentia est necessaria, si agatur de egressu Sanctimonialis pro fundando alibi Monasterio; vel pro corrigenda aliqua Moniali contumaci, quæ ibi ob factiones corripi non posset. Giballin. *d. c. 6. à n.* 37. *& seqq.*

Pro ingressu autem Virorum in Clausuram Monialium casus liciti sunt tum illi, qui concernunt bonum commune totius Monasterii, in rebus necessariis pro alimentis, ac sustentatione totius Communitatis; & sic ingrediuntur, prævia licentia Episcopi, bajuli, rustici, vectores curruum cum bladis, & uvis, ac alii operarii, & artifices. Gloss. *in cit. cap. 1. de Statu Regular. in 6.* tum illi casus, qui respiciunt bonum particulare alicujus Monialis; & hac de causa si aliqua sit infirma, intrant in clausuram Confessarius, Medicus, Chirurgus, & aliquando ancillæ, ac mulieres laicæ, quæ ministeriis vilioribus, & operosioribus inserviant; aut Moniali morbo diuturno, ac periculoso affectæ assistant, ad tradita per Barbosam *d. Allegat.* 102. *n.* 60. Bonacinam *de Clausura. q. 4. punct. 4. n.* 10. & Crispinum *de Visitat. Pastor. part. 2. §. 42. n.* 99. Ulteriùs etiam ob bonum consanguineorum conceditur ingressus puellarum educandarum; etsi & hoc concernat bonum Monasterii ad propagandam successionem Sanctimonialium; imò permitti solet ingressus alicujus Mulieris nobilis Uxoratæ, ad evitanda scandala ob dissidia cum marito; circa quæ pollet arbitrium Episcopi in concedenda licentia, ut tradunt Giballin. *de Clausura. d. disp. 1.* Tamburin. *de Jure Abbatissar. disp. 24. quæs. 1.* & Donatus *d. tom. 4. tract. 5. q. 19.*

Pro accessu tandem ad Crates pro collocutione cum Monialibus requiritur bonum nomen accedentium, & eorum parentela in primo, & secundo

cundo gradu; dummodò non sint Regulares; his enim interdictum est ab Apostolica Sede accedere ad colloquendum cum Monialibus, nisi quater in anno, & cum consanguineis in primo, vel secundo gradu tantùm, & cum licentia Episcopi, cui propterea data est facultas puniendi Regulares transgressores etiam Censuris, & etiam in Monasteriis exemptis, ut ex Bulla Gregorii XV. *Inscrutabili &c.* Ex Decreto Urbani VIII. de Anno 1623. & ex alio Decreto Clementis Noni de Anno 1669. quæ leguntur apud Pignatellum *tom. 6. Consult. 85. num. 165.*

Quò ad Ultimum. Absolvere ab excommunicatione incursa tam per egressum, quàm per ingressum illicitum in Clausuram Monialium, cùm sit reservata Papæ, spectat tantummodò ad ipsum. Disputant nihilominùs DD. an absolutio obtineri possit vel ab Episcopo, vel à Confessariis Regularibus? Et affirmant de Episcopo, si egressus vel ingressus sit occultus, & hoc vigore Concilii Tridentini *sess. 24. de Ref. cap. 6.* Ita Bonacina *de Censur. disp. 1. quæst. 22. punct. 2. num. 2. & de Clausura. quæst. 1. punct. 5. num. 2.* Thesaurus *d. part. 2. Verb. Clausuram. cap. 8. Vers. Absolvere.* & alii, quos ego citavi *de Eucharist. decis. 81. num. 22.* De Confessariis verò Regularibus negant ob Decretum Clementis VIII. in quo noluit, eosdem posse absolvere à septem casibus Papæ reservatis; & inter eos est violatio clausuræ Monialium; & dictum Decretum legitur apud Donatum *tom. 2. part. 3. tract. 11. quæst. 17.* & apud Pignatellum *d. tom. 6. Consult. 85. num. 165. & 166.*

Corollarii loco notandum est, aliam pariter Excommunicationem Papæ reservatam latam esse contra Mulieres violantes Clausuram Regularium Virorum per ingressum in eorum Monasteria, non solùm ad malum finem, sed etiam ex mera curiositate; ut in Bulla Sancti Pii V. *dist 24. Octobris* 1566. Incipien. *Regularium Personarum &c.* quæ in Bullario Cherubini habetur *tom. 2. Constit. 20.* de qua agunt Fagnanus *in cap. Nuper. num. 35. de Sent. Excommun. tom. 7.* Antonell. *de loco Legal lib. 1. cap. 10. num. 57.* Novarius *in Summa Bullarii part. 2. Comment. 39. num. 6.* & alii, quos ego allegavi in meis Discordiis Forens. *de Regular. Discord. 27. num. 4.* ubi *num. 15. & 16.* ostendi, Confessarios Regulares ab hac Excommunicatione absolvere non posse.

TIT. XVI.

De Ecclesiastico Interdicto.

QUoniam Ecclesiasticum Interdictum valdè fraternizat cum Excommunicatione, quia & istud solet infligi tam contra Clericos, quàm contra laicos; ideò statim post illam agitur de ipso; pro cujus intelligentia videbimus;

1. *Quid sit Interdictum Ecclesiasticum?*
2. *Quotuplex sit?*
3. *Qui possint infligere Ecclesiasticum Interdictum?*
4. *Ob quas causas?*
5. *Qui teneantur observare Ecclesiasticum Interdictum?*
6. *Qui sint effectus hujus Interdicti?*
7. *Quas pœnas incurrant violantes Interdictum?*
8. *Quis possit tollere Interdictum?*

Quò ad Primum. *Interdictum est Ecclesiastica Censura, per quam fidelibus prohibetur participatio Sacramentorum; Divinorum Officiorum; & Ecclesiasticæ Sepulturæ.* Hæc definitio colligitur ex *cap. Non est nobis. De Sponsalibus.* & *ex cap. Quod in te, de Pœnitent. & remiss.* Aliam definitionem tradit Scotus *in 4. dist. 25. quæst. 1. G;* ita dicens: *Interdictum est prohibitio, vel arctatio à quibusdam actibus Ecclesiasticis exercendis, vel ab assistendo quibusdam talibus.* Videatur Mastrius in *Theol. Mor. disp. 13. n. 106.* ubi alias definitiones ponit.

Quò ad Secundum. Ecclesiasticum interdictum est triplex, *Locale, Personale, & Mixtum.* Interdictum *Locale* est, quando prohibetur, ne in tali loco divina Officia celebrentur. *Personale*, quando prohibetur aliquibus personis assistere activè, vel passivè divinis Officiis in quocunque loco. *Mixtum* Interdictum est, quando locus simul, & personæ interdicuntur. *c. Præsenti. de Sentent. Excommun. in 6. cap. Sententia eod. t.* & Mastrius *d. disp. 13. num. 107.* & 108. ubi duas aliàs dat divisiones. *Una*, quòd aliud est Interdictum generale, quando totum Regnum, vel Provincia interdicitur Et aliud est particulare, quando aliquod Templum, vel Ecclesia tantùm interdicitur. *Altera* divisio est, quòd aliud Interdictum est à Jure, & aliud ab homine. Ex his resultat hæc differentia Interdictum locale generale; & Interdictum generale personale: quòd scilicet in Interdicto generali locali poterit populus illius Regni audire Divina in Ecclesiis extra illud Regnum: At in Interdicto generali personali eædem personæ nec extra Regnum poterunt audire Divina; advenæ verò advenientes in loco personalis Interdicti poterunt Divina audire; quia eos hoc Interdictum non afficit. *d. cap. Si Sententia. de Sentent. Excommun.* Mastrius *d. disp. 13. num. 109.* & *num. 110.* subdens, quòd in Interdicto generali Mixto comprehenduntur tam nocentes, quam innocentes; ita tamen, ut si hi discedant à loco Interdicto, poterunt alibi Divina audire; non etiam culpabiles, & nocentes. *d. cap. Si Sententia,* & ibi Glossa *de Sent. Excommun. in 6.* Illud etiam notandum, quòd Interdicto populo non censetur interdictus Clerus. *cap. Quia periculosum. de Sent. Excommun. in 6.* Et interdicto Clero non comprehenduntur Regulares, & Moniales. Mastrius *d. disp. 13. n. 111.*

Quò ad Tertium. Potestas Ecclesiastici Interdicti indicendi residet apud Ecclesiasticos Superiores; ideòque apud Papam in universo Orbe, Regnis, & Provinciis; apud Legatos Apostolicos in locis eorum Legationis; & apud Episcopos in suis Diœcesibus. *cap. Episcoporum. de Privil. in 6. cap. Sanè. de Offic. Deleg. cap. Cum inter. de Consuetud.* Mastrius *d. disp. 13. n. 110.* ubi limitat circa Interdictum inflictum generaliter ab Episcopo, quod non afficiat Hospites, & Scholares, qui in ejus Diœcesi reperiuntur.

Quò ad Quartum. Regula est certa, & nullam patiens limitationem; quod Ecclesiasticum Interdictum fulminari non potest, nisi ob peccata gravia; quæ annexam habeant contumaciam, ac inobedientiam in delinquentibus, sive omnibus de Communitate, sive Principalibus tantùm ejusdem; ut *in cit. cap. Si Sententia. de Sentent. excommun. in 6.*

Quò ad Quintum. Pariter datur Regula generalis, quòd si interdictum locale sit universale, ac illimitatum totius Regni, Provinciæ, vel Diœcesis; omnes habitantes ibi tenentur illud observare, tam culpabiles, quàm innocentes;

tes, necnon tam præsentes, quàm post latum Interdictum supervenientes. *d. c. Si Sententia.* & ibi Glossa *de Sent. Excommun. in* 6. Etidem habet locum si Interdictum sit personale; Ita tamen, ut hoc non afficiat nisi illos, qui sunt culpabiles, & contumaces, ut late explicat Mastrius *d. disp.* 13. *num.* 110.

Quò ad Sextum. Effectus Interdicti desumendi sunt ab intentione Superioris illud infligentis, expressa in verbis, quibus fuerit ab ipso inflictum. Quòd si sit generaliter fulminatum absque ulla restrictione, tunc tres sunt ejus effectus; nempè privatio Sacramentorum, Divinorum Officiorum, & Ecclesiasticæ Sepulturæ. Bonacin. *de Interdicto. disp.* 5. *punct.* 3. & Mastrius *d. disp.* 13. *num.* 112. Porrò circa Sacramenta, non omnia censentur prohibita; sed tantùm Eucharistia; excepto articulo mortis per Viaticum. *cap. Quod in te, de Pœnitent. & remiss. cap. Permittimus. de Sent. Excommun.* Item prohibita est Extrema Unctio, Confirmatio, Collatio Ordinum, & celebratio Matrimonii cum solemni benedictione, non autem ea omissa. Idcircò Baptismus, & Pœnitentia nunquàm sunt prohibita; tanquam prorsus necessaria ad salutem; & quandocunque possunt iisdem Interdicto affectis ministrari. *cap. Quoniam.* & *cap. Alma Mater. de Sentent. Excommun. in* 6. Mastrius *in cit. disp.* 13. *num.* 113. Quò verò ad Divina Officia; si interdictum sit merè locale: Tunc si est particulare, ea celebrari non possunt ullo tempore in Ecclesiis particulariter interdictis, sed utique in aliis. Si sit locale generale; nullibi officia Divina celebrantur, exceptis diebus festis Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis, & Conceptionis B. M. Virginis. Mastrius *d. disp.* 13. *n.* 115. suadens, quòd Clerici januis clausis, & absque pulsatione campanarum possunt ea recitare. At si Interdictum sit Personale, seu Mixtum sive in genere, sive in specie, nulla die possunt Officia Divina in Ecclesiis celebrari. *cap. Si civitas. & cap. Si Sententia. de Sent. Excommun. in* 6. Non est tamen prohibitum tempore generalis Interdicti pulsare, & recitare Angelicam Salutationem, benedicere Mensam, adorare Crucem in die Parasceves, commendare animam moribundis, prædicare Verbum Dei, docere pueros Doctrinam Christianam; & actus spiritualis ac temporalis Jurisdictionis exercere, ut docent DD. quos citat, ac sequitur Mastrius *ead. disput.* 13. *num.* 117. Tandem quò ad Sepulturam; ad eam non admittuntur, qui sunt personali Interdicto perculsi. *d. cap. Si Civitas. de Sent. Excom. in* 6. Nisi habeant speciale Privilegium. *cap. Quod in te. De Pœnit. & Remiss.* At si Interdictum sit locale tantùm, illa nulli morienti denegatur, nisi dederit causam Interdicto. Mastr. *ubi supr. num.* 116.

Quò ad Septimum. Pœnæ, quas incurrunt violantes Interdictum, sunt sequentes. *Primò*, ministrantes, ac suscipientes Sacramenta prohibita peccant mortaliter. *Secundò*, committunt Sacrilegium. *Tertiò*, Clerici illa ministrantes fiunt irregulares. *cap. Is; cui. de Sent. Excommun. in* 6. *Quartò*, qui recitant publicè, & audiunt Divina, & ipsi mortaliter peccant. *Quintò*, Laici cogentes Clericos ad celebrandum in loco, vel tempore interdicto, incurrunt in Excommunicationem. *Clem.* 2. *de Sent. Excomm.* Et *Sextò* sepelientes defunctos in Loco Sacro interdicto pariter excommunicationem incurrunt. *Clem.* 1. *de Sepult.* Mastrius *d. disput.* 13. *numer.* 118.

Quò ad Ultimum; in quo quæritur, Quis possit tollere Interdictum? DD. distinguunt: Vel Interdictum est ab Homine, & absque præfinitione temporis; & ab eodem est tollendum vel per relaxationem, vel per absolutionem. Vel est à Jure? & tunc subdistinguunt: Vel est locale reservatum Papæ? Et à solo Papa tollitur. Vel non est alicui reservatum? Et à solo Episcopo tolli potest. Vel est Interdictum personale nulli reservatum? Et hoc quilibet Confessarius tollere potest per absolutionem, data satisfactione; vel præstita cautione de satisfaciendo, si necesse sit. Ita DD. apud Mastrium *ead. disput.* 13. *num.* 121; qui *num.* 125. advertit, quòd per Appellationem ab Interdicto, ejus effectus non suspenditur, quia debet plenè observari, donec Superior servatis servandis, & causa cognita illud revocet. *c. Ad hæc quoniam. de Appellat.*

Corollarii loco notandum est, ultra Interdictum dari *Cessationem a Divinis*, quæ est quædam prohibitio ob mœrorem facta, ne in aliquo loco Divina officia celebrentur; & habet analogiam cum Suspensione, & Interdicto, sed verè non est Censura Ecclesiastica; ideòque inobedientes non fiunt Irregulares, etsi incurrant Excommunicationem, de qua *in Clem.* 1. *de Sentent. Excommun.* ac ea durante, non est prohibitum sepelire fideles in loco Sacro, dummodò in eis sepeliendis non fiat recitatio Divinorum Officiorum. Mastrius *ibid. num.* 124. & *num.* 125.

TIT. XVII.

De Suspensione à Divinis.

CUm tres esse Ecclesiasticas Censuras supra notatum sit; & de duabus egerimus, scilicet de Excommunicatione, & de Interdicto; remanet, ut de tertia verba faciamus, nempe de Suspensione à Divinis; pro cujus explicatione videbimus:

1. *Quid sit Suspensio à Divinis?*
2. *Quotuplex sit?*
3. *Quis possit eam infligere?*
4. *Qui sint ejus effectus?*
5. *Quas pœnas incurrat, qui illam non servat?*
6. *Quæ, & quot sint Suspensiones à Jure inflictæ ob malam Ordinum susceptionem?*
7. *Quæ sint causa excusantes ab incursu Suspensionis?*
8. *Quis possit ab ea absolvere?*

Quò ad Primum. Duæ dantur à Theologis definitiones. *Una* est; quòd *Suspensio à Divinis est Ecclesiastica Censura, qua Minister Ecclesiæ arcetur ab aliquo actu Ecclesiastico, aliàs sibi conveniente; & hoc ad tempus.* Ita Scotus *in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 1. *H.* Dicitur *Censura Ecclesiastica* tanquam genus; cùm, ut dictum est, existant aliæ duæ Censuræ. Dicitur *Minister Ecclesiæ* ad differentiam aliarum duarum; quæ possunt infligi tam in Clericos, quàm in Laicos; hæc autem fulminatur tantùm contra Ecclesiæ Ministros; videlicet Clericos: tam post susceptos Ordines, quàm in eorum susceptione; ut in eo, qui, etiam ignoranter ordinatur ante legitimam ætatem. *capit. Vel non est compos. de Temp. ordinat.* Dicitur *ab aliquo actu Ecclesiastico, aliàs sibi con-*

conveniente; quæ verba comprehendunt tam Sacrificia, quàm Divina Officia; tam universaliter, seu in Choro; quàm particulariter extra Chorum; siquidem ad differentiam Excommunicationis, suspendi potest à Divinis totum Capitulum Canonicorum, etsi illud excommunicari non possit. Mastrius in Theol. Moral. *disp.* 13. *num.* 91. ubi DD. docentes, tunc illos de Capitulo esse suspensos solummodò in iis, quæ spectant ad Capitulum in commune; secùs in illis, quæ propria sunt uniuscujusque particularis personæ; nisi fortè omnes essent in culpa. *Altera* definitio Suspensionis à Divinis est, quam ponit Mastrius *ibid. n.* 86. nempe *eam esse Censuram, qua Clericus impeditur, ne functiones exerceat sui Officii, vel beneficii.* & coincidit cum illa Scoti jam explicata.

Quò ad Secundum. Plures dantur Suspensionis à Divinis divisiones. *Una* est, quòd alia dicitur à Jure, & alia ab Homine. Illa est à Jure, quæ inflicta legitur in Sacris Canonibus, vel in Constitutione Ecclesiastica; seu generali Edicto. Ista est, quæ per Sententiam à Superiore profertur. Mastrius *ubi supr. num.* 87. *Altera* divisio est, quòd Suspensio à Divinis vel est ab Officio tantùm, vel à Beneficio tantùm; vel simul ab Officio, & Beneficio. Prima prohibet administrationem Sacramentorum. Secunda vetat exactionem fructuum beneficii. Tertia privat potestate tam Sacramenta ministrandi, quàm in fructibus prædictis se ingerendi; quod idem est, ac reddere suspensum inhabilem ad gerenda spiritualia, ac temporalia sui officii, & beneficii. DD. apud Mastrium *d. disp.* 13. *num.* 87. Tertia divisio est, quòd Suspensio à Divinis alia est illimitata; alia verò ad limitatum tempus; puta ad sex Menses, seu ad Annum. Illa eget absolutione; hæc autem absolutione non indiget, siquidem transacto tempore, ad quod erat limitata, statim Clericus, qui ipsa erat ligatus, potest officium sui Ordinis exercere. Glossa *in cap. Sacro. de Sent. Excomm.* Mastrius *d. disp.* 13. *n.* 94. *& n.* 101.

Quò ad Tertium. Breviter est dicendum, quòd solus Superior Ecclesiasticus potest infligere in suum subditum Suspensionem à Divinis, legitima aliqua præcedente causa: quæ proveniat vel à culpa gravi; ut si Clericus sit criminosus; vel etiam à culpa levi, velut si esset negligens, vel desidiosus in aliquo suo officio; imò etiam nulla subsistente culpa, sed sola ignorantia; ut dictum est de eo, qui suscipit ordines ante legitimam ætatem inscienter. *d. cap. Vel non est compos. de Tempor. Ordin.* Mastrius *d. disp.* 13. *num.* 90. *&* 100. ubi alii DD.

Quò ad Quartum. Effectus Suspensionis à Divinis sunt sequentes. *Primò*, Suspensus si celebret, aut actum Ordinis exerceat, peccat mortaliter. *Secundò* fit Irregularis. *Tertiò* actus Jurisdictionis, sunt nulli in utroque Foro, interiori scilicet, & exteriori. *Quartò*, si eligatur ad aliquod beneficium, electio est irrita, ac invalida. *Quintò*, non est admittendus in Choro ad recitandas divinas laudes. *Sextò*, si suspensus sit à beneficio, & fructus exigat, peccat mortaliter, quamvis non incurrat Irregularitatem. Et *Septimò*, si suspensio Sacerdotis à Divinis sit generica, neque Evangelium, neque Epistolam poterit cantare in Missa absque peccato, & incursu in Irregularitatem. Ita DD. quos citat, & sequitur Mastrius *d. disp.* 13. *à num.* 93. *& seqq.* ubi *num.* 96. notat, quòd Suspensus ab Officio potest exercere actus Jurisdictionis, & quòd Episcopus suspensus à Pontificalibus non est prohibitus celebrare Missam privatam.

Quò ad Quintum. Clericus suspensus à Divinis, si suspensionem non servet, sed actus Ordinis exerceat, peccat mortaliter, ut dictum est, atque incurrit in Irregularitatem. *cap.* 1. *& cap. Is, cui. de Sent. Excomm. in* 6. Antonell. *de Regim. Eccl. Milit. libr.* 2. *cap.* 10. *num.* 1. ubi *num.* 3. addit; quòd fit incursus in supradictas pœnas, quando exercetur actus Ordinis Sacri secundum communem Doctorum sententiam; secùs si tempore Suspensionis exerceatur actus Ordinis minoris; quia tunc Irregularitas non incurritur; nam de consuetudine actus minorum ordinum à Laicis etiam cum solemnitate exercentur; ut post Tolet. Avilam, & alios observat Bonacina *de Censur. disp.* 7. *q.* 3. *punct.* 5. *num.* 1. Diana *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 56. *&* 92. quæ in opere ejus Coordinato habetur *tom.* 5. *tract.* 5. *resol.* 25. *in* §. 4. & alii recentiores communiter: quamvis contrarium teneant Navarr. *in Manuali. cap.* 25. *num.* 76. *& cap.* 27. *num.* 163. Quaranta *in Verb. Ordo. Vers. Secundò limita.* Et Belletus *Disquis. Clerical. Tit. de Discipl. Cleric. §.* 5. *num.* 62. Sed utrùm Canonicus, qui est suspensus à Divinis, possit stare in Capitulo, in quo agitur de eligendis Canonicis, & dare Votum suum? Respondetur, affirmativè, quia non est actus Ordinis electio Canonici activa. *cap. Cum Vintomienſis. de Elect.* Mastrius *d. disp.* 13. *num.* 98.

Quò ad Sextum. Suspensiones à Divinis de Jure inflictæ contra Clericos, qui suscipiunt Ordines, non servatis de Jure servandis, sunt duodecim sequentes; videlicet. 1. Si recipiant Ordines ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui. 2. Si ab alieno sine licentia proprii Ordinarii. 3. Si ipsos Ordines recipiant à proprio Episcopo; sed in aliena Diœcesi absque licentia Diœcesani. 4. Si illos recipiant ab Episcopo Excommunicato, vel Suspenso. 5. Si non habeant legitimam ætatem. 6. Si ordinentur extra tempora sine dispensatione. 7. Vel interstitiis non servatis. 8. Vel sine Titulo in Sacris. 9. Si ordinentur per saltum. 10. Si post contractum Matrimonium, etsi non consummatum. 11. Si ipsi Clerici sint Excommunicati, vel Suspensi, aut Interdicti. 12. Si ordinentur cum Litteris Vicarii Capitularis intra annum à Sede vacante. *cap. Neminem. & cap. Sanctorum.* 70. *dist. cap. Cum secundum. de Præben.* & novissimè Constitutio Urbani VIII. Incipien. *Secretis æternæ Providentiæ*, de qua Barbosa *De Offic. & potest. Episc. part.* 2. *alleg.* 20. *num.* 33. & 34.

Quò ad Septimum. Causæ excusantes ab incursu Suspensionis à Divinis sunt duæ. *Prima* est ignorantia invincibilis sivè Juris, sivè facti; cujus causa lata sit hæc censura Suspensionis. *cap.* 2. *de Constitutionibus. & cap.* 2. ubi DD. *eod. tit. in* 6. Thesaur. *de Pœnis Eccles. part.* 1. *cap.* 15. *num.* 1. *Secunda* est metus gravis alicujus mali, sive in corpore, sive in fama, & honore, sive etiam in bonis temporalibus, quando opus, cui est annexa Suspensio, non est alias prohibitum jure naturali. *cap. Discretionem. de Eo, qui cognovit. c. Sacris.* ubi Abb. & Barbosa, *de His, quæ vi, metusve caus.* Thesaur. *d. part.* 1. *cap.* 18. & Mastrius *d. disp.* 13. *num.* 101.

Quò ad Ultimum. Ad sciendum, quis possit absolvere ab hac Censura Suspensionis à Divinis? oportet distinguere: nam vel lata est ab homine per Sententiam? Et tunc ipse solus absolvit, nisi lata sit ad præfinitum tempus, vel sub conditione: nam expleto tempore, vel conditione adimpleta, cessat Suspensio; & non est opus alia absolutione secundum magis communem opinionem. Mastrius *d. disp.* 13. *num.* 103. *&* 104. Vel Suspensio inflicta est à Jure? & in hoc casu, si est reservata Papæ, vel Episcopo? ab ipsis tantùm potest absolutio impertiri. Vel nulli est reservata? Et in hoc casu altercatio est inter DD. Alii enim dicunt, omnem Confessarium posse ab ea absolvere: Alii verò tenent à solo Episcopo absolutionem esse elargiendam, ut videre est apud Dianam *part.* 5. *tract.* 10. *resol.* 23. quæ in ejus Opere Coordinatio habetur *tom.* 5. *tract.* 3. *resol.* 9. & secundam opinionem esse veriorem ait Antonellus *de Regim. Eccl. d. l.* 2. *c.* 10. *num.* 26. quia Suspensio non impedit absolutionem à peccatis, sicut impedit Excommunicatio; undè ab Excommunicatione nemini reservata omnis Confessarius potest absolvere. *cap. Nuper. de Sent. Excommun.* Tum etiam quia Suspensio pertinet ad forum contentiosum; & ideò est auferenda ab habente Jurisdictionem in foro exteriori. Sylvest. *in Verb. Suspensio. num.* 8. & Bonacina *de Censur. disp.* 3. *quæst.* 5. *punct. ult. num.* 6.

TIT. XVIII.

De Irregularitate.

Quoniam illi, qui Suspensionem à Divinis non observant, & quamvis illa affecti, & illigati audent Ministeria Sacra celebrare, inter alias pœnas incurrunt in gravissimam illam, quæ vocatur Irregularitas, quæ etiam contrahitur ob aliarum violationem Censurarum; idcircò pro hujus operis complemento, & pro explicatione hujus materiæ videbimus:

1. *Quid, & Quotuplex sit Irregularitas?*
2. *Quot, & quæ sint Irregularitates ex defectu?*
3. *Quot, & quæ sint Irregularitates ex delicto?*
4. *Quot, & quibus modis tollatur Irregularitas?*
5. *Qui possint dispensare super Irregularitate?*

Quò ad Primum. Irregularitas communiter definitur tam à Theologis, quàm à Canonistis, quòd *sit Impedimentum Canonicum impediens Ordinum susceptionem, vel eorundem susceptorum administrationem.* DD. apud Mastrium *in Theol. Mor. disp.* 13. *num.* 127. Ex qua definitione colligunt, Irregularitatem non esse Censuram Ecclesiasticam, sed solam inhabilitatem, ob decentiam servandam tum in suscipiendis, tum in exercendis Sacris Ordinibus. Porrò duplex est Irregularitas; alia *ex Defectu*, & alia *ex Delicto*. Mastrius *ibid. num.* 130. ubi DD.

Quò ad Secundum. Irregularitates *ex Defectu* sunt decem. *Prima* est ex defectu Animæ, & comprehendit Lunaticos, Epilepticos, perpetuò Amentes; ac Neophitos in ætate adulta baptizatos; hi enim omnes prohibentur ad Ordines promoveri. *cap. Neophitus. dist.* 61. Mastrius *d. disp.* 13. *num.* 168. *Secunda* est ex defectu scientiæ, ac illiteraturæ. *c. Illiteratos.* 36. Concil. Trid. *sess.* 25. *de Reform. cap.* 4. *Tertia* est ex defectu Corporis, vel ob deformitatem, ut in nanis, claudis, & gibbosis; vel ob debilitatem in aliquo membro principali. *cap.* 1. *& seqq. dist.* 25. & toto titulo *extr. de Corpore vitiatis.* necnon ob notabilem aliquam infirmitatem, qualis est lepra, morbus gallicus, apoplexia, & aliæ similes, circa quas Jus se remittit prudentiæ, ac arbitrio Episcopi. *cap. Tua nos. de Cleric. agrot.* His accedunt Hermaphroditi; de quibus videndus est Mastrius *ubi supr. num.* 170. & meæ *Decisiones de Pœnitentia. decis.* 43. *Quarta* est ex defectu Natalium, ut in spuriis, ac illegitimis, extra Matrimonium natis, nisi sint dispensati, vel per subsequens Matrimonium legitimati. *cap.* 1. *&* 2. *& cap. Is, qui de Filiis Presbyteror.* aut nisi sint in Religione professi; tunc enim possunt ad Ordines promoveri; non autem ad Prælaturas. *cap. ult.* ubi Glossa, & DD. *eod. tit. de Filiis Presbyter.* Infantes verò expositi, nisi probentur naturales, præsumuntur legitimi. *cap.* 1. *de Infantib. expos.* Mastrius *ubi supr. num.* 172. & ibi Bulla Gregorii XIV. in praxi observanda. *Quinta* est ex defectu Ætatis. *cap. ult. de Tempor. Ordination. Clem. unic. de Ætate, & qualit.* & Concil. Tridentin. *sess.* 23. *de Reform. cap.* 12. in quibus juribus præfigitur ætas necessaria ad Ordines suscipiendos. Quòd si quis ordinetur ante debitam ætatem, non incurrit novam Irregularitatem, sed solam suspensionem; quæ cessat debita ætate adveniente, dummodò antea non exercuerit Ordinem. Gloss. *in d. Clem. Unic. de Ætate, & qual. Sexta* est ex defectu Libertatis, quæ urgebat antiquis temporibus, quando homines erant in servitute; Servi enim erant Irregulares, & ordinari prohibebantur, nisi ab eorum Dominis manumitterentur. *cap. Servorum. & seqq. dist.* 54. Nunc ea sunt affecti, qui reperiuntur obligati ad publica ratiocinia; ut sunt Thesaurarii, seu Depositarii æris publici, nec non Tutores, & Curatores divitum pupillorum; hi enim, nisi redditis rationibus, ordinari non debent. *cap. Unic. de Oblig. ad ratiocin. Septima* est ex defectu lenitatis, complectens omnes, qui cooperantur ad Sententiam Sanguinis, & justum homicidium; ut sunt Judices, Notarii, Accusatores, ac Testes. *cap.* 1. *dist.* 51. *cap.* 3. *Ne Clerici, vel Monachi, cap.* 3. *de Homicid. in* 6. Nec non omnes pugnantes in bello aggressivo, etsi justo: nam si esset injustum, insurgeret Irregularitas, ex delicto Homicidii, de qua dicemus infra. In bello autem justo defensivo pugnantes nullam contrahunt Irregularitatem, etsi feriant, vel occidant; quia ex absoluta necessitate, & ad necessariam defensionem censentur ferire, & occidere. Mastrius *d. disp.* 13. *num.* 163. *&* 164. Item comprehenduntur sub hac Irregularitate Chirurgi, qui abscindunt, vel urunt membra; non etiam Medici Physici, qui debita diligentia curant infirmos, *cap. Ad aures. de Ætate, & qualit.* Mastrius ubi antè *num.* 167. *Octava* Irregularitas est ex defectu Sacramenti, & est illa, quæ provenit ex Bigamia, idest ex multiplici contractu Sacramenti Matrimonii. *cap.* 1. *& seq. de Bigam. non ordin.* Sive si quis viduam duxisset in Uxorem; non enim potest repræsentare Christum unicum Sponsum unius Virginis Ecclesiæ. *cap. Si quis Viduam. dist.* 50. & procedit etiam in Bigamia, quæ contracta esset ante Baptismum. Mastrius *d. disp.* 13. *num.* 179. *Nona* Irregularitas nascitur ex defectu bonæ famæ, & afficit Histriones, Mimos, Comœdos, ac filios publicæ Meretricis. Mastrius *ibid.*

ibid. num. 180. *Decima* tandem provenit ex Publica Pœnitenria impoſita ob grave peccatum. *cap. Placuit. & c. Quicunque. diſt.* 50. *c. Pœnitentes diſt.* 59. ſed nunc ceſſat hæc Irregularitas, quia publicæ Pœnitentiæ non ſunt ampliùs in uſu, ut oſtendi in meis Deciſionibus *de Euchariſtia. deciſ.* 62. *num.* 9. nec non *de Pœnitentia, deciſ.* 38. *num.* 32.

Quò ad Tertium. Irregularitates provenientes ex delicto pariter ſunt decem. *Prima* eſt ob iteratum baptismum ſeriò, & ſcienter; & hæc afficit tam rebaptizantem, quàm rebaptizatum. *cap. Ex litterarum. de Apoſtatis. & de reiter. Baptism. Secunda* eſt ob violatam Cenſuram in ſuſceptione, vel exercitio Ordinum; & ideò Clericus Excommunicatus, vel Suſpenſus, aut Interdictus ſi Ordines exerceat, fit Irregularis. *cap. Si quis Epiſcopus, 11. q.* 3. *cap. Is qui. de Sent. Excommun. cap. Illorum eod. tit. in* 6. Et idem eſt, ſi ad altiores Ordines aſcendat, cùm ſit Excommunicatus; ſecùs autem ſi ſit Suſpenſus, vel Interdictus, quia de his duabus Cenſuris nullus Canon infligit Irregularitatem in Clericum eis irretitum Ordines ſuſcipientem. Maſtrius *d. diſp.* 13. *num.* 146. *Tertia* eſt, ſi quis ordinetur ab Epiſcopo excommunicato, vel ſuſpenſo, vel hæretico denunciato; & non tolerato. *cap. Daibertum.* 1. *q.* 7. *cap.* 1. *& 2. de Schismat. Quarta* eſt, ſi quis ordinetur per Simoniam. *Extravag.* 2. *de Simon. Quinta*, ſi recipiat Ordines furtive. *cap.* 1. *& 2.* ubi Gloſſa, *De eo, qui furtivè Ordin. ſuſcept.* ideſt ſe intrudendo inter Ordinandos, licet ab Epiſcopo non fuerit examinatus, & approbatus. *Sexta* eſt, ſi Clericus ſolemniter exerceat actum Ordinis, quem non habet. *cap.* 1. *& 2. de Cleric. non Ordin.* ut ſi Diaconus Miſſam celebret, vel Sacerdos Ordines conferat; & multò magis ſi Laicus hæc facere præſumat. Non autem oritur hæc Irregularitas ex exercitio Jurisdictionis, quam quis non habet; ut ſi Confeſſiones quis audiat. Maſtrius *dict. diſp.* 13. *n.* 150. *in fin. Septima* eſt ex delicto Hæreſis, vel Apoſtaſiæ; quia omnes Hæretici, & Apoſtatæ à fide ſunt Irregulares, ſive ſint Clerici, ſive ſint Laici. *cap. Qui in aliquod. cap. Presbyteros. diſt.* 5. quibus addendi ſunt fautores, receptatores, conſilium, aut favorem dantes, ac omnium prædictorum filii, & nepotes. *cap.* 2. *de Hæretic. Octava* eſt per Apoſtaſiam à Religione; & ideò Regularis fugitivus non poteſt ad Ordines promoveri. *cap. fin. de Apoſt. Nona* eſt ob infamiam commiſſorum delictorum, quæ ſunt Adulterium, Inceſtus, Raptus Virginum, Sodomia, Veneficium, Duellum, Sacrilegium, Simonia, & Perjurium; dummodò ſint notoria vel de facto, vel per Judicis ſententiam. *cap. Infames* 16. *quæſt.* 1. *Decima* Irregularitas eſt, ob homicidium, vel mutilationem membrorum, ſive voluntariè factum, ſive caſualiter, quando non fuit adhibita debita diligentia, præcipuè ſi dabatur opera rei illicitæ. *cap. ult. de Homicid. in* 6. *Clem. Si furioſus. eod. tit.* Quod ſi homicidium ſit omninò involuntarium, & fuit adhibita diligentia, ne fieret; tunc nulla incurritur Irregularitas; ſecus autem ſi debita diligentia adhibita non fuit. *cap. Dilectus. cap. Significaſti. cap. Ad audientiam. & cap. fin. de Homicid.* At ſi quis dabat operam rei illicitæ, quamvis adhibuerit diligentiam, ſi homicidium ſequatur, fit Irrgularis. *cap. Suſcepimus. cap. de Cætero. de Homicid.* Hoc tamen plures DD. intelligunt, ſi opus illicitum aptum erat de per ſe, cauſare homicidium; ut verberare aliquem, ludere cum armis bellicis. Secùs autem ſi aliam rem illicitam committeret, ut adulterium. Horum tamen opinio reſpuitur à doctiſſimo Maſtrio *d. diſp.* 13. *num.* 158. ubi fusè de hac materia, & *num.* 159. addens, quòd irretitur hac Irregularitate non ſolum homicida; ſed quivis alius ſecum cooperans quovis modo, juxta ſequentes verſus:

Juſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus;
Participans, Mutus, Non obſtans, Non manifeſtans.

Et ratio fundamentalis eſt, illa Juris regula, quæ dicit, facientem, & conſentientem par pœna conſtringit. *cap. Notum ſit.* 2. *quæſt.* 1. De ſupradictis autem caſibus Irregularitatis ex Homicidio provenientibus videndus eſt idem Maſtrius *ead. diſp.* 13. *à n.* 143. usque ad *n.* 167. ubi doctè diſſerit, & plures caſus examinat, qui in praxi ſolent occurrere.

Quò ad Quartum. Irregularitas tollitur quatuor modis. *Primus* eſt per Baptismum; intelligendo de Irregularitatibus provenientibus ex delicto; nam illud Sacramentum delet omnem culpam, & omnem pœnam. Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *capit.* 2. Idcircò Irregularitates, quæ ſunt ex defectu; durant etiam poſt Baptismum, donec tollatur ille defectus; prout etiam illa, quæ provenit ex Bigamia. *Secundus* modus eſt per Profeſſionem religioſam, quæ tollit omnes Irregularitates, quò ad ordines; ſed non ad Dignitates, & Prælaturas. *Tertius* eſt per remotionem cauſæ, ut in defectu ætatis cum debita ætas advenerit, & in ignaro ſi Litteratus ſtudendo evaſerit. *Quartus* eſt per legitimam Diſpenſationem conceſſam ab eo, qui habet poteſtatem diſpenſandi ſuper Irregularitatibus; cujus diſpenſationis forma ſolet eſſe in his verbis: *Diſpenſo tecum ſuper Irregularitate, quam ob talem, vel talem cauſam incurriſti &c,* Maſtrius *d. diſp.* 13. *n.* 181.

Quò ad Ultimum: Quinque ſunt perſonæ, quæ poſſunt ab Irregularitatibus diſpenſare: videlicet Summus Pontifex, Metropolitanus, Epiſcopus, Prælatus Regularis, & Confeſſarii Regulares. *Primò* Summus Pontifex diſpenſat in omnibus Irregularitatibus, quia omnes ſunt pœnæ à Jure Canonico ſtatutæ; Papa verò eſt ſupra omne Jus Canonicum. Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *de Sacrament. Pœnit. cap.* 7. *& ſeſſ.* 25. *de Reform. c.* 21. Maſtrius *d. diſp.* 13. *num.* 188. *Secundò* Metropolitanus diſpenſat cum ſubditis omnium ſuorum Suffraganeorum, ſed tantùm in Viſitatione; vel in gradu appellationis. Maſtrius *ibid. num.* 182. & ibi Bonacina, Suarez, & alii DD. *Tertiò*, Epiſcopus poteſt diſpenſare cum ejus ſubditis ſuper Irregularitatibus in caſibus ſibi permiſſis, qui ſunt ſequentes. *Primò* in Irregularitate ex defectu Natalium quò ad ordines minores, & beneficium ſimplex tantùm. *cap.* 1. *de Fil. Presbyter. in* 6. *Secundò* in illa, quæ provenit ex Bigamia ſimilitudinaria tantùm, etiam pro Sacris Ordinibus. *cap. Sanè. de Cleric. Conjug. & cap.* 1. *Qui Clerici, vel voven.* Eſt autem ſimilitudinaria, quando Subdiaconus de facto contrahit Matrimonium; aut Laicus Uxoratus aliam Uxorem ducit. Card. Tolet. *lib.* 1. *c.* 67. *n.* 1. *& 2.* Fagnan. *in c. Nuper à Nobis. de Bigam. à n.* 40. *usque in finem.* Rota *deciſ.* 1. *de Bigam. in novis. Tertiò* in defectibus ex corpore, vel ex ſcientia, quando dubium eſt, an ſint graves, vel leves? tunc enim Epiſcopus poteſt arbitrari, & pronunciare, eos eſſe leves, & ſic tacitè diſpen-

sare tum ad ordines suscipiendos, tum ad beneficia simplicia obtinenda. Pax Jordan. *tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 6. *de Sacram. Ordin. n.* 228. *& tom.* 2. *libr.* 9. *tit.* 1. *de Dispensat. n.* 201. *Quartò* Episcopus dispensat vigore Concilii Trident. *sess.* 24. *de Ref. c.* 6. in omnibus Irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, ea excepta, quæ provenit ex homicidio voluntario; & aliis delictis, quæ pervenerunt ad forum contentiosum. Mastrius *d. disp.* 13. *n.* 182. Porrò, delictum si sit ad forum deductum, sed in eo non fuit probatum, vel ex defectu testium, vel ex eorum taciturnitate, Episcopus dispensare potest. Mastrius *ibid. n.* 184. *Quintò* dispensare potest Episcopus super Irregularitate orta ex homicidio casuali; vel commisso ad defensionem propriæ vitæ non servato moderamine inculpatæ tutelæ; in his enim casibus homicidium proprie non est voluntarium. Idem Mastrius *ibid. n.* 184. ubi DD. Et *Sextò* dispensat Episcopus super Irregularitate ob occultam mutilationem alicujus membri; quia & hæc non est homicidium voluntarium. Mastrius *n.* 186. ubi sic declaratum refert à Sacra Card. Congregat. Ex his colligere debemus, quòd Episcopus viceversa dispensare non potest ab Irregularitate, quæ provenit ex Hæresi, quamvis occulta; quia ubi non potest absolvere à culpa, neque à pœna valet dispensare. *c. Cum illorum. de Sent. Excomm.* At à peccato Hæresis quamvis occultæ Episcopus non absolvit, quia est Papæ reservatum. DD. quos cumulat Barbosa ad Concil. Trident. *sess.* 24. *de Reform. cap.* 6. *num.* 52. & ego dixi in meis Decisionibus *de Pœnitentia. decis.* 45. *n.* 6. *Quartò* Prælati Regulares absolvunt suos subditos, & cum eis dispensant ab omnibus Irregularitatibus, (exceptis ortis ob homicidium voluntarium, etsi occultum, & mutilationem membrorum, ac bigamiam.) vigore Privilegiorum Clementis IV. Bonifacii IX. & Eugenii IV. de quibus videndus Mastrius *ubi supr. disput.* 21. *n.* 186. & Lezana *in Summa tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 4. necnon *tom.* 3. *Verb. Abortus, n.* 14. *& Verb. Irregularitas. n.* 72. Imò Bordonus tenet, eos dispensare posse etiam super Irregularitatibus ex homicidio voluntario, si sit occultum; & ex casuali, quamvis publico, ut late scribit in suis Resolutionibus *part.* 1. *Resol.* 13. *num.* 15. ad quem Lectorem remittimus; & ad ea, quæ ego de hoc dixi in meis Decisionibus *de Pœnitentia. Decis.* 46. *numer.* 15. *Quintò*, & ultimò, etiam Confessarii Regulares virtute suorum Privilegiorum dispensant Pœnitentes, qui ad eos accedunt, ab omnibus Irregularitatibus provenientibus ex delicto, in foro tamen conscientiæ; & exceptis illis, quæ sunt ex homicidio voluntario, quamvis occulto, mutilatione membrorum, & bigamia, ut tenent Doctores, qui à me fuerunt allegati *in dict. Decision.* 46. *de Pœnitentia, numer.* 20.

FINIS.

IN-

INDEX
Verborum, & Rerum Notabilium.

A.

ACcusatio quid sit, *pag.* 75. Qui possint accusare, & accusari. *ibid.*
Adulterium quid, & quotuplex sit. *pag.* 81. Quo Jure puniatur. *pag.* 82. Quibus pœnis. *ibid.*
Alienationis nomine, quæ comprehendantur. *pag.* 47. Alienari quando possint res Ecclesiæ. *ibid.* Quæ requirantur in earum alienatione. *ibid.*
Altare quid sit. *pag.* 37.
Apostasia quid sit, & unde dicatur. *pag.* 78.
Apostatæ qui sint. *pag.* 78. Quibus pœnis puniantur. *pag.* 79.
Appellatio quid sit, & cur inventa. *pag.* 72. Quot ejus species, & quot modis fiat. *ib. & seq.* Intra quod tempus sit appellandum. *pag.* 73. A quibus Judicibus, & ad quos Judices. *ibid.* A quibus sententiis liceat appellare. *ibid.*
Appellatio quando rejiciatur. *pag.* 73.
Appellationis qui sint effectus. *pag.* 73.
Arbitri qui sint, & qui esse possint, & super quibus rebus. *pag.* 56.
Archidiaconus quis sit. *pag.* 11. Quæ ejus Jurisdictio, & quale ejus officium. *ibid.*
Archipresbyter quis sit. *pag.* 11, Quot species Archipresbyterorum. *ibid.* Quale eorum officium. *ibid. & seq.*
Auctoritas totius Juris Canonici, & Ecclesiasticarum Constitutionum, quæ & quanta sit. *pag.* 4. & 5.
Auctoritas Declarationum Sac. Congregat. Eminentiss. S. R. E. Cardinalium. *pag.* 5.
Auctoritas ex traditione Pallii, quæ? *pag.* 10.

B.

BAptismus quid, & quotuplex sit. *pag.* 25. Qui baptizari, & qui baptizare possint. *ib. & seq.* Quæ sint necessaria in Baptismo. 26. Quo in loco sit conferendus Baptismus. *ibid.* Qui sint ejus effectus. *ibid.*
Beneficium Ecclesiasticum quid sit. *pag.* 18. Quibus conferendum, & à quibus. *ibid.* Necnon *Quibus modis?* *ibid.* Ac intra quot tempus. *pag.* 20.
Beneficiorum in Collatione, quæ à summo Pontifice impetrantur, quid observandum, *pag.* 20.
Bestialitatis crimen quodnam sit. *pag.* 82.
Bigamia quid, & quotuplex sit. *pag.* 17.
Bigamia similitudinaria quæ sit. *pag.* 99.
Bigami cur ordinari non possint. *pag.* 98. & *pag.* 18.

C.

CAnonica Portio quid, & quotuplex sit? *pag.* 44. Cui debeatur, & ex quibus rebus. *ib. & seq.* A quibus debeatur. *pag.* 45.
Capellæ Monachorum, quæ dicantur. *pag.* 42. Cui ipsæ subsint. *ibid.*
Carnalium culparum species novem. Et quæ? *pag.* 82. Quibus pœnis puniantur. *ibid. & seqq.*
Cavinensium Privilegiorum Tomi duo. *pag.* 4.
Causæ degradationis Presbyterorum quæ, & quot sint. *pag.* 14. *& seq.*
Censura Ecclesiastica quid, & quotuplex sit. *pag.* 88. & 89. Qui possint fulminare Censuras. *ib.* Contra quos. *ibid.* Quæ sint necessaria pro validitate Censuræ. *pag.* 89. *& seq.* Quæ causæ excusent ab incursu Censurarum. *pag.* 90. Quis ab illis possit absolvere. *ibid.*
Census, Exactio, & Procuratio, quæ datur Prælatis, quid sit. *pag.* 41. & 42. Quis possit Censum imponere, & quibus ex causis. *ibid.*
Chrismatis Sacramentum quid sit. *pag.* 26. Quibus, & à quibus conferatur. *ibid.* Qua forma. *ibid.* Qui sint ejus effectus. *pag.* 27.
Citatio in Jus quid sit. *pag.* 56. Qui possint citare, & qui citari. *ib. & seq.* Quibus ex causis citatio sit nulla. *pag.* 57. *& seq.*
Clandestina desponsatio quæ sit. *pag.* 33. *& seq.* Qui ejus effectus. *pag.* 34. Quæ observanda, ne desponsatio sit clandestina. *ibid.*
Clausura Monialium quæ, & quotuplex sit. *pag.* 93. Quo tempore, & quo Jure sit introducta. *ibid. & seq.* Quot modis violetur. *pag.* 94. Quæ pœnæ sint inflictæ contra violantes illam. *ibid.* Quis possit absolvere ab ipsis. *pag.* 95. An sint casus, in quibus liceat Monialibus exire de Clausura. *pag.* 94. Qui possint earum Clausuram ingredi. *ibid.*
Clausuram Regularium si Mulieres ingrediantur, quas pœnas incurrant. *pag.* 95.
Clerici sunt in tres classes distincti. Et quæ sint. *pag.* 5.
Clericorum peculium quid, & quotuplex sit. *pag.* 47. & seq. An possint de illo disponere. *pag.* 48.
Coadjutor quis dicatur. *pag.* 12. Quibus detur, & ex quibus causis. *ibid.* A quo detur, & quæ sit Coadjutoris potestas. *ibid.*
Cognatio quid, & quotuplex sit. *pag.* 32. & 33. Usque ad quem gradum dirimat Matrimonium. *ibid.*
Collatio beneficiorum quid sit. *pag.* 18. Quot modis fiat. *pag.* 19. Qui possint eam facere, & de quibus Ecclesiis. *ibid.* Intra quæ tempora sit facienda. *pag.* 20. Quæ sint in collatione beneficiorum observanda. *ibid.*
Compromissum quid sit. *pag.* 56. Qui possint compromittere. *ibid.* Quando, & quomodo finiatur Compromissum. *ibid.*
Conciliorum Generalium, & Provincialium quot Tomi. *pag.* 4.
Concubinatus crimen quid sit. *pag.* 82. Quibus pœnis coerceatur. *pag.* 83.
Confessiones si Laicus audiat, an fiant Irregulares. *pag.* 99.
Confessarii Regulares an possint absolvere suos pœnitentes à reservatis Papæ. *pag.* 100.
Confirmatio Electionis quid sit, & quomodo fiat. *pag.* 8. Quæ necessaria pro ejus validitate. *ib. & seq.* Intra quod tempus sit facienda. *p.* 9. Qui sint ejus effectus. *ibid.*
Congregationum S. R. E. Cardinalium Decreta, & Declarationes quam auctoritatem habeant *pag.* 4. *seq.*

Consecratio Episcopi à quibus, & quibus solemnitatibus fiat. *pag.* 9. Intra quæ tempora sit facienda. *ibid.* Qui sint ejus effectus. *pag.* 10.
Constitutio quid, & quotuplex sit. *pag.* 3. Quam vim obligandi habeat. *ibid.*
Constitutiones, & Leges Civiles an obligent in conscientia, & sub pœna peccati mortalis. *d. pag.* 3.
Constitutiones Ecclesiasticæ quæ sint, & undè collectæ. *d. pag.* 3. & 4. Quam Auctoritatem habeant. *pag.* 4. & 5.
Consuetudo quid, & quotuplex sit. *pag.* 3. Quæ & quot requirantur, ut sit valida; ac vim obligandi habeat. *ibid.*
Controversiæ, de quibus in Libris Juris Canonici agitur, quæ & quotuplices sint. *pag.* 4.
Contumacia quid sit. Et quis contumax dicatur. *pag.* 58. Quibus pœnis plectatur. *ibid.* Qui sint contumaciæ effectus. *pag.* 58. & 59.
Corepiscopi qui essent. *pag.* 13. Quale eorum officium *ibid.*

D.

Damna illata quomodo resarciantur. *pag.* 88. Decimæ quid sint, & quo Jure sint introductæ *pag.* 45. Quot earum species. *ibid. & seq.* Quarum rerum Decimæ debeantur. *pag.* 46. Qui teneatur eas solvere. *ibid.* Quibus sint solvendæ. *ibid.* Quibus. *ibid.* Qua forma, & sub quibus pœnis. *pag.* 46. & 47.
Degradatio Clericorum quid, & quotuplex sit. *pag.* 14. A quibus fiat. Quomodo, & quibus de causis. *ibid. & seq.* Ad quem effectum. *pag.* 15.
Denunciatio quid sit. *pag.* 76. Ad quem effectum sit facienda. *ibid.*
Diaconi qui sint. *pag.* 15. Qui possint ad Diaconatus Ordinem promoveri. *ibid.* Quæ sit eorum potestas, & officium. *ibid.*
Dispensatio cum inhabilibus ad suscipiendos Ordines à quo, quando, & in quibus Impedimentis concedatur. *pag.* 17. *& seq.* & *pag.* 99.
Divortium quid sit. *pag.* 35. Ex quibus causis fiat, & quando *ibid. & seqq.* Quot modis Uxor repetatur. *pag.* 36. Qui sint effectus divortii. *p.* 37.
Dolus quid sit. *pag.* 58.

E.

Ecclesia quid significet. *pag.* 37. Quid sit eam construere, vel reficere *ib. & seq.* Ex quibus causis sit construenda. *pag.* 38 *& seq.*
Ecclesia quando sit consecranda, à quo, & quomodo. *pag.* 38. Quæ impediant Ecclesiæ consecrationem. *pag.* 38. & 39.
Electio quid sit. *pag.* 6. Quæ in electione deside-rentur. *ibid. & seq.* Quot modis fiat. *pag.* 7.
Eligere qui possint. *pag.* 7. Qui possint eligi. *pag.* 8. Intra quot tempus sit facienda electio *ibid.*
Electi confirmatio à quo facienda, quommodo, & quando. *pag.* 8. & 9. Ad quem effectum. *ibid.*
Episcopi nomen quid significet, & quas personas denotet. *pag.* 5. & 6.
Episcoporum Ordines quot sint. *pag.* 6. Quæ, & qualis sit eorum auctoritas. *ibid.*
Episcopi in quibus Irregularitatibus possint dispensare. *pag.* 99. & 100.
Eucharistiæ Sacramentum quid sit, & ex quibus constet. *pag.* 28. Quis illud conficiat, & ministretur. *ibid.* Quibus sit ministrandum. *ibid.* Qui sint ejus effectus. *ibid.*
Exceptio judicialis quid sit, & quot ejus species. *pag.* 60. Quomodo, & quando proponenda sit in judicio. *pag.* 61.
Excommunicatio quid, & quotuplex sit. *pag.* 90. *& seqq.* Quæ requirantur pro ejus validitate. *pag.* 91. Qui sint effectus ipsius. *ibid.* Quis possit ab illa absolvere. *pag.* 92. Quæ, & quot causæ excusent ab ejus incursu. *ibid.*
Executio rei judicatæ quomodo & à quo fiat. *pag.* 72. Quæ executionem impediant. *ibid.*
Extrema unctio quid sit. *pag.* 28. Quot ejus species, & ex quibus constet. *ibid.* A quibus ministretur, quibus personis, & ad quem effectum. *pag.* 28. & 29.

F.

Falsitas quid sit. *pag.* 84. Quotuplex. *ibid.* Quot modis committatur, tam in contractibus, quàm in Judicio. *ibid.* Quibus pœnis puniatur. *ibid.* An detur Falsitas impunibilis *pag.* 84. & 85.
Feriarum tempore an liceat citare in judicio, aliosve actus Judiciales expedire, *pag.* 57. & 58.
Fornicatio quid sit. *pag.* 82. An sit peccatum mortale. *ibid.* Cur non puniatur de jure Civili. *pag.* 82. In Clericis an de Jure Canonico puniatur. 83. *& seq.*
Furtum quid sit, & in quibus rebus consistat. *pag.* 80. Qua pœna puniantur Fures tam de Jure Civivili, quàm de Jure Canonico. *ibid.* An extendatur etiam ad consilium, vel auxilium dantes. *ibid.*

G.

Gravia ob peccata An publicæ Pœnitentiæ sint imponendæ? *pag.* 99.

H.

Hæresis quid sit; & qui Hæretici dicantur. *pag.* 78. Horum sex species; & quæ? *ibid. & seq.*
Hæresiæ à peccato, etsi occulto, nullus potest absolvere, nisi Papa. *pag.* 100.
Historia Conciliorum ab Episcopo Nucerino confecta; & Anno 1686. Venetiis per Andream Poleti typis impressa, laudata. *pag.* 4.
Homicidium quid; & quotuplex sit *pag.* 85. Necessarium quale sit. *ibid.* Casuale quando non sit culpabile. *ibid.* Quibus pœnis Homicidæ plectantur. *pag.* 86. An alicui liceat seipsum occidere. *ibid.*
Homicidium ob involuntarium, & casuale An quis fiat Irregularis? *pag.* 99.

I.

Immunitas Ecclesiarum quid sit, & quot ejus species. *p.* 40. *& seq.* Quæ prohibita sint fieri in Ecclesiis. *ib.* Delinquentes An possint capi in Ecclesiis? *pag.* 40. & 41. *& seq.* Clericorum personæ, & bona qua gaudeant Immunitate. *ibid.*
Incestus crimen quid sit. *pag.* 82. Qua pœna puniatur: tam de Jure Civili, quàm de Jure Canonico; & tam in Laicis, quàm in Clericis. *pag.* 83.
Injuria quid sit, & quot modis committatur. *pag.* 86. Quæ actio competat pro injuriis; & quibus competat. *pag.* 87. Quibus pœnis puniantur injuriantes; & ad quæ resarcienda damna teneantur, *pag.* 87. *& seq.*

In-

Inquisitio quid sit. *pag.* 75. *seq.* Ubi, quomodo, & quando sit facienda. *ibid.* Ejus effectus qui sint. *ibid.*
Institutio in beneficiis quid sit. *pag.* 21. In quo differat à collatione. *ibid.*
Interdictum Ecclesiasticum quid, & quotuplex sit. *pag.* 95. qui possint illud infligere; & ob quas causas. *ibid.* qui teneantur illud observare. *ib. & seq.* qui sint ejus effectus. *p.* 96. quas pœnas incurrant illud violantes. *ibid.* quis possit illud tollere. *ibid.*
Interdictus Clericus si ad majores Ordines ascendat, An fiat Irregularis. *pag.* 99.
Irregularitas quid, & quotuplex sit. *pag.* 98. quot, & quæ sint Irregularitates ex defectu. *ibid.* quot, & quæ ex delicto. *pag.* 99. An fiant Irregulares consentientes, aut non impedientes homicidium. *ibid.* quot, & quibus modis tollatur Irregularitas. *ibid.* Qui possint super ea dispensare. *pag.* 99 *seq.*
Judex quis dicatur. *pag.* 50. quot sint Judicum species. *ibid.* qui possint esse Judices, & qui eos dare. *ibid.*
Judicium quid sit, & quot Judiciorum species. *pag.* 49. quot eorum sint partes. *ibid.* quæ ad Judicium constituendum sint necessaria. *pag.* 50. quis Ordo in Judiciis servandus. *pag.* 51. De quibus rebus Judicium consistat. *pag.* 52. quomodo Judicium solvatur. *ibid.*
Juramentum calumniæ quid sit. *pag.* 66. qui illud teneantur præstare. *ibid.* quando sit præstandum; & in quibus casibus. *ibid.* qui sint ejus effectus 67.
Jus Canonicum quid sit. *pag.* 1. quis primus ejus Auctor. *ibid.* quando in cœperit: & quis ejus finis. 1. & 2. Ex quibus Præceptis emanaverit. *pag.* 2.
Jus Patronatus quid sit. *pag.* 21. qui possint illud habere; & quomodo constituatur. *ibid.* quomodo acquiratur, & amittatur. *pag.* 23.

L.

Libellus quid sit, & quot ejus species. *pag.* 59. Cui, & in quibus casibus sit offerendus. *pag.* 59, & 60. quæ debeat continere. *ibid.*
Litis contestatio quid sit: & qualiter fiat, *pag.* 65. A quo fiat. *ibid.* Qui sint ejus effectus. *pag.* 66.
Litis pendentia quid sit. *pag.* 67. Qui ejus effectus *ibid.*
Luctus intra Annum An liceat nubere. *pag.* 79.

M.

Maledici qui sint. *pag.* 79. Qua pœna sint puniendi. *ibid.*
Materiæ, de quibus agit Jus Canonicum quæ, & quotuplices sint. *pag.* 4.
Matrimonium quid sit, & ex quibus constet. *p.* 29. Qui possint illud contrahere, & quæ sint ejus bona. *ibid.* Quæ, & quot ejus impedimenta. *pag.* 31. Qui illud accusare possint, & quid sit talis Accusatio. *pag.* 34.
Mollitiei crimen quodnam sit. *pag.* 82. Quàm graviter à Deo puniatur. *pag.* 83. *& seq.* ubi exempla Maritorum Thamar.
Monachi qui sint. *pag.* 22. In quo differant ab aliis Regularibus. *ibid.* Qodmodo quis fiat Monachus. *pag.* 23. Eorum obligatio. *ibid.*
Monialium Clausura quid, & quotuplex sit. *pag.* 93. Quo tempore introducta. *ibid.* Quot modis violetur. *pag.* 94. Quæ pœnæ inflictæ contra violantes illam. *ibid.* An aliquo in casu Moniales possint ab ea exire. *ibid.* quis possit absolvere violatores prædictæ Clausuræ. *pag.* 95
Mutua petitio quid sit. *pag.* 63. Coram quo, & quibus in causis fieri possit. *ibid.* qui sint ejus effectus. *pag.* 64.

N.

Notorium triplex, Facti, Juris, & Præsumptionis. *pag.* 70. Quæ requirantur ad Notorii probationem. *ibid.*
Nuptiæ quid sint, & undè dictæ. *pag.* 31. Qui possint eas contrahere, & quibus temporibus. *ibid.* Quando sint invalidæ. *ibid.*

O.

Ordines majores, seu Sacri qui sint. *pag.* 15. Ordines minores quot sint, & quale eorum officium. *ibid. & seqq.* Quæ sint communia Majoribus, & Minoribus. *pag.* 16. Qui prohibeantur eos suscipere. *pag.* 17.
Ordinis Sacramentum quid sit; & cujus sit virtus, ac potestas. *pag.* 29.

P.

Pactum quid sit, & quot Pactorum species. *pag.* 55. De quibus rebus possit pacisci. *ibid.* Qui sit pactorum effectus. *ibid.*
Pallium quid sit. *pag.* 10. Cui, A quo, & quo tempore detur. *ibid.* Qui sint ejus effectus. *ibid.*
Personarum quæ sit præcipua divisio. *pag.* 5.
Petitio mutua quid sit. *pag.* 63. Vide supra *Mutua Petitio.*
Pœnitentiæ Sacramentum quid sit, & ex quibus constet. *pag.* 27. Ejus virtus, & effectus. *ibid.* A quibus ministretur. *ibid.*
Pollutio voluntaria quàm grave peccatum. *pag.* 82. Severè à Deo punitum. *pag.* 84.
Pontifex Summus quis sit. *pag.* 5. quæ ipsius potestas. *pag.* 6.
Portio Canonica quid, & quotuplex sit. *pag.* 44. Ex quibus rebus debeatur, Cui, & à quibus *pag.* 45.
Postulatio Prælatorum quid sit. *pag.* 8. qui possint postulare, & qui postulari, & apud quos. *ibid.*
Præbenda beneficialis quid sit. *pag.* 18. Cui, A quo, & quot modis conferatur. *ibid.*
Præcepta Legis Divinæ triplicia. Et quæ? *pag.* 2.
Prælati nomen quid significet. *pag.* 10. quæ debeant exhibere, & quæ evitare *pag.* 10. *& seq.*
Prælati Regulares an absolvant suos subditos ab omnibus culpis, & cum eis dispensent super Irregularitatibus. *pag.* 100.
Probatio quid sit. *pag.* 67. Quot modis fiat. *p.* 68.
Procuratio debita Episcopo quænam sit. *pag.* 41. A quibus sit præstanda. *pag.* 42.
Procurator quis, & quotuplex sit. *pag.* 53. Quis, & à quo fiat. *ibid.* Quibus in casibus. *pag.* 54. Quot modis revocetur. *ibid.* Quæ Actiones inter hos oriantur. *ibid.*
Professionis Regularis Virtus in tollendis Irregularitatibus. *pag.* 99.
Purgatio Canonica quid, & quotuplex sit. *pag.* 76. In quibus casibus detur. Cui, & à quo. *pag.* 77. Ejus vis, & effectus. *ibid.* Qua-

Q.

QUalitatis error, quando reddat Matrimonium nullum. *pag.* 31. *seq.*

R.

RAptus Mulierum quid sit. *pag.* 82. Quæ pœnæ contra ipsarum Raptores inflictæ. *pag.* 83.
Reconciliatio Ecclesiæ quid sit. *pag.* 39. Quot, & in quibus casibus fiat. *ibid.*
Regulares qui sint, & qui tales fieri possint. *pag.* 22. Quæ sint eorum obligationes. *pag.* 23.
Regularium Clausuram Mulieres ingredientes quam pœnam incurrant. *pag.* 94.
Renunciatio beneficii quid sit. *pag.* 13. A quo, & quibus ex causis fieri possit. *ibid.* Qui sint ejus effectus. *pag.* 14.
Replicatio Judicialis quid sit. *pag.* 63. Ejus virtus, & effectus. *ibid.*
Rerum Ecclesiasticarum divisio quæ sit. *pag.* 24.
Residentia beneficiatorum quid sit. *pag.* 22. Qui teneantur residere. *ibid.* Quibus pœnis irresidentes puniantur. *ibid.*
Res judicata quæ, & quando talis dicatur. *pag.* 72. Quomodo executioni mandetur. *ibid.*
Res, quæ dicantur, Sanctæ, Sacræ, & Religiosæ. *pag.* 37. Quibus subjiciantur. *ibid.*
Restitutio Spoliatorum quid sit. *pag.* 64. Qualiter à Judice sit facienda. *ibid. & seq.*
Restitutio in integrum quid sit. *pag.* 74. Quibus, adversùs quos, & à quo concedatur. *ibid.* Intra quod tempus petenda. *ibid.* Qui sint ejus effectus. *ibid.*

S.

SAcerdotes qui sint. *pag.* 15. Qui possint esse tales. *ibid.* Quæ eorum potestas. *ibid.*
Sacramentum quid sit. *pag.* 24. Quot sint Sacramenta, & à quo instituta. *pag.* 25. Ex quibus consistant. *ibid.* Qui possint ea ministrare. *ibid.*
Sacrilegi qui sint. *pag.* 79. Quot modis Sacrilegium committatur. *ibid.* Quibus pœnis puniantur. *ibid. & seq.*
Schismatici qui sint. *pag.* 78. quæ pœnæ in eos inflictæ. *pag.* 79. *& seq.*
Sententia quid, & quotuplex sit. *pag.* 70. Quomodo, & à quibus ferenda. *pag.* 71. Qui sint ejus effectus. *ibid.*
Sepultura Ecclesiastica quæ sit. *pag.* 43. Ubi, & à quibus constitui possit. *ibid.* Qui sint illa privandi. *pag.* 44.
Simonia quid sit, & quot ejus species. *pag.* 77. Quibus, & quot modis committatur. *ibid.* Quæ pœnæ sint contra eam statutæ. *pag.* 78.
Sodomia quid sit. *pag.* 82. Qua pœna plectantur committentes hoc crimen. *pag.* 83.
Sortilegi qui sint. *pag.* 79. Quam grave sit crimen. *ibid.* quibus pœnis puniantur. *pag.* 80.
Spoliatorum restitutio quid sit. *pag.* 64. A quibus, & quomodo concedenda. *ibid. & seq.*
Sponsalia quid, & quotuplicia sint. *pag.* 29. *& seq.* Quot modis contrahantur, & inter quos. *pag.* 30. Qui sint eorum effectus. *ibid.* Quot modis dissolvantur. *ibid.*
Stuprum quid sit. *pag.* 82. Qua pœna puniatur. *pag.* 83.
Subdiaconi qui sint, & qui ad Ordinem Subdiaconatus promoveri possint. *pag.* 15. Quale sit eorum Officium. *ibid.*
Suspensio à Divinis quid, & quotuplex sit. *pag.* 96. Quis possit eam infligere, & qui sint ejus effectus. *pag.* 97. Quas pœnas incurrat, qui eam non servat. *ibid.* Quæ, & quot Suspensiones sint à Jure inflictæ ob malam Ordinum susceptionem. *ibid.* Quæ causæ excusent ab ejus incursu. *ibid.* Qui possit ab illa absolvere. *pag.* 98.

T.


TEstes qui possint esse. *pag.* 68. Quibus sit credendum. *pag.* 69. Quomodo, & quando sint examinandi. *ibid. & seq.*
Transactio quid sit. *pag.* 55. De quibus rebus transigi possit. *ibid.* Qui sint Transactionis effectus. *ibid.*
Translatio Prælatorum quid sit, & cur inventa. *pag.* 13. Quæ in ea facienda sint necessaria, & in quibus Ecclesiis permittatur. *ibid.*
Tridentinum Concilium vocatur Octavum Volumen Juris Canonici. *p.* 4. *& seq.* Eo regitur Catholica Ecclesia in regimine Animarum. *pag.* 4. Ejus Vis, & Auctoritas. *pag.* 4. *seq.*

V.

VIa Lactea quid sit in Firmamento. Et cur sic vocata. *In Præfat.* Quot, & quibus de causis eidem assimilentur hæ Canonicæ Institutiones. *ibid.*
Vicarius quis sit. *pag.* 12. Quot Vicariorum species. *ibid.* Qui possint esse Vicarii in Ecclesiis. *ibid.* Quæ eorum potestas. *ibid.*
Unio Ecclesiarum quid sit, & quot ejus species. *pag.* 39. Ex quibus causis fiat, & à quo. *ibid.* Quæ sint necessaria in ea facienda; & qui sint ejus effectus. *ibid.* Quando unio solvatur. *pag.* 40.
Vocatio in Jus quid sit. *pag.* 56. Qui possint in Jus vocare, & qui vocari. *ibid.* Quibus ex causis vocatio nulla sit. *pag.* 56. *& seq.*
Usura quid sit, & undè dicta. *pag.* 80. Quot sint ejus species, & in quibus rebus committatur. *pag.* 80. *seq.* Quæ pœnæ sint statutæ contra hoc crimen; & qui illis afficiantur. *pag.* 81.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


CLERICATI
Th
914a